


INSTITVTIONES HERMENEVTICAE SCRIPTVRAE SACRAE NOVI TESTAMENTI

QVAS

JOANNES NEP. ALBER

E SCHOLIS PIIS

S. THEOL. DOCTOR, LING. HEBR. ARCHAEOL. BIBL. INTRODVCT. IN LIBR. CAN. VET. TEST. APOLOGIAE EORVMD. ET EXEGESEOS IN REG. SCIENT. VNIVERSITATE PESTIENSI PROFESSOR PVBL. ORD. LIBROR. HEBR. IN HVNG. REVISOR REG. NEC NON FACVLT. THEOLOG. SENIOR

JVXTA SYSTEMA THEOLOGIAE NOVISSIME PRAESCRIPTVM CONCINNATAS EDIDIT

CVM APPROBAT. PER CENSVR. REG. ET FACVLT. ORDINARII, SVIQVE ORDINIS SVPERIORVM.

IN TOMVLO II.

INTRODVCTIO SPECIALIS IN QVATVOR EVANGELIA, EORVM APOLOGIA, ET EXEGESIS.

PESTINI,

TYPIS JOANNIS THOMAE TRATTNER. 1818.

INTRODVCTIO
IN QVATVOR EVANGELIA,
ET
EORVM EXEGESIS.

EVANGELIVM
SECVNDVM MATTHAEVM.

§. 1.

Matthaeus Evangelium suum quo tempore scripserit.

Evangelium, Graeca vox, laetum nuncium significat. Quare etiam a Paulo pro annunciatione de Christo sumitur. *Rom.* 1. *v.* 1. Marcus vero hoc Evangelii nomine suam narrationem compellavit, quam in eo fecit vitae, et actionum Christi. *Marc.* 1. *v.* 1. In qua eadem significatione sumitur narratio, et expositio rerum de Christo, fa-

cta per ceteros Evangelistas, Matthaeum, Lucam, et Joannem.

Matthaeus, dictus alio nomine Levi, publicanum prius egit. A Christo autem vocatus, atque hunc e vestigio secutus, constitutus est etiam deinde Apostolus. Primus fuit, qui Evangelium literis mandavit. Nam *cum Hebraeis*, ut scribit Eusebius lib. 3. H. E. c. 24. *primo fidem praedicasset; inde ad alias quoque gentes profecturus Evangelium suum patrio sermone conscribens, id, quod praesentiae suae adhuc superesse videbatur; scripto illis, quos relinquebat, supplevit.* Anno Aer. Vulg. 41. existimantur Apostoli ex Judaea discessisse alii in alias regiones ad praedicandum Evangelium, ejusque lumen fundendum per universum orbem. Nam subsequens annus etiam is est; quo juxta Eusebii Chronicon Olympiadis 205. a. 2. Petrus perrexit Romam, quique annus idem Claudii fuit secundus, ut S. Hieronymus docet *de Vir. Illustr.* Circa annum vero octavum ab Christi adscensione in caelum Matthaeus creditur suum exarasse Evangelium, sed non ab omnibus. Nam auctor Chronici Alexandrini, et Nicephorus *lib.* 2. *c.* 45. dicunt, id anno tantum quinto et decimo factum esse. S. Irenaeus autem *lib.* 3. *cont. haer. c.* 1. cujus, utpote vicinioris, testimonium majoris debet esse ponderis, in huncce modum scripsit: *Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingva scripturam edidit Evangelii, cum Petrus, et Paulus Romae evagelizarent, et fundarent Ecclesiam.* Nec tamen ex his Irenaei verbis sequitur, Matthaeum non scripsisse Evangelium suum paulo ante id tempus, quo ex Judaea abituri erant Apostoli in alias regiones. Petrus enim, ut modo demonstratum fuit, Romam venit a. 42. Aer. Vulg. et Claudii 2. Romanam-

que fundavit Ecclesiam, atque adeo altero statim post Apostolorum ex Judaea discessum. Neque enim fuit Irenaeo propositum, in Matthaeo scriptionis tempus stricte definire: Paulum vero Petro etiam conjunxit, quatenus non per Petrum tantum, verum etiam per hunc fundata fuit Romana Ecclesia per praedicationem Evangelii, non omnimode etiam quoad tempus fundatae Ecclesiae per eos Romae. Hoc enim nec constare potest, cum a. 2. Claudii Imp. hoc jam a Petro factum sit, Paulus vero tantum annis quindecim post a. C. 57. perductus sit Romam, et praedicare ibi coeperit Evangelium.

§. 2.

Evangelium Matthaei idemne cum eo sit, quod Nazarenis, et Ebionitis fuit Evangelium, aut quod Evangelium juxta Hebraeos fuit appellatum.

Lingva Hebraea Matthaeum usum esse in suo componendo Evangelio: est demonstratum Introduct. Gen. Cap. VI. §. 28. adversum eos, qui id asserere voluerunt lingvae Graecae. Non fuit tamen haec lingva Hebraea vetus, et pura; sed ea, qua jam tum utebantur Judaei in Palaestina, Syrismis affecta. Ex quo sequitur nec Matthaeum alia usum esse lingva in scribendo, quam quae tum vigebat apud Palaestinam incolentes Judaeos. Quae vero post reditum e captivitate Babylonica jam mixta fuit cum Chaldaica lingva, quae eadem fuit cum Syriaca. Id quod jam declaratum supra est Introduct. Gen. Cap. VIII. §. 33.

Evangelium Hebraicum Matthaei adhuc exstitit S. Hieronymi aetate. Fuit vero hujus lingvae

Evangelium etiam Nazarenis, et Ebionitis, et illud quoque, quod ab hac lingva Hebraïca fuit appellatum Evangelium juxta Hebraeos. Est vero in quaestione, haecne fuerint ipsum Matthaei Evangelium. De his hunc in modum S. Hieronymus in Catal. Vir. Illustr. loquitur: *Matthaeus propter eos, qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Christi Hebraicis literis, verbisque composuit. Quod quis postea in Graecum transtulerit, non satis certum est. Porro ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Caesareensi bibliotheca, quam Pamphilus Martyr studiosissime confecit. Mihi quoque a Nazaraeis, qui in Beroea, urbe Syriae, hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit.* Idem lib. 3. adv. Pelagian. *In Evangelio*, inquit, *juxta Hebraeos, quod Chaldaico quidem, Syroque sermone, sed Hebraicis literis scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazareni, secundum Apostolos, sive, ut plerique autumant, juxta Matthaeum, quod et in Caesareensi habetur bibliotheca, narrat historia etc.* Iterumque Comment. in Matth. c. 12. *In Evangelio, quo utuntur Nazareni, et Ebionitae, quod nuper in Graecum* a) *de Hebraeo sermone transtulimus, et quod vocatur a plerisque Matthaei authenticum etc.* Ex hoc autem Nazarenorum Evangelio sic idem Hieronymus complura testimonia pluribus locis protulit; ut clarum sit, non esse idem cum eo, quod nobis est Matthaei Evangelium, sed habere multa additamenta. Quale e. g. est. C. 3. antequam Christus baptizaretur: *Ecce mater Domini, et fratres ejus dicebant ipsi: Joannes Baptista*

a) In libro de Scriptorib. Eccl. *in Jacobo* dicit, se se hoc etiam vertisse in Latinum.

baptizat in remissionem peccatorum, eamus, et baptizemur ab eo. Dixit autem eis: Quid peccavi, ut vadam, et baptizer ab eo, nisi forte hoc ipsum, quod dixi, ignorantia est? Lib. 3. adv. Pelagian. Plura autem legi possunt lib. 4. Comment. in Isa. C. 11. lib. 2. Comment. in C. 12. Matth. lib. 4. in C. 27. Matth. lib. de Script. Ecclesiast. in Jacobo. Ex his vero intelligitur, hoc Evangelium, quod Nazarenis fuit, fuisse vocatum Evangelium juxta Hebraeos, et secundum Apostolos, itemque juxta Matthaeum, de quo insuper creditum sit a plerisque, esse ipsius authenticum, quemadmodum est in testimoniis, quae producta sunt S. Hieronymi.

Hebraicum Matthaei Evangelium, quod in bibliotheca Caesareensi conservabatur adhuc aetate Hieronymi, idemne etiam fuit cum eo, quod Nazareni habuerunt? Hoc expressum clare a S. Hieronymo non est: attamen intelligitur, fuisse diversum. Nam cum dixisset, Matthaeum Evangelium literis, verbisque composuisse Hebraicis, sed in Graecum quisnam hoc converterit, se nescire, subjecit: *Porro ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Caesareensi bibliotheca.* Ergo hoc intelligitur servatum in bibliotheca Caesareensi, quod dixerat, a Matthaeo esse compositum, et in Graecum translatum. Atqui Graecum ex versione authentici Evangelii Matthaei non habet ista additamenta, quae fuerunt in Evangelio Nazarenorum, quodque Graecum non tantum ad nos usque pervenit; sed juxta quod Hieronymus etiam emendavit versionem Latinam. Ergo Hebraicum, quod in bibliotheca Caesareensi servabatur; non fuit idem cum Evangelio Nazarenorum. Neque ergo dicendo, hoc Nazarenorum a plerisque haberi pro Matthaei authentico; tamen idem de hoc Hieronymus ipse

sensit, aut certe nonnisi sic; ut Matthaei quidem crediderit esse, sed interpolatum, et additamentis fartum. Quod et inde evidens fit. Si enim hoc Graecum unum idemque cum Nazarenorum Evangelio fuisset; cur hoc Nazarenorum Evangelium Hieronymus non tantum in idem Graecum, verum etiam Latinum vertere voluisset, quemadmodum eum fecisse, paulo ante est dictum, sibique sumpsisset non necessarium vertendi laborem? Deinde, cur etiam a Nazarenis Beroeensibus in Syria Evangelii, quod his fuit, describendi facultatem emendicare debuisset, quod commodius ex Caesareensi bibliotheca in Palaestina, ubi habitabat, sumere potuisset, idque a suis, non ab sectariis: nisi quod voluerit proferre in lucem, et exhibere, quale illud Nazarenorum Evangelium esset? a)

Idemne hoc etiam Ebionitis fuit Evangelium, quod habuerunt Nazareni, ut idem S. Hieronymus affirmare videtur? omnino, et insuper ipsius etiam Matthaei, sed tantum alia ratione a Nazarenis, alia ab Ebionitis interpolatum, atque corruptum. Jam enim supra est demonstratum, Evangelium, quod Nazarenis fuit, habuisse additamenta. De Ebionitis vero S. Epiphanius haer. 30. c. 13. scribit: *In eo, quod penes illos est, Matthaei Evangelio, quamquam ne integrum quidem illud habent, sed adulteratum, ac mutilum, idque ipsum Hebraicum vocant, ita scriptum est* etc. Idem vero Epiphanius *haer*. 29.

---

a) Nazaraeorum, vel Nazarenorum nomen fuit initio Christianis datum ab Judaeis, *Act*. 24. *v*. 5. ab Jesu videlicet Nazareno. Deinde vero his etiam ab Ecclesia sectariis tributum fuit; qui cum fide in Christum caerimonias Veteris legis miscebant, et velut necessarias ad salutem tenebant. *S. Epiphan. haer*. 29.

cap. 9. dicit, Nazarenos habuisse Evangelium secundum Matthaeum, scriptum Hebraice πληρέστατον, *plenum*, absolutum. Non tamen sic sumpsisse hoc πληρέστατον, ut crediderit, Matthaei esse integrum, ac incorruptum, haec ejus verba indicant: *Verum illud nescio, num genealogias illas amputarint, quae ab Abrahamo ad Christum usque perductae sunt.* Non ergo πληρέστατον aliter sumpsit, quam pro eo, quod ipsius sit Matthaei Evangelium: quin tamen asseveraverit, mansisse in ea apud Nazarenos integritate, quam habuit a Matthaeo.

§. 3.

Qui adversus duo prima capita Matthaei insurrexerint, et probare voluerint, non esse authentica.

Londini a. 1771. prodiit Opusculum sub titulo, *Libera Disquisitio de authentia duorum primorum capitum Matthaei*, sine nomine auctoris: qui vero brevi postea innotuit, Joannesque William fuit. Idem post hunc fecit in Germania quidam Stroth *in suo Repertorio Bibl. et Oriental. Literaturae.* His autem etiam David Michaelis satis proclivem se praebuit, et quamvis aperte idem non asseruerit; tamen non dissimulavit, se inclinare in eamdem sententiam in Notis suis ad Matthaeum. Statim vero William non solum in Anglia, Velthusenum, et Calebum Flemingum, sed etiam in Germania plures nactus est adversarios, et vindices duorum istorum capitum Matthaei.

Docet Matthaeus istud Oseе: *Ex Aegypto vocavi filium meum*, et hoc Jeremiae: *Vox in Rama audita est, ploratus, et ululatus multus, Rachel plorans filios suos*, C. 2. v. 15, 18. esse impleta, dum Christus portatus in Aegyptum, reportatusque esset, et Herodes, volens puerum Christum e medio sufferre, infantes in Bethlehem, ejusque vicinia omnes trucidasset. Haec autem cum in literali sensu non spectent ad Christum; typicum vero nolint videre interpretes ex nova literatura, itemque alia in his duobus primis capitibus pariter de Christo explicata, habeant pro male, et insulse ad Christum relatis, in Matthaeum vero Apostolum ejusmodi inscitiam, ut istis videtur, durum videretur esse, minusque conveniens conferre; ista Williamo ratio incidit optima amoliendae difficultatis, negare, esse haec duo capita authentica Matthaei, sed esse compositionem, et additionem tantum ejus, qui Evangelium Matthaei ex Hebraico in Graecum convertit. Nam nec per adcommodationem, quae Neotericis modo est ratio vaticinia sumendi de Christo, putant ista, quae dicta sunt, ullatenus apte poni potuisse, velut impleta in Christo.

Princeps itaque his, qui non habent haec duo capita authentica, ratio est; quod illa Prophetarum testimonia non potuerint, ut ipsi dicunt, afferri pro Christo, nisi ineptissime, quaeque ineptia cum non debeat conferri in Matthaeum; neque hujus sint habenda illa duo capita. Vt autem speciem antiquitatis etiam haberet istud horum de his capitibus judicium; attulit William in argumentum, neque in Evangelio Matthaei, quod fuit jam seculo primo Ebionitis, exstitisse testimonio S. Epiphanii *haer.* 28. 29. 30. haec duo capita.

Quod attinet ad primum argumentum, quod fundatum est in sola difficultate, quam patiantur perspiciendi, quomodo quae his capitibus asseruntur, impleta esse in Christo, referri recte potuerint ad Christum; si haec obscuritas intelligendi dat facultatem abjudicandi id Sacro scriptori, quod non intelligitur; ergo abjudicentur, abscindantur, abjiciantur, sicut a Williamo, ita ab alio etiam quocumque interprete, quidquid ei difficile intellectu, et explicatu fuerit, et valeat ista abscissio. Quod enim Williamo licuit, cur non liceret aeque alteri? Quae vero Critica docet, locum aliquem abjudicare auctori cuicumque, etiam profano, praecise, quod non perspiciatur proprio intellectu, quomodo res cohaereat; tametsi is consensione codicum, atque totius antiquitatis, authenticus comprobatus sit?

Talis vero contestatio est de his duobus Matthaei capitibus. Annon enim in omnibus codicibus Graecis, Latinis, aliarumque omnium lingvarum sic Matthaei Evangelium constanter cum his duobus capitibus exstitit? annon haec exhibent Patres, et Scriptores Ecclesiastici omnis etiam antiquissimae aetatis? Dum sic adversus omnem criticam est, negare eorum authentiam, sique, ut recte judicarunt, inscitia non potest tribui Matthaeo, qui illa Prophetarum testimonia exposuit de Christo, debuissent advertere, si in literali sensu ista non convenirent Christo, non esse tamen vanum, quod in ratione interpretandi, sed non neoterica, tenetur de sensu altero etiam typico: quem si recognovissent, vidissent, quemadmodum haec apte sonare de Christo Matthaeus asseveraverit. At, quia vi suae novae literaturae, quae non admittit typos, jam ipsis constitutum fuit, non exstare de Christo typos, perinde, ut vaticinia verbis edita inficiantur, hoc

quod sibi constituerunt, ponentes pro norma interpretandi, vitium malae allegationis, et ineptae in auctorem istorum duorum contulerunt: cumque vidissent, istud non posse dari Matthaeo, nisi cum Dei contumelia, cujus flatu is Evangelium composuit, ad interpretem devoluti sunt, cui, nullo nixi critico fundamento, hoc imponerent.

At enim vero non hoc temere factum ab ipsis est. Movit enim illos Matthaei Hebraicum Evangelium, quod fuit Ebionitis jam primo seculo absque his duobus capitibus. De hoc in Institut. Herm. V. T. *tom. III. ad Osee. C.* 11. *pag.* 266. dixeram, Michaelisium fassum esse, se hoc de Ebionitis in Epiphanio, non reperisse. Est autem hoc in Epiphanio: quod ibi brevitatis causa pertransii, cujus haer. 30. *Ebionaeorum* Cap. 13. haec sunt verba de iisdem Ebionitis: *Porro Evangelium illorum sic incipit: Factum est in diebus Herodis regis Judaeae, ut veniret Joannes baptizans baptismo poenitentiae in Jordane fluvio*, id quod tantum initio Capit. 3. Matthaei est, et rursus C. 14. *Omni illa genealogia amputata inde, unde diximus, initium deducunt: Factum est in diebus Herodis regis Judaeae sub principibus sacerdotum Caipha, ut veniret quidam Joannes nomine baptizans etc.* Neque enim hoc haberi pro certo testimonio potest, qui postea haer. 51. *Alogorum*, Cap. 6. dixit: *Cum Matthaeus genitum Christum, atque e Sancto Spiritu conceptum, ac de Davidis, et Abrahami, quod ad carnem attinet, genere prognatum sua narratione descripsisset, nonnullis ignorantibus erroris istud occasionem dedit. — — — Hinc enim Cerinthus, et Ebio nudum hominem fuisse Christum asseruit.* Nam unde errorem suum quaesivit stabilire; illud

non abjecit, non repudiavit. Sed sit ita, et Ebionitae in suo Matthhaei Evangelio non habuerint haec duo capita, annon autem ipse Epiphanius, e cujus testimonio argumentum petitur, etiam perhibet, hoc factum esse, quod Ebionitae Christi genealogiam, et reliquum, quod est usque ad initium Capitis tertii, amputaverint? Quod ergo nonnisi decurtatum Ebionitis, et mutilum, quoad haec duo capita, fuit Evangelium; ex eone argumentum sumi potest adversum haec duo capita, quod non sint authentica Matthaei? Amputata haec dicit Epiphanius per Ebionitas ex Matthaei Evangelio. Ergo fuerunt in Matthaei Evangelio, antequam manus ei attulissent Ebionitae. Quod enim non fuisset, nec amputari potuisset.

§. 4.

Quomodo se habeat Evangelium Matthaei in comparatione cum ceteris tribus Evangeliis?

Evangelia sic se habent, ut in his non semper alius Evangelista aliam rem de Christo referat; sed etiam saepe eamdem duo Evangelistae, vel plures: vel quamvis rem eamdem referant; tamen non faciant hoc eadem ratione, sed quod ab altero factum est succincte, fiat ab altero plenius, cumque majore declaratione eorum, quae sunt rebus adjuncta. Sed neque eumdem ubique ordinem servant in referendo: nonnumquam interserunt narrationi, quod alio et tempore, et loco gestum est. Ex ipsis etiam sermonibus a Christo habitis subinde alter plus, alter minus memorat, ut Matthaeus, et Lucas nequidem in precatione, cujus formulam Christus discipulis tradidit, plene conveniunt. *Matth.* 6.

v. 9. *Luc.* 11. *v.* 2. Aliquando vero etiam in ipsis verbis plane conveniunt Matthaeus, Marcus, et Lucas, vel horum duo, vel etiam omnes tres. Solus vero Matthaeus testimonia Scripturarum solet citare juxta fontem Hebraeum, reliqui juxta Versionem Graecam Septvagintaviralem, nec tantum Evangelistae, verum etiam ceteri Novi testamenti scriptores Canonici. Cum solus Matthaeus Hebraica usus lingva sit in scribendo, ceteri omnes Graeca, idque adcommodando se iis, ad quos scripserunt; facile est perspectu, cur illam citandi rationem alteram Matthaeus, alteram ceteri omnes secuti sint. Nemo vero est Matthaeo frequentior in allegandis Prophetarum testimoniis ad ea, quae scribebat, confirmanda de Christo, utpote Hebraeis scribens, quibus nota erat haec, atque sancta vaticiniorum auctoritas. Quare idem etiam statim in principio sui Evangelii Christi genealogiam posuit, ut sic ante omnia appareret, hunc ex Abrahamo, et Davide descendere, quod his ista a Deo facta esset de Christo promissio, eademque Hebraeis omnibus notissima.

§. 5.

Vnde factum sit, ut tres priores Evangelistae alter cum altero, vel omnes tres nonnumquam in ipsis etiam verbis inter se convenerint?

Haec convenientia occurrit inter Matthaeum, et Marcum; inter Marcum, et Lucam; et nonnumquam inter hos omnes tres. Istud ad hoc tempus inde repetebatur, quod Evangelistae, qui posterius sua composuerunt Evangelia, legerint anteriora, ac deinde inter scribendum easdem ver-

borum formulas secuti sint, quae ipsis e lectione in memoria adhaeserant. Nam etiam de Joanne Eusebius lib. 3. H. E. c. 24. habet, idque quoad omnia tria Evangelia scripta prius, quam suum Joannes scripsisset: *Perlatis jam in omnium, ipsiusque adeo Joannis notitiam supradictis tribus Evangeliis, adprobasse ea Joannem, et veritatem scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur.* tametsi is alium deinde delectum rerum secutus in suo Evangelio sit, unde nec in verbis uspiam convenerit cum aliis Evangelistis. Petrus quoque 2. *Epist.* 3. *v.* 16. omnium epistolarum Pauli mentionem faciens, itemque de eo, quid in epistola ad Hebraeos, ceterisque omnibus epistolis scriptum ab eo sit, profecto indicavit, a se omnes has lectas esse. Itaque Matthaeum quoque, qui primus omnium suum edidit Evangelium, potuit legere Marcus, et Lucas: istorum vero duorum alter alterum, post quem scripsit.

At vero Neotericis jam non placet repetere hanc convenientiam, quae dicta est, inter Evangelistas ex lectione Evangeliorum, quae hi ipsi ediderunt. Alium assumpserunt fontem istius convenientiae. David Michaelis *Introduct. in libr. Divin. N. F.* §. 120. 128. sic istam convenientiam explicat. Antequam Lucas suum scripsisset Evangelium, jam multa circumlata esse Evangelia, sed non adcurate scripta, et confecta. Itaque nostros Evangelistas, cum ista legissent, et narrationem emendatiorem de rebus Christi vellent dare, sic instituisse compositionem suam; ut quae reperissent recte, et ex veritate literis mandata, retinerent, cetera corrigerent; atque ita factum esse, ut Evangelistae in quibusdam, quae retinuerunt ex anterioribus Evangeliis vitiose conscriptis, etiam quoad verba inter se convenerint. Eichhornius *Vniversal. Biblioth. tom.* 5.

pag. 761. *etss.* concepit quodpiam Evangelium quod *Proto-graphum* (Urschrift) appellavit, et anterius posuit esse omnibus nostris Evangeliis: quod Evangelistae ante se habuerint, jam multorum manibus tractatum, multisque additionibus auctum, atque unde hi etiam suum concinnaverint Evangelium, et unde sit, ut in verbis quidem saepe conveniant, rem tamen, quamvis eamdem, aequaliter Evangelistae non referant, alterque plus, alter minus de eadem re, prout quis illud protoscriptum nactus est pluribus, vel paucioribus additionibus affectum. Ambo vero nituntur eo, quasi certissimo argumento, quod si non ista ratione, quam ipsi ponunt, iste Evangelistarum concentus in verbis, pluribus locis, accidisset; sed ex eo, quia Evangelista alter alterius legerit Evangelium, futurum fuisse, ut Evangelista, qui alterius Evangelistae verba assumpsit, hujus etiam sequeretur ordinem in narrando; deinde, in rebus, quas easdem refert, eundem modum retinuisset proponendi, breviter, ubi prior brevis fuit; vel plenius, ubi is, cujus Evangelium legit, narrationem latius fusam fecit, sed neque tantam inter Evangelistas futuram fuisse narrandi differentiam, etiamsi haec tantummodo speciem habeat alicujus contradictionis.

At enim vero hoc proto-scriptum, de quo nullus testis est, de quo nihil prius unquam auditum est, purum, putumque commentum est, et per Lucam refellitur, qui non ex aliquo proto-scripto se composuisse testatur suum Evangelium, sed quemadmodum istud acceperit ab Apostolis: cujus haec sunt verba, quibus orsus est suum Evangelium: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio viderunt, et ministri fuerunt sermonis; visum est et mihi*

hi

hi assecuto omnia a principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile. Quae Michaelisium quoque refellunt, ponentem ex aliis non adcurate, neque ex veritate ubique scriptis per alios Evangeliis, Evangelistas nostros sua confecisse Evangelia. Non enim istud Lucas dicit de se, suoque Evangelio; sed se narrationem instituisse de rebus, quae completae in ipsis fuerunt, ita, sicut ei tradiderunt, qui ab initio viderunt, et ministri fuerunt sermonis, videlicet Apostoli. Sed neque Marcus habuit illud Eichhornii protographum, vel horum Evangelia, qui juxta Michaelisium ante Lucam compositores fuerunt non authenticorum Evangeliorum, de quo S. Irenaeus lib. 3. cont. haer. c. 1. *Marcus*, inquit, *discipulus, et interpres Petri, et ipse, quae a Petro enunciata erant, perscripta nobis tradidit*: quod idem de eo perhibet S. Hieronymus *lib. de Vir. Illust.* Tanto vero minus hoc in Matthaeum, et Joannem potest conferri; ut hi sibi tales lutulentos fontes assumpserint, unde suum concinnarent Evangelium, qui Apostoli fuerint, dumque nonnisi ab Apostolis res sumi possent scribendae de Christo, qui comites, et fideles asseclae Christi, soli conscii essent rerum, quas egit Christus. S. Epiphanius haer. 51. *Alogorum* c. 7. istos, quos Lucas dicit ante se conatos esse ordinare narrationem, docet fuisse Cerinthum, Merinthum, et horum similes alios. Ex haereticorumne coeno decebat Apostolos sumere, unde sua conficerent Evangelia?

Nec idcirco, quia Evangelistae, qui posteriores scripserunt, anteriorum Evangelistarum, quorum Evangelia legerunt, et ex qua lectione ipsis formae verborum ad propriam etiam compositionem intrarunt, debuerunt ordinem quoque, atque rerum eamdem seriem sequi in scribendo,

quam illi anteriores tenuerunt, eumdemque narrandi modum servare ibi latius, et ibi brevius rem exponendo, ubi illi sic in narrando praeiverunt. Quod si fecissent, illorum tantum transcripsissent, non horum distinctum ab illis prioribus fuisset Evangelium. Atque ista etiam scribendi ratio, qua se non ligarent structurae narrationis alterius anterioris Evangelistae, atque expositioni cum iisdem adjunctis, fecit, ut eorum narratio incurreret in plura ἀντιλεγόμενα, sed omnia tantum in speciem: quae vitare potuissent, si in modo narrandi servare convenientiam ordinis, et adjunctorum omnium cum rebus, quas referunt, studuissent: at vero incredulis, et Religionis adversariis suspicionem praebere potuissent, se se omnes quatuor sua confecisse Evangelia ex composito. Quod dum ex his antilegomenis apparet, eos non fecisse, quod facile factu fuisset, si quid fraudis, et deceptionis machinati in suis Evangeliis fuissent; haec ipsa antilegomena pro sinceritate, et fide narrationis Evangelicae dicunt testimonium. Non alio haec Neotericorum de nostris Evangeliis tendit assertio, quam ut per talem originem ex spuriorum, et apocryphorum Evangeliorum fontibus, illorum in lubricum adducatur, et evilescat auctoritas.

Matthaeum post suum compositum Evangelium in Persidem, quae tum Parthis subjecta fuit, profectum esse, ibique, et in Carmania praedicasse Evangelium, tradunt S. Ambrosius *in Psal.* 46. et S. Paulinus *Carm.* 26. In Aethiopia autem hoc esse ab eo factum, scribunt Rufinus *lib.* 10. *Hist. Eccl.* et Socrates *lib.* 1. c. 19. Sub Imperatore Zenone Theodorus Lector perhibet *lib.* 2. *H. E.* repertas esse in Cypro reliquias S. Barnabae Apostoli cum Matthaei Evangelio ipsius Barnabae manu descripto. Idem Evangelium Hebrai-

cis literis descriptum, docet Eusebius *lib.* 5. *H. E.* c. 10. etiam a Pantaeno esse relatum ex India (Abyssinia haec est notiore nomine regio Africae) quod ferebatur a Bartholomaeo Apostolo ibi fuisse relictum, dum exeunte seculo sec. a Demetrio Episcopo Alexandrino eo ad Evangelium praedicandum missus fuisset Alexandria, ubi in schola Alexandrina munere docendi, ad id tempus, functus fuit.

§. 6.

Res, quae continentur Evangelio secundum Matthaeum.

C. 1. Genealogia Christi ab Abrahamo, Isaco, et Jacobo per Davidem regem perducta usque ad Joseph virum Mariae, ex qua natus est, enarratur. Hujus mater Maria, Josepho desponsata, antequam convenirent, inventa est habens de Spiritu S. De hac Joseph, cum eam noluisset traducere (παραδιγματίζειν, *ignominiae exponere*) cogitationem suscepit occulte dimittenda. Vnde tamen abstinuit, admonitus ab Angelo. Hoc autem, ut sic Maria Jesum conciperet, atque pareret absque commercio viri, docet Evangelista factum esse, *Vt adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam* (Isaiam C. 7. v. 14.) *dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel.*

C. 2. Jesum, postquam natus fuit in Bethlehem, loco tribus Juda, Magi, qui ab Oriente venerant, adorant. At Herodes, rex Judaeorum, voluit illum e medio tollere. Joseph declinat periculum, et cum puero Jesu, ejusque matre sece-

dit in Aegyptum. Cum Herodi non indicassent Magi, quemadmodum ab iis petierat, locum nati Christi, promiscua caede grassatur in omnes pueros in Bethlehem, ejusque vicinia a bimatu, et infra. Mortuo Herode cum infante Jesu Joseph, et Maria revertuntur ex Aegypto, eumque in Nazareth, loco Galiaeae, educant.

C. 3. In diebus illis, quibus videlicet adhuc Jesus in Nazareth habitabat, sed cum jam propediem proditurus inde erat ad praedicandum Evangelium, venit Joannes Bapt. et in deserto Judaeae exhortabatur omnes, dicens: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum.* Fit Jerosolyma, et undique ex Judaea magnus ad eum hominum confluxus, quos vero ille baptizabat in Jordane. Inter quos cum multi etiam Pharisaeorum, et Sadducaeorum fuissent, monet eos; ut dignum fructum poenitentiae facerent, si instans vellent effugere supplicium. Jam enim securim esse admotam ad arborem, ad eam exscindendam, et igne comburendam Declarat, se quidem baptizare, sed tantummodo aqua, et in poenitentiam: at hunc, qui post eum venturus esset, baptizaturum in Spiritu Sancto, et igne. Ad Joannem etiam Jesus venit, ut ab eo baptizaretur. Dum autem baptizatus ex aqua adscenderet; aperti sunt ei caeli, viditque Joannes Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super eum, ἐπ' αὐτόν. (Confer etiam Joan. 1. v. 32.) Simul vox de caelo venit haec: *Hic est filius meus ille dilectus*, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός: *in quo mihi complacui.*

C. 4. Tunc, postquam videlicet baptizatus est, ductus est Jesus in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo: cumque jejunavisset quadraginta dies, et noctes, atque esuriisset, tentator accessit ad eum, et lapides offerens ei dixit: *Si*

Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. Assumpsit idem deinde Jesum, ac primo Jerosolymae super pinnaculum templi collocavit, svadens, ut se inde demitteret: hinc eundem in montem excelsum transtulit, atque omnia regna mundi ei ostendens, promisit sese haec ei omnia daturum, si eum adoravisset. Cum tentatorem a se facessere jussisset Christus; Angeli accesserunt, et ministrarunt ei. Nazarethum relinquit Jesus, et domicilium in Capharnaum, civitate Galilaeae, sibi collocat. Vocat Simonem Petrum, et Andream ejus fratrem, dum piscarentur, similiterque Jacobum, et Joannem fratres: qui relictis retibus e vestigio secuti sunt eum. Obit Jesus totam Galilaeam, docendo in synagogis, et Evangelium annunciando. Funditur de eo fama quaquaversum, et undique ad eum afferunt infirmos, atque a daemonibus obsessos: quibus salutem omnibus impertit.

C. 5. 6. 7. Videns autem multitudinem hominum ingentem, quae ad eum confluxerat, montem adscendit, atque sedens docet, discipulis eum circumstantibus, beatos esse pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes, sitientesque justitiam, misericordes, mundo corde praeditos, pacificos, et adversa sustinentes ob justitiam, quod eorum magna merces futura sit in caelo. Discipulos suos sali, atque luci similes vult esse in mundo. Adversus iracundiam, dissensiones, et libidinem, etiam solummodo cogitatam, atque sola mente conceptam praecepta dat, itemque ad vitandum, et fugiendum id omne, quod pellicit ad peccatum. De matrimonio constituit tale, quod est concessione data per Moysem perfectius. Adversus jurandi morem in communi sermone, adversus vindictae studium, et odium monita dat, ipsosque etiam inimicos docet dilingendos esse.

Monet, ne justitiam (ἐλεεμοσύνην, misericordiam habent plerique codices Graeci, et versiones Orientales omnes) suam facerent coram hominibus, ob laudis videlicet, et gloriae aucupium, et quod idem monitum similiter dat de precando Deo, et aliquantulum inferius etiam de jejunando: deinde ne ethnicos imitarentur in verbosis precationibus, atque formulam quoque Deum precandi discipulis tradit. Docet, non terrestribus, sed caelestibus thesauris comparandis esse studendum, et quod oculi essent corpori, idem esse menti illud, quo sua omnia dirigat, et quale istud esset, tale etiam omne, quod quis ageret, futurum lucidum, vel tenebrosum. Avocat quemque ab rerum temporalium anxia sollicitudine.

Hypocrisim, et fictum justitiae studium arguit in judiciis exercendis, dum quis festucam in alterius oculis observat, et punit, ipse trabem in oculis suis ferens, neque eam curans. Cavet, ne sanctum detur canibus, et ne margaritae projiciantur porcis. Docet, cum fiducia esse Deum orandum; viam ad caelum esse arctam, contra vero latam ad exitium; cavendos esse falsos prophetas, quosque pronum sit ex eorum fructibus dignoscere; nec omnes caelum intraturos, qui Christo dicerent: Domine, Domine, sed eos, qui Dei etiam voluntatem fecissent. Hunc sermonem conclusit, monendo, ne, qui hunc percepissent, sique eumdem non observassent; similes se praeberent homini stulto, domum non supra solidum fundamentum, sed arenam aedificanti, quam superveniens ventus, imber, et procella prosternunt.

C. 8. Dum descendisset Christus ex monte, leprosusque venisset, atque sic precatus eum esset: *Domine si vis, potes me mundare*, hunc solo tactu, et dicendo: *Mundare*, καθαρίσθητι, ab lepra subito liberavit. Introeunti Capharnaum

centurio occurrit, et *Domine*, inquit, *puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur*: cumque se venturum, et curaturum illum promisisset, centurio autem indignum se reputans, in cujus domum Christus veniret, petiisset, ut solo verbo juberet sanum fieri; non tantum sic huic paralytico sanitatem tribuit absens, atque solo verbo, sed fidem etiam istius centurionis ità laudavit; ut diceret, se se parem ei, non invenisse in Israel. In domum deinde Petri venit, ejusque socrum febri, aliosque aliis morbis affectos a morbis, et daemonia habentes a daemonibus liberavit. Scribam, qui se dicebat, velle eum sequi, ab se rejecit. Alteri, quem ipse vocaverat, ut se sequeretur, petenti autem, ut prius ire posset ad sepeliendum patrem suum, ut mortuos sineret sepeliri a mortuis, respondit. Pergit cum discipulis navi trans fretum. Jesus in navi dormit. Oritur ingens tempestas. Jesus excitatus e somno, imperat ventis, et mari, fitque confestim tranquillitas magna. Postquam ventum trans fretum est, exeunti e navi in regione Gerasenorum duo occurrerunt habentes daemonia feroces nimis, et clamaverunt: *Quid nobis, et tibi Jesu, fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos!* Cumque daemones eum rogassent, ut si eos ejiceret, sineret ire in porcos, quorum magnus grex ibi pascebatur, Jesusque permisisset, totus grex, correptus a daemonibus, abiit praeceps in stagnum.

C. 9. Reversus navigando Capharnaum, cum hominem paralyticum ad eum tulissent, huicque dixisset: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua* et quidam de Scribis pro blasphemia istud accepissent, Jesus, *Quid*, inquit, *facilius est, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge, et ambula? Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in ter-*

ra dimittendi peccata, *tunc ait paralytico*: *Surge*, *tolle lectum tuum*, *et vade in domum tuam. Et surrexit*, *et abiit in domum suam*. Matthaeum a telonio vocat, et se sequi jubet. A quo cum ei convivium deinde exhibitum esset, in quo multi etiam accubuerant publicani, et Pharisaei adversum hoc mussitassent, respondit, *Non esse valentibus opus medico*, ireque eos jussit, atque legere illud Scripturae: *Misericordiam volo*, *et non sacrificium*: (Oseae 6. v. 6.) nec se venisse ad vocandos justos, sed peccatores. Respondet Joannnis discipulis, cur non ejus etiam discipuli jejunarent, quemadmodum ipsi, et Pharisaei, tempus illud, quo ipse cum illis esset, tempus veluti nuptiarum esse, ideoque laetitiae, non luctus. Quidam princeps, (synagogae princeps iste fuit nomine Jairus, *Marc*. 5. *v*. 22. *Luc*. 8. *v*. 41) supplex Christo factus est, ut ad ejus filiam a morte suscitandam in ejus domum veniret. Quo dum pergeret, mulier, quae sangvinis fluxu annos duodecim laboravit, tantummodo vestem illius tangendo, subito sanatur. Puellam deinde illam a morte excitat. Vnde revertens in domicilium suum duobus caecis lumen oculorum impertit, atque mutum, eumdemque a daemone obsessum sospitem praestat. Obit civitates, et castella praedicando Evangelium, et infirmos curando.

C. 10. Apostolis duodecim, qui nominatim recensentur, potestatem tribuit in immundos spiritus, virtutemque morbos curandi: praeceptis hos instruit, ad munus praedicationis Evangelicae obeundum: ne videlicet adhuc ad gentes irent, ne peram, ne duas tunicas, ne calceamenta, virgam, pecuniam secum ferrent. A quibus vero recepti non essent, illic etiam pulverem de pedibus suis excuterent. Docet, se se illos mittere

veluti oves inter lupos: nec tamen, dum ad praesides, et reges ducerentur, ipsos debere cogitare, quid his respondendum esset. Nam accepturos, quid loquantur, Deique Spiritum locuturum in ipsis. Praedicit ipsis odium, insectationes, ne tamen interfectores suos timerent, monet: qui corpus tantum, non animam possint occidere. Spondet, eum se confessurum etiam coram Patre suo in caelis, qui se confessus esset coram hominibus; et contra negaturum, a quo negatus esset: sibi neminem, ne patrem quidem, et matrem, esse anteferendum; neque dignum se esse, qui crucem suam non acciperet, atque se sequeretur.

C. 11. Joannes in vinculis cum audisset opera Christi, duos ex discipulis suis mittit ad eum, qui interrogarent, *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* Quos Joanni referre jubet, quae viderint, et audiverint: caecos videre, claudos ambulare, leprosos mundari, surdos audire, mortuos resurgere, pauperes evangelizari, beatumque futurum, qui in se scandalizatus non esset. Sic laudat deinde Joannem coram multitudine; ut eo majorem diceret, non surrexisse inter natos mulierum, ipsumque Eliam esse, qui venturus est. Judaeorum vero objurgat pertinaciam, qui nec Joannis, nec suis verbis flexi ad meliorem frugem sint, inprimisque civitatibus Betsaidae, Corozain, et Capharnaum hanc duritiam exprobrat, atque vae interminatur. Confitetur Deo Patri, atque hunc praedicat, qui donum Fidei, absconditum sapientibus, et prudentibus, revelaverit parvulis.

C. 12. Discipulos Christi, quod iter facientes, et per sata transeuntes spicas vellissent sabbato, eo quod esurirent, carpserant Pharisaei. Horum injustam accusationem refellit Christus.

In synagoga manum cujusdam curat aridam, iterum sabbato, rursumque redarguens Judaeos, qui hanc curationem, sabbato factam, illicitam habentes Christum violati sabbati reum criminarentur. Daemonem ab homine expellit. Quod ejus factum cum Pharisaei Beelzebub principi daemoniorum adscripsissent, sic hanc calumniam refellit; ut non tantum ostenderet, inter se pugnantia adstruere, sed ipsos etiam peccare in Spiritum S. Dei opera tribuendo virtuti daemonis, et quod peccatum in Spiritum S. nec in hoc, nec in futuro remittatur seculo. Iisdem Pharisaeis, et Scribis, signum a Christo petentibus, negat se se daturum aliud, quam signum Jonae prophetae. Docet eos, qui Dei voluntatem facerent, se se matris, ac fratrum numero habiturum.

C. 13. Ex navicula in mari docet multitudinem Christus stantem in litore per parabolas, primum de agricola, qui cum seminasset agrum suum, semenque aliud cecidisset secus viam, aliud in petrosa, aliud in spinas, aliud in terram bonam, quodque infructuosum omne praeter illud manserit, quod in terram bonam incidit; deinde de sementi, cui inimicus homo superseminavit zizania, et quae dominus agri sivit in agro usque ad tempus messis, ne si prius evulsa essent, evelleretur etiam triticum; postea de sinapi, e cujus minuto quamvis semine cresceret planta ingens; ac denique de fermento, quod exiguum, massae e farina immixtum, hanc tamen totam cogeret ad fermentationem. Regnum caelorum Christus assimilat thesauro abscondito in agro, pretiosae margaritae, et sagenae, missae in mare. Pergit Nazarethum in patriam suam: ubi sapientia ejus offenduntur ejus populares, et increduli ei sunt.

C. 14. Herodes tetrarcha, filius iste fuit Herodis, qui innocentes infantes occidit, cognomen-

to Antipas, cum ex fama cognovisset, quae egerat Christus, in opinionem venit, hunc Joannem esse Baptistam, quem ipse decollaverat, restitutum vitae. Hujusque occisionis causa deinde enarratur, quod eum objurgasset propter Herodiadem, quam sibi copulaverat Philippi fratris sui uxorem, ideoque in carcerem Joannem misisset, et cum die natali Herodis Herodiadis filia coram eo saltans optionem petendi, quidquid vellet, ab Herode obtinuisset; haec instigata a matre caput Joannis petiisset. Cujus caede sibi nunciata Christus secedit in desertum. Ibi millia hominum quinque absque mulieribus, et parvulis satiat de quinque panibus, et duobus piscibus, ita, ut duodecim cophini reliquiarum panis superessent. Ambulat super mare, Petrumque, cui eamdem super mare ambulandi facultatem petenti dederat, ex submersionis periculo liberat, cum dubitans de ambulationis successu mergi coepisset. Simul vero atque naviculam adscendit, qua Apostoli vehebantur, sedatur tempestas. In regione Genesar, omnes morbis affectos, qui ad eum undique afferebantur, sanat.

C. 15. Scribae, et Pharisaei adversus Christi discipulos querimoniam moverant, quod Seniorum traditionem transgrederentur, panem manducando non lotis manibus. Quibus vero Christus respondit, et curnam ipsi Dei mandatum transgrederentur ob traditionem suam, docendo, munus, quod neglecta cura parentum Deo offerrent, his profuturum, atque bene de ipsis Isaiam prophetasse: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* (Isa. 29. v. 13.) Docet, non eo, quod per os intrat, inquinari hominem, sed per ea, quae ex corde procederent, videlicet per malos sermones, homicidia, adulteria, aliaque his similia. In finibus Tyri, et Sido-

nis filiam mulieris Chananaeae a daemone, a quo obsessa erat, liberat. Ad mare Galilaeae cum esset reversus, plurimos variis morbis affectos sanat, et de septem panibus, et paucis pisciculis iterum satiat quatuor millia hominum.

C. 16. Pharisaei, et Sadducaei a Christo signum de caelo petunt. Hoc tale signum modo jam altera vice petitum est. *Supra C.* 12. *v.* 38. Quos Christus redarguit, quod cum temperiem caeli, et aeris ex observationibus scirent praedicere, tamen signa temporum nescirent, negatque iterum se se aliud daturum signum ipsis, quam Jonae prophetae. Monet discipulos suos, ut sibi caverent a fermento Pharisaeorum. Ad partes, Caesareae Philippi cum venisset, et ex discipulis quaesivisset, quem eum alii, tum etiam ipsi existimarent esse, Petrus, *Tu es*, inquit, *Filius Dei vivi*, cui Christus, *Beatus es Simon bar Jona: quia caro, et sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni caelorum.* Praedicit Christus discipulis suam in cruce contumeliosam mortem, et a morte resurrectionem. Docet, unumquemque debere seipsum abnegare, crucem ferre, nec quidquam homini profuturum, quamvis mundum universum lucratus esset, si salutis animae dispendium faciat: seque venturum, ad reddendum cuique secundum ea, quae egit.

C. 17. Christus assumit Petrum, Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit in montem excelsum, atque coram his transfiguratur, Moyse, et Elia etiam ei adparente. Vbi ex monte descendisset, et discipuli ex eo quaesivissent, quomodo illud constaret, quod Scribae dicerent, Eliam

oportere primum venire, respondit, Eliam quidem venturum esse, et restituturum omnia, una vero asseveravit, Eliam jam venisse, in quem fecerint, quaecunque voluissent, et quemadmodum etiam Filius hominis sic passurus sit ab eis. Perspexeruntque discipuli, Joannem hunc intelligi Eliam, qui jam venerit. Cujusdam lunaticum filium, et a daemone obsessum, et ab hoc saepe in ignem, atque aquam jactatum, jamque discipulis Christi oblatum, sed qui hunc expellere daemonem non potuerint, Christus a daemone liberat, salvumque praestat. Praedicit Christus discipulis suam denuo occisionem, et a morte resurrectionem. Capharnai pro se, et Petro solvit didrachma.

C. 18. Mota quaestione a discipulis, quis in regno caelorum major futurus esset; constituto parvulo in eorum medio, docet Christus, nisi huic similes efficerentur, ne intraturos quidem esse regnum caelorum. Qui vero talem parvulum susciperet in nomine suo, perinde se habiturum, atque si ipse susceptus esset. Contra ei, qui scandalizaret unum ex his pusillis, qui in se credunt, expedire; ut mola asinaria, ad ejus collum suspensa, demergatur in profundum maris. Vae mundo futurum a scandalis. Necesse enim esse, ut veniant scandala, verumtamen vae etiam homini illi, per quem scandalum veniret. Quod si oculus, manus, pes quempiam scandalizaret; ista etiam membra amputanda, et abjicienda esse. Demonstrat, quantopere Deus velit neminem perire. Si autem frater in quempiam peccasset; hunc esse secreto primum, deinde coram uno, aut duobus testibus admonendum: sique non resipisceret, demum etiam Ecclesiae deferendum. Quaecumque vero Apostoli ligaturi, vel soluturi essent, eadem futura ligata, vel soluta in caelo. Petro interroganti, num usque septies dimittere deberet, adversum se peccanti; respon-

dit, non se illi dicere, usque septies, sed usque septvagies septies. Docet per parabolam domini, qui servo suo roganti debitum omne condonaverit, tametsi ingens fuisset, at vero hunc deinde torquendum tortoribus tradiderit, donec debitum omne solvisset, quia conservo suo deprecanti exiguum debitum remittere noluisset; Deum nobis non remissurum esse peccata nostra; nisi nos etiam aliis remitteremus offensas, nobis factas.

C. 19. Christus, a Pharisaeis interrogatus, licitumne esset dimittere viro uxorem quacunque de causa, respondit, sic Deum marem, et feminam fecisse ab initio, ut duo essent in carne una. Quod ergo Deus conjunxisset; istud homo non separaret: neque Moysem aliter, quam ob duritiam cordis Hebraeorum permisisse, ut dato libello repudii dimittere possent uxores suas: itaque eum, qui dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, moechaturum esse, pariterque, qui dimissam duxisset. Parvulis, sibi oblatis, manus imponit, beneque precatur. Ab adolescente quopiam interpellatus, quid facere eum oporteret ad vitam aeternam obtinendam, docet, necessarium esse, mandata Dei observare: sin autem perfectus etiam vellet esse, ut sua omnia pauperibus donaret, atque se sequeretur. Petro autem percontanti, quid praemii ipsi habituri essent, qui sua omnia relinquentes, eum secuti essent; respondit, sessuros etiam ipsos in sellis duodecim, dum ipse venturus in gloria esset, centuplumque pro iis, quae dimiserunt, et vitam aeternam adepturos esse. *Multi autem*, inquit, *erunt primi novissimi, et novissimi primi.*

C. 20. Hoc, quod modo dixerat, multos primos futuros novissimos, et novissimos primos, per parabolam declarat de Operariis, in vineam a domino vi-

neae diverso diei tempore missis, et quorum ultimis, extremaque hora diei laborantibus in vinea, tamen eadem merces tributa sit, quae iis, qui venerant primi. Multos enim esse vocatos, paucos vero electos. In extremo suo itinere Jerosolymam suam iterum discipulis praedicit probrosam in cruce mortem, et ab hac resurrectionem. Filiis Zebedaei, pro quibus mater petierat, ut eorum alter ad dextram, alter ad ejus sinistram sedendi in illius regno dignitatem acciperet, respondet, hoc tribuere suum non esse, sed quibus paratum esset a Patre suo. Cum vero istis ideo succensuissent discipuli ceteri; docet, quo modo altiorem in caelo dignitatis gradum oporteret quaerere demissione sui infra alios omnes, quemadmodum ipse etiam venisset, non ut sibi ministretur, sed ut ministret, animamque suam det redemptionem pro multis. Jerichunte exiens duobus caecis, opem illius implorantibus; lumen oculorum tribuit.

C. 21. Asino vectus inter festivas populi acclamationes per stratas vestibus, arborumque ramis vias Jerosolymam ingreditur. Ejicit e templo negotiatores. Sanat in eo caecos, atque claudos. Secedit in Bethaniam, et alterius diei mane revertens ficum, quod fructum in ea, quem quaerebat, non reperisset, solo verbo arefacit. Docet in templo, et sacerdotum principibus, senioribusque populi quaerentibus, qua auctoritate hoc faceret, negat se hoc iis dicturum. Duplici parabola de duobus adolescentibus, quorum alter patri suo praecipienti, ut ad vineam iret, et in ea laboraret, se iturum dixerit, nec tamen iverit; alter cum se non iterum dixisset, tamen postea ivisset; deinde de vinitoribus, qui ex vinea, quam sibi habebant locatam, non tantum fructum nullum ejus domino attulerunt, verum etiam servos

illius, ipsumque ejus filium occiderunt, perstringit Judaeos, docetque hos, reprobatum iri a Deo.

C. 22. Ad eosdem principes sacerdotum, et Seniores populi, continuans sermonem, parabolam rursus aliam proponit de rege, nuptiale convivium faciente filio suo, et ad quod non comparentibus iis, qui invitati erant, alii introducti sint, mali, et boni, ejectus vero sit, quem rex advertit non indutum veste nuptiali. Pharisaei, et Herodiani Christum tentant, ponendo quaestionem, liceretne censum solvere Caesari. Etiam Sadducaei adversus hominum resurrectionem a morte casum ei proponunt de muliere, quae septem viris ordine, priore defuncto, nupserit, cujusnam haec in resurrectione futura conjux esset. Etiam Pharisaeus quidam tentandi causa, Christo proposuit quaestionem, quodnam mandatum maximum esset in lege. Demum ipse Christus etiam Pharisaeis posuit quaestionem, cujusnam filius Christus esset, cumque respondissent, Davidis, quonam modo ergo David hunc vocet Dominum suum, dicens: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis?* (Psal. 109. v. 1.) Pharisaei vero huc nesciverunt respondere.

C. 23. Ad populi turbam, et discipulos se deinde Christus vertit, et monuit, ne Scribarum et Pharisaeorum super cathedram Moysis sedentium, imitarentur actiones, sed tantum eorum dictis morem gererent. Siquidem non facerent, quae docerent; neque digito ea moverent, quae aliorum humeris imponerent onera gravia, et viribus ad ferendum majora, quique omnia sua facerent tantum aucupandae gloriae causa apud homines, pleni ambitione. Iisdem vae interminatur, quod nec ipsi ad regnum caelorum intrarent, neque alios sinerent intrare; qui per speciem pietatis, fundendo preces longas, viduarum domos depa-

depascerentur; qui mare, et aridam circumeuntes ad unum proselytum faciendum, atque ubi hunc nacti essent, filium gehennae facerent duplo amplius, quam ipsi essent; qui falsas interpretationes de juramento, ejusque obligatione docerent; qui duces caeci (τυφλοὶ) essent, colarentque culicem, camelum autem deglutirent, et in calicibus, et patinis extrinsecus munditiae studerent, ipsi intrinsecus pleni rapinis, et immunditia, similesque sepulcris dealbatis essent. Ad hos se deinde dixit missurum esse prophetas, sapientes, et scribas, ex quibus alios occidant, in crucem agant, alios flagellent in synagogis suis, ut omnis super eos veniret sangvis justus, effusus a sangvine Abel justi, usque ad sangvinem Zachariae, quem occiderunt inter templum, et altare.

C. 24. Exit deinde Christus e templo, et cum discipulis pergit ad montem Oliveti, cumque ibi consedisset exadversus templum, atque discipuli magnificentiam structurae illius ei ostendissent, dixit, sic templum hoc eversum iri; ut lapis supra lapidem non maneat. Tum vero illi, *Dic nobis, quando haec erunt, et quod signum adventus tui, et consummationis seculi?* Ad quae Christus respondens, primum monuit; ut sibi a deceptoribus caverent. Nam surrecturos pseudo prophetas multos, quique se etiam Christum mentiantur esse, seducturique multos sint, exarsura deinde bella, et seditiones, ipsosque venturos in odium omnibus gentibus, et occidendos esse. Evangelium autem praedicatum iri omnibus gentibus in universo orbe, tumque venturam consummationem. Vbi vero viderint abominationem desolationis, praedictam a Daniele propheta, stantem in loco sancto, (Dan. 9. v. 27.) tunc quisque conaretur fuga se eripere: nam futuram tribulationem, qualis non fuerit adhuc, nec futura

sit. Adventum autem Filii hominis tam subitum futurum; quam fulguris lux vibratur ab Oriente in Occidentem, futurumque, ut sol, atque luna obscurentur, atque omnis astrorum cursus perturbetur, statim que postea signum Filii hominis appariturum in caelo, atque hunc venturum in nubibus caeli cum virtute multa, et majestate, cujus missu Angeli electos illius congregaturi sint a quatuor ventis. Diem autem, et horam hanc neminem scire, nisi solum Patrem. Venturam autem ita insperato, quemadmodum in diebus Noe diluvium supervenit inopinantibus. Dum ergo nescirent, qua hora Dominus eorum venturus esset; vigilandum esse, ne quispiam sit, in quem is incidat imparatum.

C. 25. Quem Domini adventum improvisum, et inopinatum, uberius declarans Christus, *Tunc simile erit*, inquit, *regnum caelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, et sponsae*. Ex his quinque fuisse prudentes, quinque fatuas, et quae alterae cum instructas sufficiente oleo lampades non habuissent, haeque exstinctae essent, tuncque tantum ad comparandum oleum ivissent, intereaque sponsus, et sponsa advenissent, exclusae sint e nuptiis. In hoc vero Domini adventu, quomodo res se habitura esset, hac altera declaravit parabola: hominem peregre proficiscentem servis suis commisisse pecuniam, eorumque uni quinque talenta, alteri duo, tertio dedisse unum ad negotiandum, donec rediisset: et quorum duo priores cum alterum tantum lucrati essent, dominus rediens in praemium super multa constituerit, in suumque gaudium intrare jusserit; tertium vero servum, quod talenti sibi concrediti fructum nullum attulisset, in tenebras ejici exteriores jusserit, ubi fletus esset, et stridor dentium. Nam, ubi Filius hominis venturus est in majesta-

te sua, et omnes Angeli cum eo; tunc sessurum hunc super sedem majestatis suae, coram quo congregandae sint omnes gentes, quasque sic segregaturus sit; ut quae in his oves sunt, ad dexteram, hoedos collocet ad sinistram suam, ac postquam justos ob pia eorum opera laudasset; impiis istorum negligentiam objecisset; tum istos, ab Christo maledictos, ituros in supplicium aeternum, justos vero in vitam aeternam.

C. 26. Principes sacerdotum, et Seniores populi biduo ante Pascha consultant de Christo interficiendo. Jesus in Bethania in domo Simonis Leprosi pretioso ungvento inter coenandum ungitur. Judas cum principibus sacerdotum paciscitur de Christo ipsis tradendo. Pascha celebrat Christus cum Apostolis, et post coenam agni paschalis, Corporis, et sangvinis sui mysterium sub speciebus panis, et vini illis tradit. Coena peracta exit cum discipulis ad montem Oliveti, et venit in villam Gethsemani. Comprehenditur, et ducitur ad Caipham principem sacerdotum. Accusatur a falsis testibus. Illuditur ipsi. Petrus illum ter negat.

C. 27. In suo concilio alterius diei mane Judaei Christum reum mortis esse judicant, quod se confessus esset Filium esse Dei. Judas reportat pecuniam, seque suspendit. Christum Judaei ducunt ad Pilatum, atque ei accusant, et deposcunt ad supplicium. Pilatus advertens per invidiam tantummodo esse accusatum, dat multitudini optionem juxta morem in Paschate, Christumne, vel Barabbam, qui latro erat, sibi vellet dimitti: quae universa concitata a sacerdotum principibus multitudo, Barabbam petiit dimitti, de Jesu autem institit importunissimo clamore petere; ut in crucem ageretur. Pilatus fert in Christum mortis sententiam. Illudunt ei milites, et

indutum coccinea chlamyde spinis coronant. Ducitur ad montem Calvariae, et cruci affigitur medius inter duos latrones. Principes sacerdotum, Scribae, et seniores pendenti in cruce insultant. Fit solis obscuratio. In cruce Christus voce magna clamans, exspirat. Velum templi scinditur bifariam. Fit terrae motus: apertisque monumentis multa corpora Sanctorum sepulta, surgunt, et multis in Jerusalem apparent. Centurio sic Christum videns esse mortuum, confitetur Filium Dei. Joseph ab Arimathaea Christum deponit de cruce, et sepulturae mandat. Principes sacerdotum, et Pharisaei obsignant sepulcrum, et custodes apponunt.

C. 28. Postridie sabbati summo mane Maria Magdalena, et altera Maria pergunt ad videndum sepulcrum. Fit terrae motus. Lapidem ab ostio monumenti amovet Angelus. Illius metu exanimantur milites custodes sepulcri, et fiunt mortuis similes. Mulieribus Angelus vacuum ostendit sepulcrum, et docet Christum surrexisse. His revertentibus cum nuncio ad Apostolos Christus se conspiciendum praebet. Principes sacerdotum, et Seniores Judaeorum pecuniam copiosam dant militibus, custodibus sepulcri, ut dicant, se dormientibus Christum e sepulcro sublatum esse ab ejus discipulis. In Galilaea Apostolis undecim Christus adparet, eosque mittit ad praedicandum Evangelium in universum mundum.

EXEGESIS

EVANGELII SECVNDVM MATTHAEVM.

CAPVT I.

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob — — — Jacob autem genuit Joseph, virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. V. 1 — 16. Liber generationis, βίβλος γενέσεως, idque more Hebraeorum, a quibus recensio generationum, et genealogia solet vocari סֵפֶר תּוֹלְדֹת *liber generationum.* Gen. 5. v. 1. Ex quo perspicuum fit, huic recensioni praemissa verba: *Liber generationis*, esse solummodo exordium hujus genealogiae, non titulum, et inscriptionem totius Evángelii. Abrahami, et Davidis filius vocatur Christus singulariter, tametsi omnium etiam aliorum, qui positi in hac genealogia sunt, filius esset, „Quia ad hos, sunt verba S. Hieronymi „in Comment. facta est de Christo repromissio. „Ad Abraham: In Semine tuo benedicentur omnes „gentes, *Gen.* 22. v. 18. quod est Christus; ad

„David: De fructu ventris tui ponam super sedem „tuam.“ *Psal.* 131. v. 11.

Ex V. 16. clarum est, genealogiam hanc Josephi esse, non Mariae. „Cum vero Joseph, „sunt iterum verba S. Hieronymi *in Comment.* „non sit pater Domini Salvatoris, quid pertinet „ad Dominum generationis ordo deductus usque „ad Joseph? cui respondebimus, primum non es„se consvetudinis Scripturarum, ut mulierum in „generationibus ordo texatur; deinde ex una tri„bu fuisse Joseph, et Mariam, unde ex lege „eam accipere cogebatur, ut propinquam, et „quod simul censentur in Bethlehem, ut de una „videlicet stirpe generati. „Joseph fuit ex stirpe Davidis: quod testatur et praesens haec genealogia, et V. 20. verba Angeli ad eumdem Joseph: *Joseph fili David*, et Luc. 1. v. 27. C. 2. v. 4. idem diserte etiam fuisse dicitur de domo, et familia David, Christus vero filius David, ut est in principio hujus Evangelii, non est per Josephum, sed per solam Mariam, utpote quem haec virgo absque commercio cum Josepho ediderit. Ergo Maria, ex qua Christus est ex semine David secundum carnem, *Rom.* 1. *v.* 3. fuit pariter e stirpe Davidis. Dum itaque tam Joseph, quam Maria genus ducerent a Davide, ad ostendendum, Christum esse e Davidis stirpe, perinde erat, ejus genealogiam ad Mariam matrem Christi, vel ad hujus conjugem Josephum texere.

Genealogiam Christi etiam Lucas C. 3. v. 23. descripsit, sed ordine inverso, et ab Joseph adscendendo non tantum usque Davidem, et Abrahamum, sed etiam usque ad Adamum, et prorsus ad ipsum usque Deum, a quo per creationem productus fuit Adam. In hac vero apud Lucam genealogia is, qui Josepho proximus sequitur adscendendo, non est Jacob, quem habet Matthae-

us, sed Heli. Sic enim est: *Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, etc.* Hinc adversus Evangeliorum veritatem Julianus Apostata argumentum sumpsit, quasi quae Evangelia tam sibi aperte contradicerent, „Non „intelligens, ait S. Hieronymus *in Comment.* Ju-„lianum refellens, consvetudinem Scripturarum, „quod alter secundum naturam, alter secundum „legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Moy-„sem, Deo jubente, praeceptum (Deut. 25. v. 5.) „ut si frater, aut propinquus absque liberis mor-„tuus fuerit, alius ejus accipiat uxorem ad susci-„tandum semen fratris, vel propinqui sui. Super „hoc et Africanus temporum Scriptor, et Euse-„bius Caesareensis in libris διαφωνίας Ἐυαγγελιῶν „plenius disputarunt." Africanus ineunte seculo Ecclesiae tertio vixit, et in epistola ad Aristidem hoc de Jacob, et Heli, duobus Josephi patribus, altero naturali, altero secundum hanc Moysis legem, esse ab ipsis propinquis Christi traditum testatur. S. Augustinus *lib* 2. *de Consens. Evangelist. c.* 3. Lucam cum Matthaeo conciliaturus, posuerat, Josephum ab Jacob esse natum, ab Heli vero filium adoptatum. At in libro 2. Retract. c. 16. ipse etiam eumdem conciliationis modum superiorem, ab Julio Africano traditum, amplexus est. Nec tantum Augustinus, Hieronymus, et Eusebius, verum etiam Ambrosius *lib.* 3. *in Luc.* Gregorius Naz. *Carm. de Christi generat.* Damascenus *lib.* 4. *de Fide cap.* 15. Beda *in Luc.* Theophylactus, sed *Concesserunt in eam sententiam*, inquit Calmetus in Dissert. de Genealogia Christi, *veteres ferme omnes*, rursusque: *Hoc Africani testimonium, cui ex Patribus fere omnibus auctoritas accedit, eo gravius reputandum est; quod assertores habet ex ipsa*

Jesu Christi familia secundum carnem, viros dignissimos: tametsi ab hac ipse dissentiat, sequens sententiam diversam, quamque a plerisque recentiorum tanto ardore defendi dicit; ut ista tantum ratione, quaecumque adversus Evangelistas objiciuntur, defendi posse putent, videlicet, Christi genealogiam a Matthaeo texi per Josephi, ab Luca per progenitores Mariae. a)

Africanus suam sententiam, ab ipsis Christi propinquis acceptam, ut modo dictum est, ita exponit. Mathanum, qui a Matthaeo ponitur pater Jacobi, cujus filius fuit Joseph, sponsus Deiparae, descendisse e Davide per Salomonem; Melchium apud Lucam ex eodem Davide duxisse genus per Nathan ejus pariter filium. Horum alterum post alterum duxisse eamdem uxorem nomine *Esthan*, atque ex hac Mathano natum esse filium Jacob, Melchio filium Heli. — Qui Heli cum sine liberis mortuus fuisset; ejus uxorem esse sumptam in matrimonium ab Jacobo ad semen suscitandum propinquo suo: ex quo connubio natus sit Joseph filius Jacobi secundum carnem, Heli filius vi legis, per quam is ad hunc spectabat. Est autem illud, quod hic difficultatem facit, quod inter Melchi, et Heli in genealogia apud Lucam interpositi sint duo, *Mathat*, et *Levi*. Itaque non videatur, stare sic ex Melchi illud, quod ad duas genealogias Matthaei, et Lucae propositum est ab Africano. At vero hi duo *Mathat*, et *Levi*, quamvis teste Millio (Proleg. in N. T. Graec. proleg. 817.) in omnibus hodiernis existant Mss. ta-

---

a) Sunt hi nominatim praeter Calmetum, Galatinus, Jansenius Genebrardus, Spanhemius, Ligtfoot *Hor. Hebr.* Brugens. in *Matth.* Vossius de Genere Christi, Toynard. *Harm. pag.* 3. et 13. David Mich. Gottlob Paulus, Schnappinger etc.

men eos non legit in Luca Africanus: qui profecto Helium ex Melchio patre natum non dixisset, errore, quem tam facile fuit cuique advertere, et vitare. Nec tantum Africanus istos duos, qui dicti sunt, non legit in codicibus Lucae suae aetatis, sed neque S. Irenaeus. Siquidem is *lib* 3. *cont. haer. cap.* 33. generationes a Christo usque ad Adamum numeret duas, et septvaginta: adeoque duabus pauciores, quam sint nunc, sumendo ad Lucae genealogiam etiam Mathatum, et Levium. Sed et errorem librarii, quo huc Mathat, et Levi venerit, ex V. 29. facile est advertere. Ibi enim sunt hi, et quidem conjunctim prorsus ista ratione, qua hic. Obscurumne ergo manet, quomodo se haec nomina isthic habeant, quae non legit Africanus, et Irenaeus: quorum codices certe quidem majoris fidei, et auctoritatis esse debent, quam isti quotcunque, qui modo supersunt omnes recentiores.

Etiam vero ex ipso textu S. Lucae patescit, Josephi esse progenitores, et majores, per quos is ducit Christi genealogiam. Consideremus illius verba: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi*, et sic porro sursum eundo, usque dum perventum est ad Davidem, atque hinc ulterius ad Adamum, ipsumque Deum, creatorem Adami. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἠλὶ, τοῦ Ματθάτ, τοῦ Λευὶ, τοῦ Μελχὶ. V. 23, 24. Nam, postquam dictum est de Jesu: *Erat, ut putabatur filius Joseph*, deinde succedit: τοῦ Ἠλὶ, τοῦ Ματθάτ. Istudne τοῦ Ἠλὶ, τοῦ Ματθάτ, alio potest, nisi violenter, referri, quam ad Joseph, quod nomen proxime antecessit? Num pronomen τοῦ aliter hic se habet, quam sit in tota ulteriore serie genea-

logiae? Deinde, si fuit Lucae propositum, per Mariam Christi genealogiam texere, non per Joseph, quid attinebat in hac Josephum ponere? et contra Mariam cur simpliciter praeteriit, per quam tamen voluisset genus Christi a Davide, et ab Adamo ducere, atque per partum ex hac demonstrare, esse Davidis, et Abrahae filium?

Fulcire hi conantur suam sententiam etiam eo; quod Joachim, quod nomen sit patris Deiparae, sit vocatus etiam Heli: qui proinde idem appareat esse cum Heli apud Lucam. Nam hoc testimonium esse cujusdam Haccados Rabbini, exstare apud Galatinum. Jamne vero hoc testimonio unius Rabbini res confecta erit? Quid? quod nequidem certum sit, an pater Mariae Virginis Joachim sit vocatus? utpote quod tantum ex apocrypho Evangelio Nativitatis Mariae, quod Manichaeis fuit, sumptum sit, et unde hoc tam Joachimi, quam Annae nomen, parentum Deiparae, sumpsit etiam S. Damascenus *lib. 4. de Fide cap.* 15. Quare etiam S. Augustinus lib. 23. cont. Faustum Manich. cap. 9. *Quod* inquit, *de generatione Mariae Faustus posuit, quod patrem habuerit ex tribu Levi, sacerdotem nomine Joachim, quia canonicum non est, non me constringit*: atque eo minus potest hoc valere, quod sic Beata Virgo nequidem e tribu esset Juda, unaque sic Christus. Quid? quod ipse Damascenus etiam, *cit. loc.* Joachimum dicens patrem fuisse Beatae Virginis, tamen Helium dicat mortuum esse absque liberis. Qui igitur idem Joachim cum Heli? Dum ergo tam levia, aut potius nulla argumenta sunt pro hac altera sententia, in quam iverunt recentiores interpretes, estne sufficiens ratio illa deserta, quae Patrum nititur auctoritate, et cognatorum ipsius Christi testimonio, quam-

que rectior intelligentia textus commendat, istam sequi recentiorem?

V. 17. Matthaeus diserte loquitur, per tres δεκατεσσαρες generationum, primam usque Davidem, alteram usque Babylonicam captivitatem, tertiam usque ad Christum, totam se genealogiam partitum esse. In fine secundae δεκατετράδος est Jechonias, idemque nomen recurrit initio δεκατετράδος tertiae. Qui Jechonias si adnumeretur secundae δεκατετράδι, erit defectus unius personae in subsequente tertia, et vicissim. Hoc, velut tale, in quo Matthaeus ne sibi ipsi quidem constet, objecit adversus Evangeliorum sinceritatem Porphyrius, et nodum jactabat, quasi insolubilem. Solvit vero hunc S. Hieronymus in Commentario ista ratione, Jechoniam, qui est initio δεκατετράδος tertiae, esse non eumdem, qui in fine est δεκατετράδος secundae; sed hunc patrem, illum istius filium, Jechoniamque priorem alio nomine fuisse vocatum Joakimum, alterum Joachinum. „Sciamus, inquit, Jechoniam priorem ipsum esse, „quem et Joakim: secundum autem filium, non patrem.“ Id, quod ex collatione etiam 1. Paral. 3. v. 15. cum V. 11. Matthaei hujus genealogiae evidens fit. Namque Jechonias testante Matthaeo, filius Josiae fuit. Hujus vero filii, loco citato Paralipomenon, fuerunt hi: „Primogenitus Johanan „secundus Joakim, tertius Sedecias, quartus Sellum. De Joakim natus est Jechonias, et Sede„cias.“ Dum ergo is, qui in fine, secundae δεκατετράδος Jechonias est, filius sit Josiae; iterum vero ex filiis Josiae, Joakim pater Jechoniae sit; sequitur, Jechoniam, qui in fine δεκατετράδος secundae est, eumdem esse, qui alio nomine sit appellatus etiam Joakim, Josiae filius, quique non idem cum Jechonia sit, qui in principio tertiae δεκατετράδος est, verum hujus pater fuerit. Ni-

hil ergo aliud est, quam quod brevitatis causa Matthaeus transilierit dicere aperte ex hoc Jechonia, qui est in fine δεκατετράδος secundae, esse genitum Jechoniam, qui in principio est δεκατετράδος tertiae.

Quin V. 8. *Joram autem genuit Oziam*, Matthaeus ipsas etiam personas tres, quae in genealogia inter Joram, et Oziam intercesserunt, Ochoziam videlicet, Joam, et Amasiam. 1 *Paral.* 3. *v.* 11. 12. praeteriit: idemque eum fecisse V. 5. *Salmon autem genuit Booz de Rahab* facile advertet, qui tempus consideraverit, quod intercessit inter Salmonem, qui Rahabem, quae exploratores ab Josua missos domi suae exceperat, et occultaverat *Jos.* 2. *v.* 1. sibi matrimonio copulavit, et Booz proavum Davidis. Hocce enim pacto a Salmone usque Davidem tres tantum fuissent generationes, idque spatio annorum 366. qui intercesserunt ab occupata Chananaea per Hebraeos duce Josua usque ad nativitatem Davidis. Fuit scopus Matthaei docere Christum ab Abrahamo, et Davide, juxta divinam promissionem descendere. Quod assecutus est, etiamsi aliquas transilierit personas, dummodo maneret in personis, e stirpe Abraham, et Davidis descendentibus.

Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. V. 18. Hinc cum Helvidius probare conatus esset, Mariam, postquam Christum edidit, coivisse cum Josepho, et non mansisse virginem, etiam semper postea; hujus insulsam probationem hanc esse ostendit S. Hieronymus in libro, quem adversus eum scripsit, hocce modo: „Praepositio, *ante*, licet, „inquit consequentiam saepe indicet; tamen non- „numquam ea tantum, quae prius cogitabantur „ostendit, ut si dixerimus: Helvidius, antequam

„ poenitentiam ageret, morte praeventus est; non „ sequitur, quod post mortem egerit poenitentiam „ cum tunc non sit amplius poenitentiae locus."

Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. V. 21. Jesus Hebraice ישוע ex radice ישע *salutem praestitit*: et in qua lingva deinde Hebraica inter hoc nomen ישוע et יושיע *salvum faciet*, concentus significationis existit. Christi populus non sunt, qui in Christum non credunt: quia nec ex illius ovibus sunt, cujus vocem non audiunt. *Joan.* 10. *v.* 26. Hoc itaque est, quod quamvis Christus seipsum redemptionem dederit pro omnibus; 1. *Tim.* 2. *v.* 6. tamen salvus nonnisi Christi populus fiat, cui redemptionis per Christum praestitae pretium per fidem in illum adplicatur.

Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus. V. 22. Vere hoc de Christo esse editum ab Isaia C. 7. v. 14. atque verum esse vaticinium de Christo, non tantum horum verborum Isaiae de alia virgine ad Virginem Deiparam hanc esse factam a Matthaeo adcommodationem, est demonstratum a me in Institut. V. T. Part. IV. num. 26. Michaelisii interpretationem hujus vaticinii, quam ibi exposui, cum ex eo haustam Laurentius Isenbiehl Moguntiae in Opusculo: *Neuer Versuch über die Weissagung vom Emmanuel*, docere, et asserere instituisset, damnata haec ejus sententia a Pio VI. R. P. est die 2. Sept. 1779.

Exsurgens autem Joseph a somno fecit, sicut praecepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam, et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum. V. 24. „ Ex hoc loco „ ait S. Hieronymus *in* „ *Comment.* quidam perversissime suspicantur „ (Helvidiani, et Bonosiani, et ii, quos Antidi„ comarianitas S. Epiphanius *haer.* 78. vocat, hi „ erant) et alios filios habuisse Mariam, dicen„ tes, primogenitum non dici, nisi qui habeat et „ fratres: cum hic mos sit Divinarum Scriptura„ rum, ut primogenitum non eum vocent, quem „ fratres sequuntur; sed eum, qui primus natus „ sit. „ Alioquin, eodem probante Hieronymo cum *Num.* 18. *v.* 16. constitutum esset; uti primogenitum parentes post mensem a partu siclis quinque redimerent, non statim post mensem hoc debuisset fieri; sed eousque exspectandum fuisset, et differenda solutio, donec partus alter fuisset subsecutus. Etiam hinc: *Et non cognoscebat eam, donec peperit,* idem effutiebant hi iidem adversus illibatam Deiparae virginitatem etiam post Christi partum. Id, quod pariter refutatum est a S. Hieronymo *in Comment.* et *contr. Helvid.* a S. Ambrosio *in lib. de Institutione Virginis*, et a S. Chrysostomo *homil.* 5. *in Matth.* „ Nam et scriptum habemus, sunt verba „ S. Ambrosii, *Dixit Dominus Domino meo:* „ *Sede a dextris meis, donec ponam inimi*„ *cos tuos scabellum pedum tuorum.* Psal. 109. „ v. 1. Numquid subjectis populis nationum ad „ dexteram Patris Filius sedere desivit, aut in „ perpetuum non sedebit? „ et cujusmodi plura exempla ex eadem Scriptura profert. Erat scopus, quemadmodum S. Chrysostomus citato loco dicit, Matthaeo docere, Virginem usque ad partum intactam fuisse, reliquum cuique intelli-

gendum reliquit, eam, quae Dei mater effecta est, tangere Josephum ausum non esse. Maria Gabrieli angelo dicenti: *Ecce concipies in utero, et paries filium* Luc. 1. v. 31. respondit quaerendo, et percontando: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* „ Quod profe-
„ cto non diceret, sunt verba S. Augustini *lib.*
„ *de Sancta Virginitate cap.* 4. nisi Deo virgi-
„ nem se ante vovisset. „ Nam, quae virum ita habuisset, ut eum etiam cognitura esset; huic quaerendi locus nullus fuisset, quomodo conceptura, et paritura filium esset. Dum ergo nihilominus hoc quaesivit, ac una professa est, se virum non cognoscere, cui erat copulata conjugio; palam est, hoc dicendo, suam perpetuam continentiam professam esse.

CAPVT II.

Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis; ecce Magi ab ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Vbi est, qui natus est rex Judaeorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. V. 1. Hic plura sunt, quae disputari solent, et quaedam in pravum etiam sensum detorquentur; ut svadeatur, in hoc Magorum adventu, stellaeque, quae his adparuit ductu nihil fuisse, quod non contigerit pure naturaliter. Magi nomen alii derivant a Graeco μέγας, *Magnus*; alii a Persico *Mog*, quod aeque magnum, atque excellentem significat. Dum tanta convenientia ipsius etiam significationis est, quid obstat, quin hoc utrique lingvae, Graecae, et Persicae commune fuerit vocabulum, ut non raro in aliarum etiam lingvarum aliis vocabulis contingit? Chaldaei et Persae suis philosophis, et sapientibus hoc tribuerunt nomen: idem viguit apud nonnullas alias etiam nationes. Cum vero sapientiam hi suam in divinationibus posuissent, futurarumque rerum vanis praedictionibus maxime ex astris, neque vero abstinerent saepius etiam a praestigiis; hinc idem magi nomen sumi etiam pro praestigiatore coepit, et venefico. Tales itaque Magi, id est Sapientes, atque siderum speculationibus dediti erant hi, qui ad Christum adorandum venerunt ex Oriente.

Magos hos alii ex Chaldaea, alii ex Arabia, aut aliis etiam regionibus venissse volunt. Matthaeus vero nonnisi ex Oriente venisse docet, regionem non memorat. Est vero Judaeae ad Orientem Arabia, superiore parte Arabia Deserta, infe-

inferiore Felix. Chaldaeam vero Scriptura sic semper solet memorare; ut eam Palaestinae ponat versus Boream, et Septemtriones. *Jerem.* 1. *v.* 14. *Ezech.* 26. *v.* 7. *etc.* Auro, thure, et myrrha, quae dona Christo magi obtulerunt, abundat Arabia Felix: eadem tamen etiam proveniebant in Arabia Deserta. Vnde mercatores Madianitas portasse aromata in Aegyptum, est etiam Gen. 37. v. 25. Arabia Felix, quam modo Turcae *Gemen*, vel *Giamen* vocant, a mari Rubro incipit, et tenditur usque ad sinum Persicum. Quod ideo observare juvat, quod quamvis ex hac Arabia Felice Magi venissent, si haec illius vicinior pars ad mare Rubrum fuit; iter illud non tam longum tempus, quam quidam ponunt a) requisierit. Inter ipsam enim Aegyptum, quae magis distat, et Palaestinam non intercedit spatium horarum quadraginta juxta Büschingium. Sed ex Arabia Felice etiam, quae remotior fuit, poterant Magi venire eo spatio dierum, qui intercesserunt inter diem, quo Christus natus est, et quo Ecclesia eumdem recolit a Magis adoratum, si ad iter faciendum usi sunt camelis, qui dromades appellantur; quorum tanta est velocitas, ut diei unius spatio amplius centum millia passuum conficiant. Qua de re legi possunt testimonia apud Bochartum *Hierozoici Part. prior. lib.* 2. *cap.* 4.

Hos Magos non ad talem regem Judaeorum adorandum venisse, qualis fuit Herodes, et anteriores alii; clarum inde fit, quod dum hi Regem hunc Jerosolymis quaesivissent, Herodes istud ipsum etiam rescire volens ex sacerdotibus, et scribis, hunc Regem vocaverit Christum. *Scisci-*

---

a) Dav. Michaelis in Adnotat. ad Matth. plura quam 240 milliaria ponit Germanica, quae Magi ex Arabia Felice venientes perficere debuerint.

tabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. V. 4. Deinde, si illorum similem regem adorare voluissent, ergo eum, qui ex filiis Herodis successurus esset patri in regno, inquirere debuissent; praeterea, si hunc honorem, et venerationem regio Principi, futuro tantum regi, exhibere voluerunt, cur nihil simile erga Herodem, qui tum erat rex, fecerunt? Poteratne vel in mentem alicui venire, post Herodem, cujus tum florentissimae erant res, alium, qui non sit ex stirpe Herodis, futurum Judaeorum regem, quem tamen Magi posthabito Herode, omnibusque ejus filiis, quaesiverunt, ut adorarent.? Aliud ergo, et homine rege sublimius quidpiam in hoc Judaeorum rege, quem adorandi causa quaesiverunt, suspicere debuerunt. Ex quo pariter intelligitur, an adoratio, quam deinde ei praestiterunt, tantum ejusmodi fuerit, quae processerit ex veneratione erga terrestrem pure regem, cujus in stabulo jacentis, et pauperes parentes habentis conditio nullam speciem istius futurae regiae dignitatis habebat.

Quonam vero modo incidere Magis potuit ex stella, quam viderant in Oriente, hanc nati Regis Judaeorum signum esse? S. Leo *Serm.* 1. *de Epiphania*, et S. Chrysostomus *homil.* 8. *in Matth.* docent, ad stellam, quam conspexerant oculis corporis, lumen etiam accessisse interioris revelationis divinae, quo et intellexerint, quis per stellam illam designaretur, et permoti etiam sint ad hunc adorandum. Neoterici, nominatimque David Michaelis, quorum est, ut jam notum est, conari explicare omnia in Scriptura sic, ut videantur accidisse tantum naturaliter; statuunt, hanc fuisse stellam e genere cometarum: dumque cometa aliquis apparuisset, fuisse antiquitus vulgarem persvasionem, quidpiam eo portendi,

et praesertim ortus magnorum regum cometas habitos praesagos: praeterea creditum esse, qodlibet regnum habere suam certam, et peculiarem stellam ex iis, quae fixae vocantur in caelo, quaeque regno quasi praesideat. Dum ergo iste cometa visus a Magis esset prope eam, quae Judaeae stella habita est; hac persvasione, eaque falsa ad quaerendum Messiam ut irent, permotos esse: quod vero hunc recenter natum reipsa repererint, nihil nisi fortuitum casum fuisse: istos vero Magos dicit fuisse natione, et religione Judaeos, qui tantum extra Judaeam habitaverint. Judaeos autem ideo facit, ut difficultatem vitaret, quae res his Magis, si gentiles fuisse agnovisset, svadere potuerit, ut ad Judaeorum regem Messiam adorandum irent, atque munera ei offerrent.

Ex cometis, omnibusque raris phaenomenis, praesertim caelestibus, et olim facta esse portenta, et nunc fieri a superstitiosis, vel rudibus, verum est. Cuilibet vero regioni esse certam, et propriam stellam, creditum esse ab antiquis, est Davidis Michaelis tantummodo figmentum. Cometa deinde quisque in orbita sua circumagitur, et currit, fixamque stationem penes quodpiam sidus nullam habet; sed per alia semper, et alia progreditur. Ergo nec determinate ad aliquam stellam praesagii alicujus causa referri potuit. Deinde stella, quae Magis adparuit prius in Oriente, istos jam deinde in Judaea antecessit, et viam Bethlehemum ipsis demonstravit, ubi Jerosolyma exiissent, iterque suum continuassent, et substitit supra domum, in qua Christus fuit. Istene ergo cometa fuit, qui sic Magos antecessit, ut Jerosolyma Bethlehemum viam ipsis monstraret, atque ipsum etiam stabulum, in quo Christus erat? Potestne cometa, tam in alto constitutus, certum aliquem locum, vel viam inter duo loca

tamque vicina, ut fuit Jerosolyma, et Bethlehem, cursu suo designare? Denique Magi certe quidem iter die, non nocte fecerunt. Quomodo ergo, si cometa fuit, hujus lumen, cujus ductu Jerosolyma Bethlehemum pervenerunt, interdiu sole splendente, percipere, et sequi potuerunt?

Haec itaque stella, quae Magis apparuit, non fuit cometa, vel aliud naturale, et in rerum natura jam prius existens sidus; sed tantum tunc a Deo prodigiose productum, quod Magis primum in Oriente adparuit, deinde vero Jerosolyma pergentibus Bethlehemum viae se ducem etiam praebuit. Nam hujus ductu non fecisse eos iter ex Oriente Jerosolymam, inde intelligitur; quod si hac stella duce usi fuissent, non ipsos oportuisset Jerosolymae ex aliis quaerere locum nati Regis Judaeorum; qui sicut eousque ductui stellae se se commiserant; ita neque tunc solliciti esse debuissent, quomodonam pertingere ad eum possent. Deinde ipsi dicebant, hanc a se tantum in Oriente visam, non per quam sint etiam Jerosolymam perducti. Advertendum est illud quoque, quamvis Herodes tam sollicite studuisset, rescire locum, ubi Christus natus esset; tamen stellae istius indicio, quo hunc Magi repererunt, usum non fuisse, sed neque hac ratione quaerere instituisse. Qui certe non praetermisisset, stellae istius motum, atque cursum observare, et notare; ut certus fieret de loco, ubi Christus natus est, qui non aliam ob causam non tantum in Bethlehem, verum etiam in omnibus ejus finibus infantes omnes occidi jussit, atque caedem hanc ad bimos etiam infantes extendit; quam quod illum unum, quem quaerebat, rescire non potuerit. Cur ergo nec Herodes, nec sacerdotes, et scribae, aut alter quispiam post hanc stellam etiam ivit, ut ubi Christus natus esset,

scire posset? Nempe, stella haec solis Magis fuit conspicua: aliorum nemo hanc vidit. Eo minus potest existimari, fuisse hanc stellam usitatam, ac naturalem e genere cometarum.

Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Surge, et accipe Puerum, et matrem ejus, et fuge in Aegyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi. Futurum est enim, ut Herodes quaerat puerum ad perdendum eum. V. 13. Die quadragesima a partu, qua dies purificationis Mariae completae sunt, Maria, et Joseph Jesum infantem tulerunt in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. *Luc.* 2. *v.* 22. Hinc oritur quaestio, Christus sitne adoratus a Magis ante, vel post hanc sui praesentationem in templo. Si ante, quomodo ergo adhuc potuit portari Jerosolymam istius praesentationis suae causa, ne manifesto periculo objiceretur occisionis per Herodem, eoque magis, quod tunc per Simeonem, et Annam adhuc insuper publicatus in templo sit? Si vero post praesentationem, tunc, testimonio Lucae, Christus infans non jam Bethlehemum reportatus, sed Nazarethum portatus est: quem proinde nec Magi in Bethlehem adorare post illius praesentationem potuerunt.

Res de nativitate, et infantia Servatoris nostri sic descriptae a Matthaeo, et Luca sunt; ut quaedam de hac ab hoc, quaedam ab illo memorentur, non ab utroque omnia: qui mos frequens est alibi quoque Evangelistarum. Cum Christus, postquam praesentatus in templo est, Bethlehemum reportatus non sit; sequitur, ut prius sit adoratus a Magis. Nec profecto mos, quo Ecclesia, die tertia, et decima a Christi nativitate celebrat memoriam adorati Christi a Magis, obtinuit inde a primis temporibus Ecclesiae absque cau-

sa. Ergone Christus, antequam praesentatus esset in templo, portatus in Aegyptum est, et ut praesentaretur quadragesima a partu die, relatus inde Jerosolymam est? Huic quoque adversatur illud, quod infra V. 19. est, nonnisi defuncto Herode, Christum relatum esse ex Aegypto: qui vero, tantum insequente anno e vita excessit circa Pascha. a) Haec concilianda inter se sunt ista ratione. Magi Christum prius adorarunt, quam praesentatus esset in templo. Herodes autem Magorum ad se reditum semper exspectabat, non quod propter longinquitatem viae citius reverti non potuissent, dum inter Jerosolymam, et Bethlehemum vix intercederent millia quindecim passuum; sed quod causae ei occurrere potuerint plures, cur redire tardarent: vel quod Christum, quem quaerebant, non statim invenerint; vel quod apud hunc suae venerationis causa morari diutius voluerint, donec, ubi Christus portatus ad templum esset, Simeon, et Anna hunc denuo annunciassent, et fama per Vrbem vulgata, et ad Herodem etiam perlata, sensisset, Magos non fecisse, quod ab ipsis petierat, ac deinde ad illud de perdendis omnibus infantibus in Bethlehem, et cunctis ejus finibus crudele, et nefarium consilium prosiliisset. Interim vero jam Joseph monitus ab Angelo cum infante Jesu, et ejus matre se subduxit, et in Aegyptum ibat. Vbi eousque mansit, donec Herodes, ut jam demonstratum est, mortuus fuisset. Quemadmodum Matthaeus silentio praeteriit Christi portationem ad templum, et quae tum acciderunt; ita pariter Lucas ejus fugam in Aegyptum: ususque compendio, cum narrasset, rem de Christo praesen-

---

a) Laurent. Berti Dissert. 1. in Histor. Eccl. de Epocha Herodiana.

tato in templo, transiit ad Christi portationem Nazarethum; quae accidit nonnisi, postquam reportatus fuit ex Aegypto.

Qui consurgens accepit puerum, et matrem ejus nocte, et secessit in Aegyptum, et erat ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum. v. 14. 15. Per Oseam prophetam est hoc dictum cap. 11. v. 1. Quod in literali sensu dictum de populo Israel, educto ex Aegypto, et reducto in Chananaeam per Moysem, quomodo vaticinium fuerit erga Christum, portatum in Aegyptum, et inde reportatum, est a me demonstratum Herm. Instit. V. T. tom. 3. *Exeget. Exercit.* 32.

Tunc adimpletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus, et ululatus multus! Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt. V. 17. 18. Istud quoque, quomodo ad Christum pertinuerit, et ejus causa patratam caedem infantium ab Herode, dum rursus in literali sensu ille Rachelis ploratus fuerit ob tribus Ephraim, et Manasse ex ea prognatas, abductas in captivitatem una cum ceteris regni Israel tribubus, per Salmanassarem, regem Assyriorum, est a me declaratum Inst. Herm. V. T. tom. 3. *Exeget. Exercit.* 29.

Et veniens habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaraeus vocabitur. V. 23. Jesus deinde omnino ab loco hoc, ubi domicilium ejus habuerunt parentes, et ubi educatus est, vocatus fuit Nazarenus, et juxta Graecum Ναζωραῖος: quemadmodum hoc ei, velut cognomen etiam in titulo, ejus cruci appo-

sito, tributum fuit. *Joan.* 19. *v.* 19. Nazaraeus autem ab Hebraea voce נָזִיר sumptum, significat *Separatum*, sanctum, Deo consecratum. Quod ergo per occasionem quidem loci patrii cognomen Christo accessit; hoc tale etiam fuit, ut exprimeret, quid Christus esset. Vbinam vero praedictum est, futurum, ut Christus Nazaraeus vocetur? „Si „fixum, ait S. Hieronymus in Comment. de Scri„pturis posuisset exemplum, nunquam diceret: „Quod dictum est per Prophetas, sed simpliciter, „quod dictum est per Prophetam. Nunc autem „pluraliter Prophetas vocans ostendit, se non ver„ba de Scripturis sumpsisse, sed sensum. Naza„raeus Sanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat."

CAPVT. III.

In diebus autem illis venit Joannes Baptista, praedicans in deserto Judaeae, et dicens: Poenitentiam agite. Appropinquavit enim regnum caelorum. V. 1. In diebus illis: hoc intelligi tempus, quo Christus adhuc tum habitavit in Nazareth, jam est declaratum supra. Anno decimo quinto Tiberii Caesaris istud factum ab Joanne Bapt. est. *Luc.* 3. *v.* 1. Anno post Christum natum decimo septimo mortuus est Augustus, Tiberii in imperio antecessor. Attamen initium imperii Tiberii coepit biennio prius, cum lege per Consules lata, ut provincias cum Augusto communiter administraret, quemadmodum est apud Svetonium *in Tiberio Cap.* 21. consors imperii ejusdem Augusti factus est. Itaque annus, quo Joannes Bapt. praedicare coepit, incidit in annum octavum, et vigesimum a nativitate Christi. Regni caelorum nomine, quod Joannes annunciavit adpropinquasse, intelligitur temporis illius adventus, quo jam praedicandum sit Evangelium in salutem omnium, qui fidem ei adhiberent. Nam sic Christus etiam annunciationem Evangelii sui regni caelorum nomine compellavit. „Si ego, in„quit, in Spiritu Dei ejicio daemones, igitur per„venit in vos regnum Dei." *Matth.* 12. *v.* 28. Poenitentiam agite Graece est μετανοεῖτε. Quod stricte versum juxta ἔτυμον est sapere post factum, resipiscere, redire ad mentem, diversumque ab eo, quod prius senseris, sentire.

Tam Augustana, quam Helvetica Confessio ad poenitentiam, quam praedicat Evangelium, et a peccatore exigit, non aliud docet requiri, quam solius mentis a malo aversionem, et ad bonum

conversionem absque ullo satisfactionis opere, seque fundant in etymologica vocabuli istius μετανοεῖν, μετάνοια significatione. Suntne vero vocabula semper stricte juxta ἔτυμον sumenda, vel juxta usum, moremque loquendi? Ergo, ut recte intelligatur, quid poenitere, et qualis poenitentia haec sit, de qua loquitur Evangelium; non satis est tantum etymologice considerare istud μετάνοιας, et poenitentiae vocabulum, sed etiam de hoc judicium ferendum est ex ejus usu.

Quomodo ergo poenitentiam hanc egerunt, qui ad praedicationem Joannis hanc instituerunt? Est Matthaei 9. v. 14. Joannis discipulos jejunasse, quin hoc sua tantum voluntate fecerint, sed ex disciplina sui magistri. Quamquam, etiamsi sua tantum voluntate, non ex praescripto magistri sui jejunassent; tamen etiam sic satis posset adverti poenitendi ratio. Non enim certe voluptatis causa, verum ut seipsos affligerent, jejunaverunt. Nam Christo quaestionem moverunt, cur dum ipsi, et Pharisaeorum etiam discipuli saepe jejunium instituerent, non idem quoque facerent ejus discipuli. Quod enim sua tantum voluntate fecissent, non ex praescripto magistri; hoc, cur non facerent idem discipuli Christi, non quaerere debuissent ex eorum magistro. Erat Joannis baptismus initiationis ritus ad agendam poenitentiam, qui idcirco dictus etiam est baptismus poenitentiae. *Act.* 19. *v.* 4. Quamobrem ipse etiam Christus, statim ut baptizatus ab Joanne est, ad solitudinem se recepit, ut quadraginta dierum jejunium illic perageret. Joannes quoque, cum ad poenitentiam agendam aliis hortator fuisset, austeram ipse vitam, et cibi abstinentissimam egit; ut poenitentiam, ad quam hortabatur, suo etiam doceret, et exprimeret exemplo.

Sunt vero plurima alia adhuc exempla, quae ostendunt, qualis ea, de qua agit Scriptura, intelligi debeat poenitentia. Nam Daniel hanc quomodo egit? „Ego, inquit, ipse lugebam trium „hebdomadarum diebus. Panem desiderabilem „non comedi, et caro, et vinum non introierunt „in os meum: sed neque ungvento unctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies." *Dan.* 10. *v.* 2. Idem ad qualem poenitentiam hortatus est Nabuchodonosorem? „Peccata tua, in„quit, eleemosynis redime, et iniquitates tuas „misericordiis pauperum." *Dan.* 4. *v.* 24. Num mentis tantum conversionem ab eo requisivit, vel etiam misericordiae opera? Quonam etiam modo poenitentiam Ninivitae egerunt ad praedicationem Jonae? Nonne induti saccis sunt? nonne jejunium strictissimum egerunt? nonne ab ipsius etiam aquae potu abstinuerunt? *Jon.* 3. *v.* 5. Quid Joel quoque propheta populum jussit facere, dum hunc cohortatus esset ad poenitentiam, qua placarent sibi offensum Deum? „Accingite vos, in„quit, et plangite sacerdotes, ululate ministri „altaris, ingredimini, cubate in sacco ministri „Dei mei, sanctificate jejunium" etc. *Joel.* 1. *v.* 13. Et ne plura accumulem, quomodo hanc Christus ipse descripsit, et quid in ea memoravit? „Vae tibi, inquit, Corozaim! vae tibi Beth„saida! quia si in Tyro, et Sidone factae essent „virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in ci„nere, et cilicio poenitentiam egissent, σακκῷ, „καὶ σποδῷ μετενόησαν." Matth. 11. v. 21. Qui de poenitentia sic loquitur, ut hanc ponat etiam in sacco, et cinere; is profecto hanc non in sola mentis mutatione constituit.

Quamvis vero in sola μετάνοια Protestantes sibi constituissent poenitentiam ad obtinendam a Deo peccatorum veniam; tamen vim, atque vir-

tutem istius remissionis a Christo venire tenuerunt, quaeque nonnisi per hunc obtineretur, et quam is nobis seipsum immolando in cruce ad peccata nostra expianda meruerit. At Protestantes theologi novae literaturae jam de peccatorum remissione nunc aliter docent. Dicunt, illa piacularia sacrificia, quae fieri jussit lex Veteris testamenti non debuisse adhiberi ad impetrandam peccatorum veniam a Deo, sed et nunc praeposterum esse, Christum ponere, per quem obtineamus peccatorum veniam. Nam ista ratione per fiduciam veniae obtinendae virtute Christi tantum dari licentiam ad peccandum: peccata vero numquam dimitti a Deo, neque poenam iisdem peccatis promeritam: quin peccata nequidem posse remitti a Deo: atque hoc esse, quod unumquemque excitet ad studium virtutis, et ad intemeratos servandos mores, in quo Religionis sita perfectio sit: sed neque virtutem, et probitatem esse aliunde homini petendam, quam a seipso. En verba unius ex hoc genere theologi Hallensis: „Longa denique experientia ostendit, quantum „fiducia in piaculis qualibuscunque collocata emen„dationis studio, virtutisque severitati, et verae „pietati nocuerit: quippe, quae hominem non„nisi in suo ipsius pectore salutem suam quaerere „jubet.“ Addiditque, theoriam de virtute ex morte Christi ad expianda nostra peccata futuram semper perniciosam labem istius de expiatione peccatorum doctrinae. §. 140. Jul. Aug. Ludov. Wegscheider est iste novus theologus in Libro sub hoc titulo: *Institutiones Theologiae Christianae Dogmaticae, quas Scholis suis scripsit.*

Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham, Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae, τῷ Ἀβραάμ *Abrahamo*. V. 9.

Deus innumerabilem filiorum, et posterorum multitudinem promisit Abrahamo. *Gen.* 22. *v.* 17. Hujus promissi fiducia cum Judaei omnia sibi a Deo pollicerentur prospera, quasi quos, quia Abrahae filii essent, deserturus, et repudiaturus a se nunquam sit; docet Christi Praecursor, hanc Dei promissionem futuram firmam, etiamsi tota Judaeorum natio fuerit deleta, et excisa: siquidem is etiam ex lapidibus possit Abrahamo suscitare, et dare filios illos, quorum innumerabilem multitudinem ei pollicitus est. Dicendo, *de lapidibus istis*, *ἐκ τῶν λίθων τούτων*, intelligitur, praesentes aliquos eo in loco lapides demonstrasse, ipso etiam fortasse digito, cum de lapidibus aliquibus aliis nihil in sermone antecesserit. Cumque proprietas dictorum retinenda sit; donec necessitas urgeat eam deserere, et Dei potentia non minus possit hominem ex lapide facere, quam hunc fecerit de limo terrae, sequitur, ut hoc de lapidibus, quod dictum est, proprie sit accipiendum.

Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni. Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igni inexstingvibili. V. 11. Lucas C. 3. v. 16. hunc Joannis sermonem referens, dicit dixisse: „Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.“ Officium servulorum infimorum fuit, calceos dominorum pedibus inducere, detrahere, atque hos portare post dominos, dum aliquo irent, pro more illius aevi secum ferendi ministerio famulorum cum alias vestes, tum calceamenta. Matthaeum, et Lucam S. Augustinus *lib.* 2. *de Consens. Evang. cap.* 12. sic conciliat: Joan-

nem utrumque dixisse, sive aliud alio tempore, sive contextim: horum alterum esse a Matthaeo, alterum ab Luca memoratum, tam hoc vero, quam illud ad idem pertinuisse significandum, quam is nihil ad Christum esset. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igni.* „Ignis „additione, ait S. Chrysostomus *homil* 11. *in* „*Matth.* vehementiam, et efficaciam gratiae de„monstravit." Dicit Apostolus: „Charitas Dei „diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. „qui datus est nobis." *Rom.* 5. *v.* 5. Hanc itaque Dei charitatem, quae per Spiritum S. accenderetur in eo baptismo, quem Christus daturus esset, et quo justificationis donum tribueretur, quam baptismus Joannis vim non habuit, tantum modo hominem disponens per poenitentiam ad recipiendam gratiam, significat ignis, quo Joannes Christum baptizaturum dixit. Quam ob rem etiam die Pentecostes Spiritus Sanctus, quo tum baptizandos Apostolos Christus promiserat, advenit super hos in forma ignis *Act.* 1. *v.* 5. quin dubium possit esse, per hanc etiam externe esse demonstratum, quid Spiritus Sanctus in ipsis intus operaturus esset, lumen accendendo in mente, et in corde flammam ardentissimae erga Deum charitatis. — Davidis Michaelis est hujus de Christi baptismo, *In Spiritu sancto, et igni* eximia interpretatio. Duos hinc Christi facit baptismos: quorum alter is sit, in quo Spiritus sancti gratia tribuatur; alter is fuerit, quando poenas repetiit ab Judaeis, Jerosolymam igne, atque ferro vastando per Romanos. Nec tamen etiam probat ullo argumento hanc exoticam suam interpretationem.

Tunc venit Jesus a Galilaea in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te de-

beo baptizari, et tu venis ad me? Respondens autem Jesus dixit ei: Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum. V. 13. Christus formam hominis peccatoris assumpsit, missus a Deo in similitudinem carnis peccati. *Rom.* 8. *v.* 3. Ideo baptismum etiam Joannis suscepit, qui baptismus fuit poenitentiae, et qua ratione etiam circumcisus fuit. Quare haec justitia, cujus implendae causa Christus ab Joanne voluit baptizari, sola intelligitur convenientia, ut quoniam formam peccatoris assumpsisset, juxta hanc se se etiam gereret. Nec stricte esse justitia potuit, cum Christo, qui omnis peccati expers fuit, nulla opus poenitentia fuerit. *Tunc dimisit eum*, ἀφίησιν ἀυτόν, *admisit eum.* Nam Graecum utroque modo verti potest. Clarum vero est, istum potius hic debere esse sensum.

Baptizatus autem Jesus confestim adscendit de aqua, et ecce aperti sunt ei caeli, et vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, et venientem super se, ἐπ' ἀυτὸν, *super eum.* Joannes videlicet hunc vidit descendentem supra Christum. Joan. 1. v. 32. *Et ecce vox de caelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* Οὗτός ἐστιν ὁ ὑίος μου, ὁ ἀγαπητὸς: *Hic est filius meus ille dilectus.* Itaque Dei filius intelligitur unicus, et singularis, distinctusque a Dei filiis omnibus aliis, nec eadem ratione, qua filii alii, sed singulariter etiam, atque unice dilectus. Referam, qualem hoc loco interpretationem fecerit Paulus ille Protestans, ex cujus interpretatione me quaepiam producturum speciminis gratia dixeram supra in Regul. Interp. cap. 10. §. 46. Iste cum ex eo genere sit, qui nulli revelationi divinae locum det, atque adeo asserat, nec Hebraeis fuisse da-

tam de venturo in mundum Messia promissionem, sed quam spem ipsi tantum conceperint, ducti sua persvasione; hic modo docet, quomodo se Jesus gerere pro Messia coeperit illo, quem sui populares exspectabant. Hunc tametsi jam parentes sic educavissent, ut ei opinionem, se esse Messiam, ingeneraverint; tamen non prius coepisse pro hoc se se ferre, quam aliquod de hoc omen accepisset. Dum ergo ab Joanne baptizaretur, serenam ei lucem affulsisse, columbamque supra se observasse, quae pro omine acceperit, se a Deo Messiam constitutum esse: tametsi et illa fulgidior lux, et columbae supra illum eodem tempore volatus nonnisi casu, et naturaliter acciderint: sed quae antiquitas pro ominibus, et caelestibus indiciis sumere consveverit. Dicit, neque alia Prophetis omnibus fuisse signa, nisi pure etiam naturalia, quae habuerint pro Dei locutione ad se facta, et, quibus instructi signis ea, quae sua verba faciebant; Dei verba praedicaverint esse, quaeque quasi per signa facta declaratio, symbolica antiquis hominibus credita sit Dei ad illos facta locutio. Itaque hoc pacto etiam Jesum symbolum supra se volantis columbae sumpsisse pro eo, atque si divinitus emissa vox ad eum venisset: *Tu es filius meus dilectus.* Ne autem videretur hoc tantum ipse finxisse, rem probat etiam invicto hoc argumento. Nam teste Cicerone *lib.* 1. *de Divinat. cap.* 48. etiam Romanos sibi persvasisse, Romulum divinis auspiciis sibi obtigisse regem, quod cum inauguraretur, candida lux, et fulgor solis, pulcherrimaque praepes avis visa sit. Cum autem adhuc etiam sic, et Romanorum superstitiosa omina, atque auguria confundendo perverse cum adparitione Divina, quam narrat Evangelista, vidisset, non tamen hoc posse componi cum eo, quod Evangelista Lucas dicit,

Spiri-

Spiritum Sanctum descendisse corporali specie sicut columbam supra Christum in baptismo, *Luc.* 3. *v.* 22. et unde evidens fit, non fuisse naturalem columbam casu praetervolantem, sed Spiritum Sanctum in forma, et specie columbae; expedit se, dicendo, nec Lucam, nec alium quemquam esse posse testem, verane columba, vel sola ejus species visa sit: siquidem nemo hanc manibus suis contrectaverit. En solutionem difficultatis! Et ipsene manu contrectavit hanc columbam, ut statuere potuerit, hanc naturalem fuisse columbam, casu praetervolantem? — Hic praeterea illud volo considerari, dum, ut jam demonstratum est, in his verbis: *Hic est filius meus dilectus!* sensus sit, Christum esse illum Dei filium, qui unicus, et singularis est, et qui proinde non talis sit, quales multi, a Deo filii adoptati per gratiam, sed ex Dei natura genitus filius; num nomen Filii Dei, et adpellatio nuspiam in Scriptura significet eum, qui vere Deus sit, quemadmodum Neoterici modo adstruunt, et quae nec Christo tributa ejus excedat Messianam dignitatem, idque etiam juxta morem opinandi de Christo, purum nonnisi futurum hominem. Nam Deus Pater, hunc declarans suum filium, huncque suum unicum, atque singularem, aliumne testatus est esse, quam quem ex se genuerit? Atque hoc est, quod in hoc sibi complacuerit. Nam, dum eamdem naturam Pater dedit Filio per nativitatem, naturaliter etiam sibi in hoc complacet, et in Filio Pater suam propriam naturam diligit. *S. Leo Serm. de Transfiguratione Christi.*

CAPVT IV.

Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. V. 1. „ Ductus est „ in desertum a Spiritu, haud dubium, ait S. Hie„ ronymus *in Comment.* quin a Sancto Spiritu. „ Sequitur enim, ut tentaretur a diabolo „ Nam sic constituta haec oratio est; ut facile adpareat, alium dici diabolum, qui Christum tentaverit, et alium fuisse Spiritum, a quo ductus in desertum sit. *Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit.* V. 2. Lucas C. 4. v. 2. dicit: „ Et nihil „ manducavit in diebus illis, et consummatis il„ lis esuriit. „ Solent vero in Scriptura esse enunciationes universe, et generatim negantes, quae tamen non sunt sic absolute intelligendae. Nam etiam de Joanne Bapt. est, non manducasse, nec bibisse. *Matth.* 11. *v.* 18. quem tamen idem Matthaeus cap. 4. v. 4. docet, locustis, et melle silvestri vixisse. S. Paulus quoque *Act.* 27. *v.* 33. dicebat de iis, cum quibus navigaverat Romam, diem quartam decimam esse, quod jejuni permanserint, nihil accipientes. Hinc ergo videri posset, nec Christum sic quadraginta diebus, et noctibus jejunasse, ut nihil prorsus interea cibi sumpserit, si sola similis loquendi ratio sumatur in considerationem. Sunt vero alia etiam hic, quae determinent sensum. Nam Matthaeus dicit, Christum, ubi quadraginta diebus, et noctibus jejunasset, postea esuriisse, Angelosque tunc accessisse, eique ministrasse. *Infra V.* 11. Hinc namque intelligitur, sic Christum tempus illud in deserto egisse; ut ei ad manum nihil esset, quo se se reficeret: alioquin hoc ministrari ei ab An-

gelis non debuisset; et qui non esuriit toto illo quadraginta dierum, atque noctium spatio, quod vi factum nonnisi divina est, hunc nec cibum ullum requisivisse: sed sicut esuriem non sensit, ita seipsum etiam absque cibo conservasse eadem virtute divina.

Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. V. 3. Hoc Deut. 8. v. 3. scriptum est, Moysesque docet, Deum, dando manna Israelitis in deserto, ostendisse, non solum panem esse, quo vivere debeat homo. Cum tentator Christo lapides obtulisset, ut ad se reficiendum hos verteret in panem; hunc ista ratione elusit, quod panis speciatim, sicut petiit tentator, homini necessarium alimentum esse haud debeat. Verbum Hebraica loquendi consvetudine, vocatur res qualiscunque. 2. *Reg.* 12. *v.* 6. *Luc.* 1. *v.* 37. Hinc per continuationem ejusdem metaphorae, res etiam in alimentum homini producta a Deo, dicitur processio ex ejus ore.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. V. 5. Quomodo diabolus Christum assumpsit, et statuit super pinnaculum templi? In Graeco est: *παραλαμβάνει αὐτόν*, quod significat, assumere, adducere: idemque verbum est infra C. 17. v. 1. ubi Evangelista refert a Christo assumptum esse Petrum, Jacobum, et Joannem, quos secum accepit, et duxit

in montem, in quo transfiguratus est. Tam hoc, quam illud, quod sequitur de Christo, in montem assumpto per eumdem diabolum, David Michaelis, et alii ejus sequaces Neoterici volunt factum esse ea ratione; ut diabolus in forma humana apparens, Christum induxerit ad secum deambulandum, et quem deinde secum duxerit primum ad pinnaculum templi, inde vero ad montem. At vero, si Christus vocantem, et invitantem diabolum secutus esset, eique se socium adjunxisset ad deambulandum quocunque praetextu; jam se juxta illius voluntatem gessisset. Christusne, qui semper rejecit, quod Satanas offerebat, et hunc etiam a se pepulit, dicens: *Vade Satana,* huic invitanti se socium ad deambulandum animi causa adjunxisset, moremque gessisset? Quis stupor hoc vel cogitare? Dein hoc: *Assumpsit,* collatum cum subsequente: *Statuit eum* super pinnaculum, ἵστησιν αὐτὸν, cujus usitatissima significatio est, *facere stare*, collocare; etiam magis exigit; ut Christus intelligatur portatus a diabolo tam ad templi pinnaculum, quam ad montem, quique se portari permisserit; ut praebendo se infirmum, diabolo non proderet, plus se, quam hominem esse. Qui Angelos tam bonos, quam malos suis interpretationibus eliminant e Scriptura, et nec veras Angelorum apparitiones statuunt esse, nec diabolo facultatem dant quidpiam agendi adversus hominem; sumunt hoc totum, quod de trina hac tentatione Christi referunt Evangelistae, jam tantum pro somnio Christi, ut Paulusius *in Comment. ad h. l.* jam quasi rem actam in sola phantasia, et imaginatione, atque in hac, cogitationibus excitatis de iis, ad quae Christum esse tentatum, docet Evangelista, et a quo tentatio per diabolum Christo sit data, tantum juxta morem loquendi, ut Eichhornius posuit *Biblioth. Univers. tom. III. pag.* 282. id-

que sic, ut quamvis hanc Christi tentationem plures etiam alii ista ratione explicaverint, ipse tamen gloriam istius inventionis sibi vindicet. Alii, ut Schütz, ponunt hunc satanam, fuisse quempiam e synedrio Judaeorum missum ad Christum pertentandi causa, num is revera, esset Messias, quem exspectabant, et cum se per prodigia, quae erant petita ab eo, indicare noluisset, esse Messiam; hinc Judaei illud exitiale odium concepe- rint in eum, quo postea semper flagrarunt. Esse nonnisi parabolam adstruxit Joan. Ern. Chr. Schmidt (Bibliothek für Critik, und Exeges des N. T.) et Döderlein.

Nihil in his omnibus interpretationibus est novi alicujus artificii, et non jam usitati etiam alibi: in quibus earum auctoribus ubicunque in Scriptura, rem, quae refertur, non placet esse actam vere, consvetum est, hanc vertere, et transformare in aliquid horum, qualia etiam hic excogitata, et efficta sunt varia. Futile vero totum est, et propriae phantasiae partus monstrosus, quidquid hic concipiunt, quod verbis Evangelistarum supponunt. Nam non tantum Matthaeus, sed etiam Marcus C. 1. v. 13. et Lucas C. 4. v. 2. referunt, Christum tentatum esse a satana, et diabolo post jejunium quadraginta dierum in deserto, idque eodem tenore verborum, quo dicunt ipsum fuisse hoc spatio in deserto, et jejunasse. Atqui res quoad commorationem hanc in deserto, et jejunium est a Christo acta vere. Ergo talis quoque intelligendus est satanas, talisque tentatio. Deinde, post expositam hanc tentationem per satanam, ubi proinde finitum fuisset hoc vel somnium, vel imaginatio, et phantasia, vel parabola; subjicit Lucas: „Et consummata omni tentatione diabolus reces- „sit ab illo usque ad tempus." C. 4. v. 13. Nam

si haec tantum Christi imaginatio fuisset, vel somnium, vel res tantummodo ficta per parabolam, dici non potuisset, diabolum a Christo recessisse ad tempus, siquidem apud eum non fuisset, et tanto magis, dum is insuper dicitur recessisse a Christo tantummodo ad tempus. Hinc enim sequitur testimonio Lucae, postea iterum a diabolo assultum esse factum in Christum. Nam per istum diaboli accessum ad Christum, quem jam historice retulit Lucas futurum, quae ars hermenevtica aut quis mos, ususque loquendi docebit, esse intelligendam tantummodo imaginem, somnium, parabolam? Idem vero dicitur accessurus, qui a Christo recessit, postquam eum tentasset. Quem Lucas rediturum dixit post tempus; intelligi debet proprie diabolus, qui malus spiritus, qui daemonium est. Ergo neque alter satanas, et diabolus potest intelligi, (nisi non curetur nexus orationis) etiam is, qui ad Christum jam accesserat: et per quem cum Evangelistae dicant, tentatum esse Christum, Christus vere a satana tentatus est.

Qua facta demonstratione illud quoque figmentum dissipatur de illo legato, ad Christum misso ex Judaeorum synedrio, postquam evidens est, hunc tentatorem fuisse diabolum, malignum spiritum. Et quam apte etiam hoc consutum inter se est? Christus enim, nonnisi postquam desertum illud dereliquit, in quo jejunavit, Evangelium suum praedicare coepit, per quod se Messiam indicabat esse. Neque ergo synedrium etiam adhuc habuit quidpiam, unde suspicaretur, et permoveretur ad inquirendum, essetne is Messias: et quod proinde voluisse explorare, nullo modo apte, et sic, ut possit cohaerere, asseritur.

Pinnaculum, Graece πτερύγιον est diminutivum ex πτέρυξ ala: quod vocabulum ad aedes

translatum significat eas illarum partes, quibus ambiuntur, quaeque ipsis aedibus humiliores sunt. Ipsum tectum templi, ab Herode instaurati, teste Josepho *lib. 6. de Bello c. 6.* fuit instructum verubus aureis, ne avibus in eo considendi facultas esset. Ex Hegesippo refert Eusebius *Hist. Eccl. l. 2. c.* 23. Jacobum apostolum fuisse etiam ad templi pinnaculum eductum, ut inde verba faceret ad populum. Fuit ergo hoc pinnaculum sive porticus, sive aliud aedificium ad templum pertinens, istudque stipans, ubi non tantum standi, sed etiam inambulandi commoditas esset. Verba, quae diabolus produxit, ut Christum induceret ad se inde demittendum, sunt ex Psalmi 90. v. 11. ea, quibus Christus respondit, sunt ex Deut. 6. v. 16.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum, et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Tunc dicit ei Jesus: Vade satana. Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. V. 8. Ex Deut. 6. v. 13. est hoc a Christo sumptum testimonium. Lucas c. 4. v. 6. docet, diabolum istud quoque dixisse, omnia haec regna mundi, quae Christo ostendit, sibi esse tradita, ut ipse, cui vellet, haec possit dare. Quod ejus mendacium fuit. Sed neque omnia regna mundi potuit diabolus Christo sub oculos collocare. Non enim visus tam procul se extendit; nec in diabolo virtus prodigii patrandi fuit. Ergo regna omnia mundi tantummodo per solum prospectum quaquaversum in omnes partes mundi, Christo diabolus exhibuit. Mundus Graece est κόσμος: quod vocabulum non tantum in Scriptura alibi, verum etiam ab Scriptoribus aliis indubitate pro mundo sumitur. Attamen

David Michaelis etiam hic reperit novam interpretationem. Dicit Graecam hujus Evangelii orationem esse non Matthaei, sed tantum Interpretis: id, quod verum est. Vbi vero Interpres Graece κόσμον, *mundum* posuit, ibi in Hebraeo fuisse אָרֶץ, *terram*: terrae vero nomine Hebraeos, more suo loquendi intellexisse Palaestinam, quae ea aetate divisa fuerit in regna plura, atque haec esse omnia regna mundi, quae Christo diabolus ostenderit ex monte Nebo, unde Moyses quoque, priusquam moreretur, oculis perlustraverit totam Palaestinam. *Deut.* 34. *v.* 1. Vnde vero David Mich. scit, hoc loco fuisse *Eretz* in Hebraeo? Illud quoque falsum est, isto *Eretz*, dum pro regione usurpatur in Scriptura, accipi semper pro Palaestina. Hoc enim refellitur istis exemplis: „ Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Ju„daea, in Samaria, et usque ad ultimum ter„rae. „ *Act.* 1. *v.* 8. „ Data est mihi omnis po„testas in caelo, et in terra „ *Matth.* 28. *v.* 18. „ In omnem terram exivit sonus eorum „ *Psal.* 18. *v.* 5. et cujusmodi adhuc innumera ex libris utriusque Testamenti possunt proferri. Deinde, quae omnia regna mundi dicuntur juxta Matthaeum, haec ab Luca quoque, cujus propria est Graeca oratio, dicuntur, *Omnia regna orbis terrarum* πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης. Quod iterum vocabulum pro sola Palaestina sumi, ut idem affirmat Michaelis, perinde falsum est. Nam certe in hoc: „ Exiit edictum a Caesare Augusto, ut de„scriberetur universus orbis, πᾶσα ἡ οἰκουμένη „ Luc. 2. v. 1. cum solius Palaestinae descriptio non sit imperata ab Augusto, sed totius Romani imperii, quod propter suam magnitudinem, et auctoritatem summam orbis universi imperium etiam a Cicerone *lib.* 4. *epist.* 7. aliisque Scriptoribus appellatum est, οἰκουμένη non significat so-

lam Palaestinam. Etiam montem Nebo, in quo omnia regna mundi diabolus Christo ostenderit, dum istum Evangelistae speciatim non expresserunt, suo tantum arbitrio determinavit idem David Michaelis.

Tunc reliquit eum diabolus, et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei. V. 11. Ministrare, διακονεῖν, pro obsequio in administrando victu etiam Matth. 8. v. 14. C. 25. v. 44. pluribusque aliis locis sumitur: cumque hoc in nexu narrationis cum eo sit, quod antecessit, Christum esuriisse, atque hac occassione diabolum suggessisse Christo, ut sibi panes ex lapidibus faceret; ex isto quoque orationis contextu sequitur, ut intelligi debeat per hanc ministrationem alimentorum ministratio Christo facta per Angelos.

Cum autem audisset Jesus, quod Joannes traditus esset, secessit in Galilaeam, et relicta civitate Nazareth venit, et habitavit in Capharnaum maritima in finibus Zabulon, et Nephthalim, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam: Terra Zabulon, et terra Nepththalim, via maris trans Jordanem Galilaeae gentium. Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbrae mortis lux orta est eis. V. 12. Antequam Joannes Bapt. in vincula ab Herode conjectus esset, Christus jam pluries fuit in Galilaea. *Joan.* 1. *v.* 43. C. 4. v. 3. Quin huc omnium primo etiam venerat post absolutum quadraginta dierum jejunium, suum annunciaturus Evangelium. *Luc.* 4. *v.* 14. Iste ergo, quem memorat hoc loco Matthaeus, Christi adventus in Galilaeam is fuit, quando huc ita venit; ut Nazaretho relicto, in Capharnaum civitate Galilaeae sibi etiam locum domicilio delegerit,

a suis Nazarethanis e civitate ejectus tam ferociter, ut e monte, in quo sita fuit eorum civitas, etiam praecipitem dare voluerint. *Luc.* 9. *v.* 29. Nec ea causa Christo eundi in Galilaeam fuit; quod Joannem, positum ad carcerem audierit: hoc enim potius, ne eo iret, movere eum debuisset; sed hujus rei memoratio spectat solummodo ad tempus designandum, quo Christus sic in Galilaeam venerit; ut pristinum suae habitationis locum etiam mutaverit. Cur autem ex Judaea in Galilaeam se contulerit, Judaeorum, in Judaea habitantium malignitas erga eum fuit, et insectatio: quam non est expertus in Galilaea ab Herode, qui ipsum Joannem Bapt. etiam in honore habuit, et libenter audivit, tantumque Herodiadis causa, cum qua incestas inierat nuptias, quodque eum propterea arguisset, miserat in carcerem. *Matth.* 14. *v.* 3. Tribus eae, quae has regiones incoluerunt, quae memorantur in Isaiae vaticinio, a Matthaeo producto, primae omnium ex regno Israel ductae sunt in captivitatem per Salmanassarem, regem Assyriorum. 4. *Reg.* 15. *v.* 29. Iisdemque regionibus per eumdem Prophetam praedictum est fore; ut depulso servitutis jugo primae etiam adspiciant libertatis lucem; Est demonstratum a me in Instit. Herm. V. T. tom. 2. Cap. 34. §. 154. in Vaticiniis illud obtinere; ut dum tristia Judaeis denunciata essent, promissio prosperitatis, quae successura sit, non ad Judaeos jam spectet, secundum carnem posteros Abrahae, sed ad eos, qui per fidem facti sunt ejus filii, esseque hanc prosperitatem venientem a Christo. Id, quod ex hoc Isaiae vaticinio etiam clarissime videre est. Nam unde regiones illas incolentibus, atque in tenebris sedentibus lux oritura esset, Isaias explicans dicit: „ Parvu„ lus enim natus est nobis, et filius datus est no-

„ bis, et factus est principatus super humerum „ ejus, et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, „ Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, „ Princeps pacis. „ *Isa.* 9. *v.* 6.

Exinde coepit Jesus praedicare, et dicere: Poenitentiam agite. Appropinquavit enim regnum caelorum. V. 17. Quemadmodum id, quod de luce Matthaeus ex Isaia dixit, oborta ex Christi praedicatione incolis Galilaeae, non tantum pertinet ad hunc Christi in Galilaeam adventum, de quo fuit supra V. 12. sed jam ad omne illud tempus, quo jam prius Galilaeis sui Evangelii lucem impertitus est; ita istud quoque: *Exinde coepit Jesus praedicare* spectat non ad hunc Christi in Galilaeam adventum, sed ad illud tempus, quo post jejunium quadraginta dierum ex deserto in Galilaeam venit, omniumque primo hic coepit Evangelium praedicare. *Luc.* 4. *v.* 14. Nempe Matthaeus temporis ordinem non servat in narrando, et plura, quae sunt tempore ab invicem disjuncta, in unum conjunxit.

Et circuibat Jesus totam Galilaeam, docens in synagogis eorum, et abiit opinio ejus (ἀκοὴ ἀυτȣ̃, *Fama ejus*) *in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus, et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant, et lunaticos, et paralyticos, et curavit eos: et secutae sunt eum turbae multae de Galilaea, et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judaea, et de trans Jordanem.* V. 23 — 25: De daemonia habentibus, qui hic, et deinceps saepe occurrent, verene fuerint obsessi a daemonibus, vel per hos morbisne tantum affecti intelligendi sint, quasi ex usu, atque more illius aetatis loquendi; actum est a me in Instit. V. T. Tom. 1. c. 25. Decapo-

lis fuit exigua regio, e decem civitatibus constans, sita partim cis, partim trans lacum Genesareth.

CAPVT V.

Videns autem Jesus turbas, adscendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, et aperiens os suum docebat eos. V. 1, 2. Sermo, qui nunc sequitur, et per duo subsequentia capita continuatur, est habitus a Christo in monte. Hunc etiam Lucas refert C. 6. v. 20. et seqq. Est enim utrobique idem et initium, et finis, itemque cetera conveniunt; nisi quod quaedam a Luca sint praetermissa, nonnulla autem plenius exposita. Idem Lucas docet, Christum, antequam sermonem hunc habuisset, ex omnium discipulorum suorum numero duodecim delegisse, quos Apostolos vocaverit: cujus habiti delectus nullam Matthaeus mentionem facit: sed C. 10. v. 2. hos nominatim recenset, tanquam jam ante a Christo ad Apostolatum electos. Deinde, Matthaeus dicit, Christum adscendisse in montem, Lucas vero descendisse de monte, atque in loco stetisse campestri, ubi hic habitus fuit ab eo sermo. Quae vero in speciem dissona sic concilianda sunt. Christus videlicet, quemadmodum est apud Lucam C. 6. v. 12. pridie conscenderat montem, et ibi pernoctavit precando Deum: ubi vero dies illuxit, discipulos ad se vocavit, et ex his duodecim elegit, quos Apostolos nominavit: deinde cum his ad locum campestrem

descendit, hoc est, ad humiliorem, planioremque ejusdem montis locum, et sermonem hunc habuit, reliqua etiam multitudine, quae eum sequebatur, circumsistente. Itaque Matthaeus, dum dicit, Christum in montem adscendisse, eum adscensum intelligit, quo se pridie in superiora montis contulit: deinde vero iis praetermissis, quae Lucas memorat, statim ad ipsum accedit sermonem, quem Christus in monte habuit, exponendum. Idem hunc sermonem referens non servavit ordinem quoad tempus. Sermo enim iste habitus a Christo est post delectum Apostolorum, inter quos fuit ipse etiam Matthaeus: qui tamen tantum infra C. 9. v. 9. refert, quemadmodum vocatus a telonio, Christumque secutus sit. Est in hoc sermone perfectionis, quam Christus a nobis per Evangelium suum exigit, quoddam compendium. Quamobrem hunc etiam Matthaeus sub initium suae narrationis collocavit, ut statim appareret, qualem oporteret esse, qui se se Christo, ejusque Evangelio vellet addicere. Ad discipulos hunc direxit, sed ita; ut reliqua etiam circumsistens multitudo eum posset exaudire.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. V. 3. Est infra C. 19. v. 24. facilius camelum per foramen acus transiturum esse, quam dives sit intraturus ad regnum caelorum. Certe autem non rebus, atque opibus dives intelligitur, sed affectu: alioquin nullus divitum, nisi facultates suas dimisisset, spem aeternae salutis habere posset. Ergo in praesenti loco perinde etiam pauperes affectu intelligendi sunt, sive habeant, sive careant rerum facultatibus, quorum sit regnum caelorum. „Non cen„sus, ait S. Ambrosius *lib.* 5. *in Luc.* sed affe„ctus in crimine est.“

Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. V. 4. „Mites sunt, ait S. Augustinus „*lib. de Serm. Dom.* qui cedunt improbitatibus, „et non resistunt malo; sed vincunt in bono ma„lum.“ Et hi quamnam terram possessuri sunt? Istane terra est, quam modo incolimus, quae mitibus promissa a Christo est? Dicit Apostolus; „Si in hac vita tantum in Christo sperantes su„mus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.“ 1. *Cor.* 15. *v.* 19. Tantum enim abest, ut mercedem nobis terrestrem spoponderit Christus; ut potius praedixerit contrarium. *Joan.* 16. *v.* 22. *Act.* 14. *v.* 21. Itaque haec terra, mitibus promissa, illa intelligitur terra, de qua Paulus ait: „Non enim Angelis subjecit Deus orbem terra„rum futurum„ *Hebr.* 2. *v.* 5. et quam novam secundum Dei promissa exspectamus, 2. *Petr.* 3. *v.* 13. et super quam regnaturi sunt Sancti. *Apoc.* 5. *v.* 10. Lex vetus, cum nihil ad perfectionem adduxisset, *Hebr.* 7. *v.* 19. ideo, neque sibi habuit appositam promissionem mercedis alterius vitae, quam nemo nisi per fidem in Christum, atque justus consequi posset. Attamen bona terrestria sic promissa sunt iis, qui legem observassent cum fide erga venturum Christum; ut sub horum imagine continerentur etiam praemia vitae aeternae: quemadmodum ipsa lacte, et melle manans regio Abrahamo, ejusque posteris promissa a Deo in haereditatem, hanc etiam habuit haereditatis in caelo significationem. a) Hujus itaque terrae typicum nomen etiam hic positum est pro regno caelorum.

Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, παρακληθήσονται, *consolationem per-*

---

a) Vide Institut. Herm. meas V. T. tom. I. C. 4. §. 11.

cipient. V. 5. Dicit Paulus: „Quae secundum „Deum tristitia est, poenitentiam in salutem sta„bilem operatur: seculi autem tristitia mortem „operatur.“ 2. *Cor.* 7. *v.* 10. Ex quo intelligi potest, quibus lugentibus consolationem Christus polliceatur. *Beati, qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* V. 6. Ad vitae sanctimoniam Paulus hortatur, sine qua nemo visurus sit Deum. *Hebr.* 12. v. 14. Istud itaque mundum etiam cor est, atque omnis maculae peccati expers. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* V. 9. „Hic non modo, dissensiones mutuas ait, S. Chry„sostomus *homil* 15. *in Matth.* et inimicitias pro„hibet, sed aliud quidpiam insuper exigit; ut et „alios dissidentes ad concordiam revocemus.“ *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* V. 10. „Vnum praemium, quod est re„gnum caelorum, varie nominatum est.“ S. Augustinus *lib. de Serm. Dom.*

Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos. V. 11. Mercedis incitamento, quam consecuturi in caelo sint, Christus hortatur discipulos ad perferenda adversa illius causa. Hanc ergo mercedem, quam Christus ipse offert, sequi licet: nec dubium esse potest, quin haec vere, et proprie merces intelligenda sit. Merces enim ea vera est, quae in vicem alicujus operae rependitur, aut laboris praestiti; qualis labor non potest non haberi per-

perpessio rerum adversarum Christi causa. Nec tantum Latinis hoc significat merces; sed idem Graecum etiam vocabulum significat μισθὸς, quod hoc loco in Graeco textu Evangelii est. Id, quod confirmant alia quoque Scripturae loca. Nam etiam infra C. 20. v. 8. denarius operariis datus pro labore praestito in vinea ab operariis, dicitur μισθὸς; et merces, qua divites defraudarunt operarios, qui messuerunt eorum agros. *Jac.* 5. *v.* 4. Moysem quoque laudat Apostolus Paulus, quod adspexerit in remunerationem, εἰς τὴν μισθαποδοσίαν, *in mercedis persolutionem.* Hebr. 11. v. 26. Etiam Psalmo 18. v. 12. est de Dei mandatis „ In custodiendis illis retributio multa. „

Augustana, et Helvetica Confessio respuit mercedis etiam nomine accipere regnum caelorum, ne quid hujus causa praestare debeat sui etiam laboris, atque operae. Proferunt autem pro se illa Scripturae loca, in quibus dicimur salutem adipisci per fidem, gratis, et sine operibus, et quemadmodum Ephes. 2. v. 8. sit: „ Gratia „ enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vo- „ bis. Dei enim donum est: non ex operibus, „ ne quis glorietur, „ iterum Rom. 11. v. 6. Si „ autem gratia, jam non ex operibus. Alioquin „ gratia jam non est gratia. „ Atqui Paulus in hoc ipso nunc producto loco ad Ephesios cum dixisset, ipsos Dei gratia esse salvatos per fidem, non ex operibus, ulterius hoc ita declarat: „ Ipsi- „ enim (Dei) factura sumus, creati in Christo „ Jesu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut „ in illis ambulemus. „ Tantumque abest, ut opera excludat bona; ut hanc ipsam etiam gratiam, qua salutem adipiscimur, doceat nobis tributam esse ad opera bona, ut in his ambulemus. Quomodo ergo salus nostra erit Dei donum, et pure ex gratia? quia videlicet ipsa etiam opera

nostra bona sunt effectus Divinae gratiae, quae ad facienda haec nobis per Christum donatur; et non tantum Fides adjuncta sibi debet habere opera, ut salutifera sit; sed etiam absque his ne fides quidem haec alia, quam mortua erit. *Jac.* 2. v. 26.

Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere. V. 17. Solvere καταλῦσαι, dissolvere legem, et Prophetas. Quod iterum dissolvere, ex contra posito huic verbo, *adimplere* intelligendum est, atque ex subsequente asseveratione de omnibus in lege, atque Prophetis adimplendis: *Amen dico vobis, donec transeat caelum, et terra; jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.* Id, quod apud Lucam C. 16. v. 17. sic expressum est: „ Facilius est caelum, et terram praeterire, „ quam de lege unum apicem cadere, „ hoc est, in irritum abire, cassum fieri. Nam sic etiam 1. Reg. 3. v. 19. de Samuele est: „ Et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram" de ejus prophetiis, harumque fide. Est ergo hoc de iis omnibus indubitate, et adcuratissime implendis, et perficiendis, quaecunque per legem, et Prophetas praemonstrata, atque praedicta de Christo essent.

Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum: qui autem fecerit, et docuerit; hic magnus vocabitur in regno caelorum. V. 19. Hoc jam est de lege, quam observare omnes debeant, qui fieri compotes vellent regni caelorum. Ex eo autem, quod dixerat de lege adimplenda per se quoad ea, quae per eam de eo praedicta sunt, istud positum est etiam a Christo tanquam consequens de eadem lege ob-

servanda ab aliis. Infra c. 23. v. 16. seqq. multa nominatim profert, et memorat Christus, quorum violationem levem ducerent scribae, et Pharisaei, et de quibus hunc in modum etiam alios docerent, tametsi res se ita non haberent. Hinc intelligi potest, quaenam ista, et quorum opinione fuerint mandata minima, quae qui solvisset, hoc est, quorum obligationem sustulisset, asserendo, nullius considerationis esse culpam, quae eorum violatione committeretur, atque sic homines docuisset, minimus futurus esset in regno caelorum, id est, nullus. Est videlicet epitheton *minimus* positum pro adverbio: *minime*. Nam sequitur deinde: *Dico enim vobis: quia nisi abundaverit justitia vestra plus, quam Scribarum, et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.* V. 20. Neque enim justitia ulla fuit Scribarum, et Pharisaeorum. Si enim praediti justitia fuissent; ipsos, eorumque similes Christus non dixisset exclusum iri e regno caelorum. Abundare ergo justitia significat hoc loco, prae Scribis, et Pharisaeis praeditum esse justitia, et quam nullam isti habuerint.

Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis. V. 21. Qui irascitur fratri suo, in plerisque codicibus Graecis reperitur addita hic vocula: εἰκῆ, *temere*, immerito, absque causa. Hanc vocem S. Hieronymus *in Comment.* censuit expungendam esse, et in sua Bibliorum Latina correctione etiam expunxit. Idem tam in hoc Commentario suo in Matthaeum, quam in Epistolam ad Ephesios, sensit, omnem iram esse illi-

citam. Hinc David Mich. ansam sumpsit in Adnotationibus suis S. Hieronymum carpendi, quasi correctionem hujus loci fecisset non codicum auctoritate, sed ex sua de ira opinione, et dicit jocalariter, voluisse etiam Christum corrigere, et moralem suam huic imponere. At vero Hieronymum in hoc non sua opinione de ira fuisse ductum, verum codicum auctoritate, declarant haec ejus verba *Comment. in Matthaeum*: „Ceterum in veris definita sententia est (intellige codicibus) et ira penitus tollitur, dicente Scriptura: Qui irascitur fratri suo.“ Etiam S. Augustinus *lib.* 1. *Retract. c.* 19. docet, istud: *Sine causa* in codicibus Graecis non exstitisse, ceteroquin vero eumdem esse sensum: siquidem nonnisi injusta ira intelligenda sit, quam Christus prohibeat. Non ergo Christo suam moralem affingere voluit Hieronymus, sed Davidis Michaelis iste intempestivus in S. Hieronymum sarcasmus est.

Quod antiquitus constitutum fuit adversus homicidium; idem Christus extendit ad iram, et quemadmodum homicidium, ita etiam iram obnoxiam esse docet judicio. Fuit vero homicidio constituta poena capitalis. *Num.* 35. *v.* 31. Ergo reum fieri judicio, etiam propter iram, denotat par crimen homicidio. Concilium, συνέδριον, Judaeis *Sanhedrin* dictum, erat supremum tribunal Jerosolymae constitutum, quo ab omnibus aliis tribunalibus aliarum civitatum causae deferebantur, unde vero ulterior non dabatur adpellatio. a) Intelligitur itaque condemnatio eatenus gravior; quatenus nullo adpellationi relicto loco, certum impenderet reo supplicium. Gehenna est nomen pro-

a) Vide Inst. meas Herm. V. T. tom. I. C. 19. §. 57.

prium vallis prope Jerosolymam, ubi superstitione Gentili infantes idolo Moloch cremabantur, 2. *Par.* 33. *v.* 6. *Jerem.* 7. *v.* 31. postea vero ad dehonestandum locum cadavera pecorum, aliaeque sordes comburebantur. a) Dum irae peccatum in poena homicidio aequatur a Christo; sequitur, hanc intelligi talem iram, qua concepta in animo sit alterius etiam injusta caedes. *Raca* est vox Hebraica, significans vacuum, inanem, vel qua abominatio cujusdam rei exprimitur. Cum ab ira facta sit progressio ad *Raca*, et *fatue*, atque adeo haec ira intelligantur esse graviora; consequens est, ut ista quoque, vel alia convitia evadant peccata mortifera, si ex tali animi malignitate procedant, quae ipsa jam sit peccatum, dignum damnatione.

Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. V. 23. Si ergo (Ἐὰν οὖν) ostendit, hoc nexum esse cum eo, quod de ira proxime antecessit. Etiam idem nexus durat in eo, quod subsequitur: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* v. 25, 26. Sub forma humanorum judiciorum, in quibus ad strictam satisfactionem per sententiam judicis accusatus, si causa cadat, adigitur, monet Christus, ut si quis adversarium quempiam haberet, cum hoc negotium componeret quantocius: ne si causa ad Dei tribunal perferatur, in carcerem mis-

---

a) Vide easd. Instit. tom. I. C. 33. §. 99.

sus poenas det, donec satisfaciat ad novissimum usque quadrantem. Adversarius meus is est, qui mihi injuste adversatur. Attamen cum hoc redire prius in gratiam debeo, quam is me tradat judici. Quia videlicet etiam hunc diligere obligor, et nisi diligam, reus coram Deo fio, a quo praeceptum diligendi etiam inimicum habeo: eo quod proximus meus maneat, quamvis inimicus meus sit, quique a me ob odium, quo in adversarium feror, poenas usque ad ultimum quadrantem exacturus est. Quarta haec assis pars fuit. Solutio itaque haec ad novissimum quadrantem poenarum aeternitatem significat. „Qui enim non „diligit, manet in morte. 1. *Joan.* 3. v. 14. Qui damnantur, Deo satisfacere suo supplicio coguntur pro suis malefactis, quibus illum offenderunt. Non possunt autem quamcunque longa poenarum perpessione satisfacere divinae justitiae. Quantumcunque enim graves hae, atque longae sint; tamen non possunt aequivalere Dei offensioni, cujus sicut infinita magnitudo, ita etiam laesio inexpiabilis per hominem est. „Semper solvit no„vissimum quadrantem, dum sempiternas poenas „terrenorum peccatorum luit.“ *S. Augustinus lib. de Serm. Dom.*

Audistis, quia dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis, quia is, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo. V. 27, 28. Ex Josephi *lib.* 12. *Ant. c.* 13. constat, Pharisaeorum, aliorumque Judaeorum opinionem fuisse, si quis rem, quamcunque flagitiosam, mente duntaxat, et voluntate concepisset, non fieri peccati reum. Itaque hujus contrarium Christus asseruit, et docuit.

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Expedit enim

tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. V. 29. Idem de dextra abscindenda praeceptum Christus dedit ob eamdem causam. Dum more antiquo pugnandi, scutis, atque clypeis uterentur in praeliis, quae sinistra manu gerebant milites, et quibus se tegebant adversus ictus telorum; dexter oculus ita militi erat necessarius, ut nisi absque tegumento scuti se in periculum dare voluisset, nequidem pugnare posset. Dextrae quoque manus prae sinistra potior usus solet esse. Quare hoc Christi praeceptum eo spectat; ut ab iis, quorum usus, et consvetudo perniciosa nobis est ob peccati contagionem, nos removeremus, eorumque consortium vitaremus, quantumcunque hi nobis chari, atque utiles in rebus aliis essent. Quod praeceptum etsi valere debeat adversus omne peccatum; hic tamen speciatim adversus peccatum luxuriae datum est, de quo jam antecesserit, et adhuc continuetur oratio.

Dictum est autem: Quicunque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. (Deut. 24. v. 1.) *Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat.* V. 31, 32. Augustana, et Helvetica Confessio, nec non Graeci, communione Religionis a nobis disjuncti, tenent, per adulterium dissolvi vinculum matrimonii, atque conjugibus esse licitum, aliud inire connubium, quod subsequens justum sit: ac hi omnes verba haec: *Excepta fornicationis causa*, ex parte anteriore volunt pertinere etiam ad hoc subsequens: *Et qui dimissam duxerit, moechatur.* Est itaque controversia hic, utrum haec verba: *Excepta fornicationis causa*, pertineant ad posteriorem etiam partem orationis. Est interpre-

tandi regula, dum quid ambiguum est, sique de hoc recurrat sermo in aliis Scripturae locis; ut haec inter se loca conferantur, atque sic ambiguitas explicetur. Quam in rem hic suppetunt nobis plura loca. Primus est infra C. 19. v. 3. ubi cum Pharisaei quaestionem Christo proposuissent: „Si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa" respondit: „Non legistis, quia qui fe„cit hominem ab initio, masculum, et feminam „fecit eos, et dixit: Propter hoc dimittet homo „patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae, „et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt „duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, „homo non separet." Clarum est, quaestionem a Pharisaeis motam fuisse de dimissione uxoris per ipsius etiam vinculi matrimonii dissolutionem, qui istam deinde talem dimissionem, ubi eam Christus denegavisset, ex Moyse studuerint probare: juxta quem Moysem, omnino uxor, quae dimissa a marito suo fuit per libellum repudii, viro deinde alteri nubere potuit. Ad hanc vero quaestionem, liceretne homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa, sibi a Pharisaeis propositam, Christus ita respondit; ut nullam ostenderit causam, ob quam liceret marito dimittere uxorem, quin etiam insuper addiderit, ne homo separaret, quod Deus conjunxit. Atqui si adulterium esset causa, ex qua, citra laesionem Divinae constitutionis de matrimonio, uxor dimitti posset a marito, aliudque connubium inire, dum certe apposite ad quaestionem respondit; hanc Christus causam explicuisset, non simpliciter dimissionem uxoris a marito denegare potuisset. Quam cum denegaverit citra ullam, etiam ob causam adulterii, exceptionem; sequitur, ex Christi hoc Pharisaeis dato responso, nec per adulterium solvi vinculum matrimonii, divino jure constitu-

tum, nec in praesenti, quem tractamus Scripturae loco, verba haec: *Excepta fornicationis causa*, extendi ad versiculi partem subsequentem.

Alter locus est Pauli 1. *Cor*. 7. *v*. 10. „ Iis, „ qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, „ sed Dominus, uxorem a viro non discedere. „ Quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari. „ Docet ergo Dei praeceptum esse, ne uxor a viro discederet: quod si tamen discederet, duas apposuit conditiones; ut aut innupta maneret, aut viro suo reconciliaretur. Certe autem Paulus si uxor a viro suo discessisset, idque propter adulterium, hanc justam discedendi causam esse agnovit, nec Christo contrarium docuit. Ergo si credidisset, mulierem discedentem a marito ob causam adulterii posse etiam nubere viro alteri, non potuisset ista duo tantum ponere, quae licerent, ut si uxor a viro discessisset, vel deberet manere innupta, vel viro suo reconciliari; sed addere debuisset, etiam nubere posse viro ali, si a priore viro ob adulterii causam discessisset.

Tertius adhuc locus iste est: „ Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. „ Quod si dormierit vir ejus, liberata est. Cui „ vult, nubat, tantum in Domino. „ 1. *Cor*. 7. *v*. 39. Nam si praeter casum mortis, adulterium etiam est, propter quod mulier liberetur a lege viri sui; hoc iterum Paulo declarandum fuisset, nec dicendo, mulierem manere alligatam legi, quamdiu vir ejus viveret, reticendoque casum, quo, vivente etiam marito, solveretur ab ejus lege, rem debite explicuisset: siquidem, si haec liberatio per adulterium etiam fieret; mulier non maneret alligata legi, etiam vivente viro.

Iterum audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis, reddes autem Domino jura-

menta tua. Ego autem dico vobis: non jurare omnino, neque per caelum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Jerosolymam, quia civitas est magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester: Est, est; non, non. Quod autem his abundantius, a malo est. V. 33. Leges sunt constitutae a Deo de non pejerando, *Levit.* 19. *v.* 12. de juramentis Deo reddendis. *Num.* 30. *v.* 3. Est vero Psalmo 62. v. 12. *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*, per Deum. Ipsius Pauli etiam plura sunt exempla jurandi. 2. *Cor.* 1. *v.* 23. *Gal.* 1. *v.* 20. *Philip.* 1. *v.* 8. Ergo, quod Christus dixit, non jurandum, intelligi debet non universe: quid vero sit, quod cavendum in his monuerit, perspicuum ex eo fit: *Sit autem sermo vester: Est, est; non, non.* Est videlicet monitum datum adversus jurandi facilitatem in communi etiam sermone: in quo non tantum peccatur adversus Dei reverentiam, dum is leviter, et frivole in testem vocatur; sed etiam facilitas jurandi non caret periculo pejerandi. Deinde Christus non tantum jurare prohibet; sed illis etiam interdixit jurandi formulis, quas in consvetudine sua habebant Judaei; eo, quod in his semper etiam asseveratio cum jure jurando implicite fieret per ipsum Deum.

Audistis, quia dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, praebe illi et alteram; et ei, qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium; et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo. V. 38.

Lex de oculo pro oculo, et dente pro dente est constituta per Moysem: *Exod.* 21. *v.* 24. pro judicibus autem quoad mensuram poenae pro delicto, non quasi potestas data esset ultionis per seipsum expetendae, et sumendae. At Christus juxta Evangelicam perfectionem docet, malo nequidem resistendum, sed injurias, atque damna patienter ferenda esse, et non tantum ne pro his nobis illatis satisfactionem quaeramus; sed ut ad injurias ultro etiam nos offeramus. „ Quare non „ magis injuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini? „ est etiam hac ratione Corinthiis a Paulo dictum, 1. *Cor.* 6. *v.* 7. dum in causis suis se se ad magistratus, et judices vertissent. — Non obtulit vero Paulus ipse faciem ad ictum denuo accipiendum, cum ei, jubente Anania, principe sacerdotum os fuisset verberatum; sed potius ipse repercussit Ananiam hoc dicto suo: „ Percutiet te Deus paries dealbate! „ *Act.* 23. *v.* 3. Etiam Christus Pontificis servum redarguit, qui colaphum ei inflixit: non alteram maxillam ei obtulit ad percutiendum. *Joan.* 18. *v.* 23. Quo vero in utroque casu facta percussio est, quasi et Christus inconvenienter respondendo Pontifici, et Paulus ficte tantum suam testando bonam conscientiam, percuti meruisset. Docet vero S. Petrus; neminem debere pati, ut homicidam, ut furem, ut maledicum. 1. *Petr.* 4. *v.* 15. Hoc ergo est, quod non tantum Paulus adversus ictum, quem accepit, insurrexerit, verum ipse Christus etiam, qui velut agnus coram tondente se, semper alias dum pateretur, obmutuit, servum tamen Pontificis arguit, a quo erat percussus. — Angariare est Persicum vocabulum, ab Angaris derivatum, regiis ministris in Persia: quorum officium erat regia edicta, et literas eo, quo mittebantur, ferre, et quibus jus fuerat ac-

celerationis causa jumenta, et homines, in quoscunque incidissent, assumere, et cogere ad vecturam praestandam. Dum Judaei sub Persarum imperio fuissent, hoc ad illos a Persis etiam vocabulum transiit. Sciendum vero est, haec de seipso offerendo ad injurias, et damna esse tantum Christianae perfectionis consilia, non legem a Christo nobis positam. Neque enim Christus jus naturale se, suaque tuendi, sublatum esse voluit: at vero de jure suo cedere permissum est.

Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est, qui solem suum oriri facit super bonos, et malos, et pluit super justos, et injustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est. V. 43. Estne in Veteri lege praeceptum a Deo datum de inimicis odio prosequendis? quin potius contrarium esse mandatum, sunt testimonia Scripturae. Est namque Exod. 23. v. 4: „ Si occurreris bovi inimici tui, „ aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asi„ num odientis te jacere sub onere; non pertrans„ ibis, sed sublevabis cum eo. „ Iterum Proverb. 25. v. 21: „ Si esurierit inimicus tuus, ciba il„ lum: si sitierit, da ei aquam bibere. „ Quare censent interpretes nonnulli, hoc, quod Christus memoravit dictum antiquis de diligendo proximo, et odio habendo inimico, fuisse solummodo Pharisaeorum, et Scribarum detortam, ac

praeposteram interpretationem istius in Levitico C. 19. v. 18: „ Non quaeras ultionem, nec me„ mor eris injuriae civium tuorum; diliges ami„ cum, sicut teipsum, „ atque ex eo, quod cives, et amici juberentur diligi, concludentium, hos ergo, non item inimicos esse diligendos. Quemadmodum vero Christus alia, quae antecesserunt, dicta ad antiquos, memoravit, quaeque per Legem fuerunt sancita; ita perinde istud, quin ullum appareat indicium ex Christi locutione, non ipsius legis istud fuisse, sed ex Scribarum, et Pharisaeorum adpositione propriae interpretationis. Quonam modo ergo ista inter se convenient? De hostibus persequendis, et internecione etiam delendis est Israetitis datum a Deo mandatum, *Exod.* 34. *v.* 11. *Deut.* 7. *v.* 2. non tamen privatim, sed publice, adeo, ut ipse etiam Deus arma illos capere jusserit ad ultionem expetendam de Madianitis, *Num.* 25. *v.* 17. et Amalecitis. 1. *Reg.* 15. *v.* 2. In nova autem lege Evangelii ne publica quidem ultio adversus persecutores, et hostes mandata Ecclesiae a Christo est, sed sola data patientia. Ita in hoc quoque Evangelium veteri lege perfectius est.

Hoc: *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* de diligendi affectu intelligi debet, si is proficiscatur ex alia causa, quam quae ipse Deus sit. Quod enim non fit propter Deum; neque rationem alicujus apud eum meriti habere potest. Tantum vero abest, ut non eos, qui nos diligunt, ut sunt parentes, propinqui, benefactores, diligere debeamus; ut eum, qui suorum, et domesticorum curam non habet, S. Paulus dicat etiam infideli esse deteriorem: 1. *Tim.* 5. *v.* 8. quod tamen naturalis amoris impulsu fit, idem ut meritorium fiat apud Deum, debet etiam fieri propter Deum. Dum vero Chri-

stus nos perfectos esse jubet, quemadmodum perfectus Pater noster caelestis est; non perfectionis intelligitur aequalitas, utpote quae nec esse potest, sed hujus perfectionis, cujus exemplum in benefaciendo etiam iniquis, et peccatoribus, a quibus offenditur, Christus proposuit, sola imitatio. „ Estote imitatores Dei, sicut filii charis„ simi. „ *Eph.* 5. *v.* 1.

CAPVT. VI.

Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in caelis est. V. 1. Attendite, ne *justitiam vestram* Graeci codices fere omnes, et Orientales versiones habent τὴν ἐλεεμοσύνην ὑμῶν, *Eleemosynam* (misericordiam) *vestram* faciatis coram hominibus. Eamdem lectionem S. Chrysostomus, et Graeci Patres omnes sequuntur. Patres vero Latini locum ita exhibent, quemadmodum est in Vulgata, cum qua Mss. etiam codices Graeci aliquot congruunt. Nec per justitiam hoc loco aliud etiam intelligi, quam eleemosynam, contextus orationis ostendit. De beneficientia enim etiam deinde continuatur oratio: *Cum ergo facis eleemosynam* etc. Nec difficile perspectu est, quomodo in Graecis codicibus pro δικαιοσύνη, declarationis causa primum ad marginem positum sit, deinde vero in ipsum etiam textum intraverit hoc ἐλεεμοσύνη. Haec autem appellatur justitia,

quatenus tribuens eleemosynam meritum acquirit justitiae, et quemadmodum omnis actio mala iniquitas sit, ita in contrarium actio bona sit justitia.

Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritae faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. V. 2. Tubae vox est admodum sonora. Harum usus in castris fuit apud Israelitas ex ipsius Dei praescripto, in solennibus etiam sacrificiis, et in noviluniis. *Num.* 10. *v.* 10. Adhibebantur autem ad multitudinem convocandam, vel ad signum dandum, aliquidque promulgandum. Hinc quomodo phrasis sumpta sit ad significandam aliquam ostentationem facile perspectu est. Dicunt, apud Turcas morem esse mendicis, cornu, quod appensum sibi gerant, inflare, dum petunt eleemosynam, atque hinc volunt Neoterici manasse hanc phrasim etiam apud Hebraeos: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* Atqui expresse dicitur, *sicut hypocritae faciunt.* Ergo assimiliatio non est cum mendicis, sed cum hypocritis se se ostentantibus, atque ostentatio ad captandam vanam gloriam ab hominibus ex eleemosyna assimilatur tubae cantui.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. V. 3. Habet hoc formam cujusdam proverbii, quo significatur, occultissime esse servandum opus eleemosymae, ut si fieri posset, etiam illum lateat, qui hanc tribuit. Est vero C. 5. v. 16. „Sic lu„ceat lux vestra coram hominibus, ut videant ope„ra vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, „qui in caelis est.“ „In quo apparet, ait S. Au-

„ gustinus *lib.* 2. *de Serm. Domini* cap. 1. non „ hoc eum prohibuisse, ut recte fiat coram homi- „ nibus; sed ne ob id forte recte fiat coram ho- „ minibus, ut videamur ab eis, id est, ut hoc in- „ tueamur, et ibi finem nostri propositi colloce- „ mus."

Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. V. 5. „Receperunt mercedem su- „ am, non Dei mercedem (a Deo tribuendam) sed „ suam. Laudati enim sunt ab hominibus, quo- „ rum causa exercuere virtutes" ait S. Hieronymus *in Comment.*

Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. V. 6. „Quid igitur, „ in Ecclesia non est orandum, sed cum volun- „ tate tali. Nam Deus ubique cum sit, gestorum „ scopum requirit. Alioquin, si in cubiculum in- „ gressus sis, januamque claudas, idque ad osten- „ tationem facias, nihil tibi januis opus est. „ S. Chrysostomus *homil.* 19. *in Matth.*

Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici. Putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis. Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum. V. 7. Ex eo, quod instar causae positum a Christo est, cur dixerit, inter orandum non esse multum loquendum; perspicuum fit, quale illud Gentilium inter orandum fuerit multiloquium. Dum videlicet hi a suis diis quidpiam peterent, hoc multis verbis exponebant, quasi docendi causa, quid illud esset, quod peterent, et quomodo se haberet: idemque mul-

tis vicibus iterabant, ne diis e memoria excideret. Nam ceteroquin etiam de ipso Christo est, hunc prolixius orasse, et in oratione pernoctasse. *Luc.* 6. *v.* 12. *C.* 22. *v.* 43. „ Vbi, quid aliud, „ ait S. Augustinus *Epist.* 130. *ad Probam*, „ quam nobis praebebat exemplum? „ Ipsius Christi etiam haec sunt verba: „ Vigilate, omni tem„ pore orantes„ *Luc.* 21. *v.* 36. Paulus quoque ad Thessalonicenses scribens „ Sine intermissio„ ne, inquit, orate.„ 1. *Thess.* 5. *v.* 17.

Sic ergo orabitis: Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum. V. 9. Dicit Apostolus: „ Non enim accepistis spiritum „ servitutis iterum in timore; sed accepistis Spi„ ritum adoptionis filiorum, in quo clamamus „ Abba, Pater! „ *Rom.* 8. *v.* 15. Juxta ergo hunc adoptionis nostrae in Dei filios Spiritum Christus etiam Deum vocare Patrem discipulos docuit. Lucas refert C. 11. v. 1. Christum ab uno suorum discipulorum interpellatum, tradidisse ipsis hanc formulam precandi. Idem hunc Christi sermonem, habitum in monte, jam prius retulerat C. 6. Quare alteruter Evangelista hanc orationem non retulit suo loco, quantum attinet ad historiae seriem. *Sanctificetur nomen tuum.* „ Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum „ nomen Dei; sed ut sanctum habeatur ab homi„ nibus, id est, ita illis innotescat Deus, ut non „ existiment aliquid sanctius, quod magis offen„ dere timeant. „ S. Augustinus *lib.* 2. *de Serm. Dom. cap.* 5.

Adveniat regnum tuum. V. 10. „ Nihil est „ aliud, quam optare, ut dignos nos faciat regno „ suo." S. Augustinus Epist. 130. ad Probam. *Fiat voluntas tua sicut in caelo, et in terra.* „ Non ut Deus faciat, quod vult; sed ut nos fa„ cere possimus, quod Deus vult." S. Cyprianus

lib.

lib. de Orat. Dom. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* V. 11. Istud se S. Hieronymus *in Comment.* dicit ideo sic posuisse, dum Latinam versionem limasset ad textum Graecum; quod in Graeco Matthaei Evangelio esset: τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον. Nihilominus ex Latina vetere versione etiam modo retinemus in hac formula inter orandum: *Panem nostrum quotidianum.* Quae re inter se non differunt. Nam Graecum ἐπιούσιον illud significat, quod ἐπὶ οὐσίαν, *super substantiam* venit. Cibus vero, quem sumimus, et quo sustentamur, nobis supervenit, dum in nostram vertitur substantiam, et quo quotidiano, ad vitam sustentandam, indigemus. Quare etiam S. Chrysostomus *hom.* 19. *in Matth.* lingvae Graecae scientissimus „Quid est, inquit, „panem ἐπιούσιον? id est, quotidianum."

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et ne nos inducas in tentationem. V. 12. Dicit Jacobus: „Deus neminem tentat: unusquisque vero tenta„tur a concupiscentia sua abstractus, et illectus; „deinde concupiscentia cum conceperit, parit pec„catum." *Jac.* 1. *v.* 13. Attamen Deus tentavit Abraham. *Gen.* 22. *v.* 1. Tobiae quoque dictum est: „Quia acceptus eras Deo; necesse fuit, ut „tentatio probaret te." *Tob.* 12. *v.* 13. Quorum alterum factum est per mandatum rei difficillimae, ut Abraham unigenitum suum, quem tenerrime diligebat, immolaret filium; alterum per caecitatis plagam, qua affectus Tobias est ad ejus constantiam probandam in Dei obsequio: neutrum ex proposito, et voluntate inducendi ad peccatum. Est infra C. 26. v. 41. dictum Apostolis a „Christo: „Orate, ut non intretis in tentationem." Ex quo intelligitur, tantum abesse, ut Deus hominem velit peccare, et instiget ad peccandum;

ut potius suum is in Deo auxilium habeat, ne perscipsum, suaque illectus cupiditate intret in tentationem, atque huic consensum praebendo peccet. Orando igitur, ne nos Deus in tentationem inducat, hoc petimus, ne nos per nos sinat intrare in tentationem, sed infirmitati nostrae, dum tentamur, ne victi succumbamus, auxilium ferat.

Sed libera nos a malo. V. eod. A malo, ἀπὸ τȣ̃ πονηρȣ̃. Hoc nomine ipse diabolus *Matth.* 13. *v.* 19. 1. *Joan.* 2. *v.* 43. *etc.* designatur. Idem quod nos tentet, perhibetur 1. *Petr.* 5. *v.* 8. 2. *Cor.* 2. *v.* 11. *Eph.* 6. *v.* 12. *Joan.* 13. *v.* 2. *Act.* 5. v. 3. etc. Quod si ergo hic per malum, a quo ut liberemur, Christus orare nos docuit, diabolus intelligeretur, non esset haec distincta petitio, sed tantum continuatio superioris pro auxilio adversum diaboli tentationes. Distincta vero petitio indicat, non eamdem esse rem, quae petitur. Hoc ergo svadet, non tantum esse jam implorationem auxilii contra periculum peccandi, sed supplicationem pro liberatione a poenis, et peccatorum venia, qua omnes indigemus. „In multis „enim offendimus omnes." *Jac.* 3. *v.* 2. — In Graecis codicibus ante voculam, *Amen*, sunt ista: ὅτι σȣ̃ ἐςιν ἡ βασίλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τȣ̀ς αἰῶνας, *Quoniam tuum eſt regnum, et potentia, et gloria in secula.* Cujus additamenti nullam S. Hieronymus in Commentario facit mentionem, nec ad Biblia hoc Latina intulit, dum ista juxta Graecum emendasset. Sed neque in Vaticano, pluribusque aliis codicibus Graecis exstat: abest quoque ex Arabica, et Coptica versione. Ex Graecorum liturgia, in qua subjiciuntur ista orationi Dominicae a sacerdote, videntur eadem ad Biblia etiam illata esse. — Lucas hanc precationem habet sine his duabus petitionibus: *Fiat voluntas tua*, et *libera nos a malo.* Sic haec praetermisit ex hac precatione; quem-

admodum ex his quos Matthaeus distincte octo praedicavit beatos initio superioris capitis, ipse etiam tantum memorat quatuor.

Cum autem jejunatis, nolite fieri, sicut hypocritae, tristes. Exterminant enim facies suas, ut adpareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito. Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. V. 16. Iterum ad ostentationis fugam, laudis captandae ab hominibus causa, hoc pertinet, ut jejunans ungat caput suum, pretioso videlicet, et odorifero ungvento, sicut in lautis, splendidisque conviviis fieri solebat: quale illud etiam supra fuit de precationibus instituendis in cubiculo clauso. Neque enim profecto ipse etiam Christus ungventa adhibuit, dum dies quadraginta jejunasset. — Sectatores Augustanae, et Helveticae Confessionis jejunium apud se sustulerunt, tanquam satisfactionis opus, cui jam locus esse non debeat sub Gratia in lege Evangelii. Aliamne vero modo Christus, quam Evangelii sui doctrinam tradidit discipulis? Quod si autem sub Evangelio jam nullum mansisset jejunium, nec esse debuisset; hoc Christum declarare oportuisset, non docere, quomodo jejunandum esset Quid enim attinebat docere, qualiter agendum sit, quod agi non debuit? Sique contrarium futurum erat Evangelio, jejunare; nulla etiam hoc habere praecepta potuit de ratione jejunandi. Idem docet, meritum esse jejunii apud Deum, dum dicit, jejunanti in abscondito Patrem, qui videt in abscondito, esse redditurum. Dum vero hoc se ita adversus Protestantes habet, quid censendum est de eo, quod Anton. Carolus Reyberger asseruit Ethicae Chri-

stianae. *Tom. III. pag.* 175. „In alimentorum „usu nonnisi intemperantia criminis notam sem- „per habet. In ipsa ciborum abstinentia nihil „sanctitatis, nihil meriti situm est: quare etiam „his fruentem damnare nunquam fas est." Hanc profecto Ethicam Christianam Apostolus Paulus ignorare debuit ad Corinthios scribens: „Exhibe- „amus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa „patientia -- in laboribus, in vigiliis, in jejuniis." 2. *Cor.* 6. *v.* 5. Quid? Christus ipse num quadraginta dierum jejunio se afflixisset; si haec Ethica Reybergeriana, se Christianam Ethicam dicens, ex Christi disciplina fuisset?

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo, et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in caelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex; totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt? V. 19. Postquam dixisset, cujusque cor ibi esse, ubi thesaurum suum haberet; hunc vero non esse constituendum in terra, sed in caelo, ubi iste incorruptus permaneat; nec vanae laudis studio esse homini agendum, jam prius docuisset, quo orationis, et jejunii opus bonum etiam depravetur, ac demum subjecit, *Lucerna corporis tui est oculus tuus;* intelligitur, quo istud quoque de oculo, qui corporis lucerna sit, accipiendum sit. Corpus hominis totum, in itu, ductum oculorum sequitur. Quod ergo oculi sunt in corpore; idem debere esse menti scopum, quo omnia dirigat: et perinde ut se iste habuerit, sic futura omnia hominis opera. „Oculum ergo hic,

„ait S. Augustinus *lib.* 2. *de Serm. Dom.* c. 13. „accipere debemus ipsam intentionem, qua faci„mus, quidquid facimus. Quae si munda fuerit, „et recta, et illud adspiciens, quod adspicien„dum est; omnia opera nostra, quae secundum „eam operamur, necesse est, bona sint. Quae „omnia opera totum corpus appellavit. *Si ergo* „*lumen, quod in te est, tenebrae sint, tene*„*brae quantae?* Hoc est, si ipsa cordis intentio, „qua facis, quod facis, sordidatur appetitu re„rum terrenarum, et temporalium, atque cae„catur, quanto magis ipsum factum."

Nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire, et mammonae. V. 24. Ne quis putaret, posse se Deo actione sua placere, quam ad Deum dirigit, sed ita, ut praeter hunc erga Deum scopum, alterum etiam finem suae actionis habeat; ideo dicit Christus: *Nemo potest duobus dominis servire. Non potestis servire Deo, et mammonae.* Mammona in Syriaca, Chaldaica, et Punica lingva significat divitias. Domini vero duo, quibus ambobus nemo possit servire, tales intelliguntur; qui sibi adversantur, et contraria imperant. Nam si consentientes inter se sint; nihil impedit, quo minus mos duobus geratur, vel etiam pluribus. Adversantur vero sibi Dei, et rerum mundanarum amor. „Quia amicitia hujus mundi inimica „est Dei. Quicunque ergo voluerit amicus esse „seculi hujus, inimicus Dei constituitur." *Jac.* 4. *v.* 4. 1. *Joan.* 2. *v.* 15. Mammona, species una mundanarum rerum, posita est pro genere.

Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animae vestrae, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. V. 25. Ne solliciti sitis, μὴ μεριμνᾶτε, significat sollicitudinem, et curam cum

anxietate conjunctam. Quare S. Hieronymus in Commentario „ Labor, inquit, est exercendus, „ sollicitudo tollenda. „ — *Quis autem vestrum cogitans*, (μεριμνῶν, anxie, sollicite curans) *potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Eo hoc pertinet, quod sicut statura non pendet ab hominis propria industria, sed quam Deus tribuerit, ita neque vitam hominis, hujusque conservationem, sed esse hanc sub providentia Dei, et unde confirmat id, quod prius dixerat, anxiam de nobis ipsis sollicitudinem esse nobis cavendam. „ Jacta super Dominum curam tuam, et „ ipse te enutriet „ est Psalmo 54. v. 23. S. Petrus quoque, „ Omnem sollicitudinem, inquit, „ vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cu„ ra est de vobis. „ 1. *Petr.* 5. *v.* 7.

Nolite ergo solliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut bibemus, aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt. V. 28. Cum Gentiles, fidei oculo carentes, nihil de praemiis in caelo scirent; aut si quid boni crederent, posse homini post mortem contingere, id tamen simile terrestri felicitati ducerent; in commodis istius vitae, terrestrisque voluptatis omnia sua posita habebant. — *Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus* (αὐτȣ̃) *et haec omnia adjicientur vobis.* V. 33. Pronomen αὐτȣ̃, quod masculini generis est, refertur ad antecedens nomen non *regnum*, quod in Graeco, βασιλεία, feminini est, sed ad nomen *Deus.* Justitia autem Dei hic non illa intelligitur, qua Deus justus est, ut inquit S. Augustinus *lib. de Gratia, et Lib. Arbitr. c.* 12. sed quae justitia homini ex Deo est, juxta illud Pauli: „ Inveniar „ in illo (in Christo) non habens meam justiti„ am, quae ex lege est, sed illam, quae ex fide

„ est Christi Jesu: quae ex Deo est justitia in „ fide. „ *Phil.* 3. *v.* 9.

Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua. V. 34. „ Cras in Scri- „ pturis, sunt verba S. Hieronymi *in Comment.* „ futurum tempus intelligitur. „ Cujusmodi exempla sunt *Deut.* 6. *v.* 20. *Jos.* 4. *v.* 6. etc. Sollicitudinem vero docet Christus non esse extendendam in crastinum ideo; quod diei sufficiat malitia sua. Ex quo perspicuum fit, eam, quam prius sollicitudinem adpellavit, vocare deinde malitiam. Nam idcirco docet, sollicitudinem non esse gerendam de crastino, quod cum praesens dies jam satis per se habeat sollicitudinis, et molestiarum; haec insuper alterius etiam diei cura, et sollicitudine gravanda non sit. „ Malitiam hic vocat, „ ait S. Chrysostomus *homil.* 22. *in Matth.* non „ improbitatem, absit: sed miseriam, laborem, „ et aerumnas, sicut et alibi ait: Si est malitia „ in civitate, quam non fecit Dominus. „ *Amos.* 3. *v.* 6.

CAPVT VII.

Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides?
V. 1. „ Si judicare prohibet, (S. Hieronymus in „ Comment.) qua consequentia Paulus in Corin- „ tho judicat fornicantem? (1. Cor. 5. v. 3.) et „ Petrus Ananiam, et Saphiram mendacii coar- „ guit? „ (Act. 5. v. 4.) Et sane plurima sunt in Scriptura loca, ex quibus manifestum fit, non tantum iis, qui praesunt, sed etiam privatis jus judicandi alium, et saepe obligationem impositam esse. Nam Matth. 18. v. 15. 2. Tim. 4. v. 2. saepiusque alibi praeceptum datur ejus, qui peccavit, monendi, et corrigendi. Quomodo vero in hunc, nisi temere involabo, ut eum culpem, et arguam; nisi de hoc judicium prius fecero, ut mihi certum fiat, peccasse? „ Ex consequentibus „ (ait iterum S. Hieronymus cit. loc.) quid pro- „ hibuerit, ostendit dicens: Quomodo enim judica- „ veritis, judicabitur de vobis. Hic non prohibuit „ judicare, sed docuit. De his loquitur, qui cum „ ipsi mortali crimine teneantur obnoxii; minora „ peccata fratribus non concedunt, culicem liquan- „ tes, et camelum glutientes. Recte ergo et isti si- „ mulatione justitiae, ut supra diximus, appellantur „ hypocritae, qui per trabem oculi sui festucam in „ oculo fratris sui adspiciunt. „ Itaque intelliguntur ii, qui specie justitiae inclementes sunt, et rigidi in culpandis, et puniendis aliis ob levia delicta, dum

ipsi rei gravium criminum sunt, quos Deus idcirco etiam juxta omnem rigorem justitiae judicaturus sit.

Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis (projiciatis) *margaritas vestras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.* V. 6. Alterum hoc: *Et conversi dirumpant vos*, refertur ad canes. „ Canes, ait S. Augustinus *lib.* 2. *de Serm. Dom.* „ *c.* 20. pro oppugnatoribus veritatis, porcos „ pro contemptoribus positos non incongrue ac„ cipimus. „ Quemadmodum reprehensionem alterius, animo maligno factam, Christus reprobavit; ita pariter cavit, ne verba in eos profundantur, qui istis tantum abusuri sunt.

Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur. V. 7. Dicit Jacobus: „ Petitis, et non accipitis, eo quod male „ petatis, ut in concupiscentiis vestris insuma„ tis. „ *Jac.* 4. *v.* 8. Dum ergo dicitur, omnem accepturum id, quod petit; intelligendum est, si bene petat: et male omne illud peti, quod tale est, ut tantum cupiditati serviat. „ Tu, ait „ S. Chrysostomus *homil.* 29. *in Matth.* nihil „ mundanum petas, sed spiritualia omnia, et „ certo accipies. „ Sed etiam ipsum hoc declaratum per S. Joannem est, cujus haec verba sunt: „ Quia quodcunque petierimus se„ cundum voluntatem ejus (Christi) audit nos. „ 1. *Ep.* 5. *v.* 14. — Aut quis est (Ἢ τίς ἐστιν, *Num quis est*) *ex vobis homo, quem si petierit filius panem, numquid lapidem porriget ei? aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto ma-*

gis Pater vester, qui in caelis est, dabit bona petentibus se? V. 9. Hoc extremum sic apud Lucam 11. v. 13. est: „ Quanto magis Pater „ vester de caelo dabit Spiritum bonum petenti- „ bus se? „

Intrate per angustam portam, quia lata porta, et spatiosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, et arcta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam! V. 13. „ Lata via, ait S. Hieronymus *in* „ *Comment.* est seculi voluptas, quam appetunt „ homines. Angusta, quae per labores, et jeju- „ nia panditur, quam et Apostolus ingressus est, „ 2. *Cor.* 6. *v.* 4. *C.* 11. *v.* 23. et ut Timotheus „ per eam ingrediatur, hortatur. 2. *Tim.* 2. *v.* 11. „ Simulque considera, quam signanter de utra- „ que via locutus sit. Per latam multi ambulant; „ angustam pauci inveniunt. Latam non quaeri- „ mus, nec inventione opus est. Sponte se of- „ fert, et errantium via est. Angustam vero nec „ omnes inveniunt; nec qui invenerint, statim „ ingrediuntur per eam. Siquidem multi inventa „ veritatis via, capti seculi voluptatibus, de me- „ dio itinere revertuntur. „

Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum. V. 21. Qui Christo dicit: Domine, Domine! is Christum invocat. At vero hunc invocare non posset, nisi in illum crederet. „ Quomodo enim invoca- „ bunt, in quem non crediderunt? „ *Rom.* 10. *v.* 14. Si ergo non omnis Christo dicens: Domine, Domine! intraturus est ad regnum caelorum; ergo neque omnis credens, et fidem in Christum habens. Quid autem est, Dei voluntatem facere,

quod praeter Fidem Christus necessarium esse docet ad intrandum in regnum caelorum? Lex, quam Deus homini dedit, demonstrat, quid is fieri velit. Nam quod praecipit, hoc certe etiam vult: nec praeciperet, quod fieri nollet. Ergo observare Dei legem est facere Dei voluntatem, et observare Divinam legem necessarium est ad obtinendum regnum caelorum. „ Si vis ad vitam „ ingredi, serva mandata. „ *Matth.* 19. *v.* 17.

Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine! nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos. Discedite a me, qui operamini iniquitatem. V. 22. Illa dies, dies mundi intelligitur ultima, in qua fiet judicium. Sic illa dies cum emphasi pro die extrema mundi poni solet etiam alibi, ut 2. Thess. 1. v. 10. 2. Tim. 1. v. 12. eadem etiam solet dici dies Domini, dies Christi, dies adventus Domini. Phil, 1. v. 20. 1. Cor. 1. v. 8. 2. Cor. 1. v. 14. Virtutes in praesenti loco positae sunt pro prodigiis, et miraculis, prout etiam infra C. 13. v. 58. in hac significatione hoc vocabulum usurpatur. Novisse, positum est pro bene affectum esse. *Psal.* 1. *v.* 6. 1. *Cor.* 8. *v.* 3. „ Quod Christus demonstrare volebat, hoc erat, „ neque fidem, neque miracula valere vita non „ consentiente. „ S. Chrysostomus *homil.* 24. *in Matth.*

Et factum est, cum consummasset Jesus verba haec, admirabantur turbae super doctrina ejus. Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, et non sicut Scribae eorum, et Pharisaei. V. 28. Erat docens sicut potestatem, ἐξουσίαν, *auctoritatem* habens. Christus videlicet illud, quod docebat, suo etiam nomine

praecipiebat, non tantum his utendo verbis: *Ego dico vobis*, sed etiam aliter statuendo de his, quae erant constituta per Moysem, et quale, verbi gratia, illud fuit in lege data per Moysem de libello repudii, et facultate nubendi concessa repudiatae mulieri a viro suo: quod Scribae, et Pharisaei facere in lege Moysis non poterant.

CAPVT VIII.

Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod praecepit Moyses in testimonium illis. V. 4. Leprosus iste in conspectu totius multitudinis, quae in monte cum Christo fuit, ejusquè sermonem ibi habitum, audivit, liberatus a lepra sua per Christum est. Ne cuipiam itaque hoc diceret, quod palam erat actum, ad eos tantum pertinebat, ad quos ibat, videlicet ad sacerdotes, quorum erat testari, vere liberatum esse a lepra, ut ita hi prius dicerent testimonium hoc, quam rescivissent, qua ratione istius hominis, facta liberatio a lepra esset, atque ita per testes, minime suspectos, utpote Christo non bene affectos, magis exsplendesceret ipsius prodigium. Homo a lepra liberatus certum piaculare sacrificium offerre debebat, cujus fructus redibat ad sacerdotes, quorum erat testari de liberatione a lepra. Hoc itaque erat munus, quod a Moyse erat praeceptum, atque praemium erat testimonii praestiti per sacerdotes. Hanc curationem leprosi refert etiam Marcus

Cap. 1. v. 4. et Lucas Cap. 5. v. 12. Hic vero in una civitatum dicit, hunc leprosum curatum a Christo esse: at vero Matthaeus dicit, hoc fecisse Christum, ubi descendisset e monte, et antequam introivisset in civitatem Capharnaum. Quia nempe Lucas civitatem Capharnaum sumpsit una cum ejus territorio. Neque enim leproso licebat esse intus in civitate ob periculum contagionis.

Paulusius in hoc leproso *Tom. I. Commentarii sui pag. 790.* tale dat hic specimen suae interpretationis. Dicit, non omnem lepram fuisse contagiosam; ad sacerdotes vero pertinuisse apud Hebraeos ex eorum politico instituto, videre, et investigare, quale genus leprae id esset, qua quis affectus erat, ut si contagiosum esset, homo iste ex consortio aliorum excluderetur. Itaque hujus tantum etiam rei causa, ut exquirerent, qualisnam lepra esset, et contagiosa, nec ne, et hunc, et ceteros omnes leprosos, quos Evangelistae referunt, curatos esse a Christo, venisse ad Christum: quodque dicunt, istos mundatos esse a lepra per Christum, non aliud significare, quam declarationem, esse eorum lepram mundam, id est, ut ille vult, non contagiosam, Ita una interpretatione sua ex omnibus leprosorum curationibus per Christum, quas referunt Evangelistae levissimo negotio, putat se se posse sufferre prodigium. Nam dum leprosus sic Christum invocavit: *Domine, si vis, potes me mundare*, Christus vero respondit: *Volo*, et praecipiendo dixit: *Mundare*, ad ejusque imperium *confestim mundata est lepra ejus;* significantne ista, tantum Christum consultum esse ab leproso de genere leprae, qua affectus erat, an subitam ejus depulsionem virtute Christi? Dat Evangelistae verbis significationem, quam ipse vult, atque ita sensum etiam statuit pariter a se tantummodo fictum, at-

que hunc venditat pro Evangelii sensu impudenter, dum falsitas, et interpretationis sycophantia tam se clare ostendit.

Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit. V. 9. Fuit haec Centurionis argumentatio a minore, ut dicunt, ad majus. Rogaverat Christum, ut tantum verbo diceret, ut sanus fiat ejus puer, indignum se reputans, ad cujus domum, ejusdem pueri sanandi causa, veniret. Nam si ad ipsius vocem fieret, quod militi, aut servo suo imperasset, quamvis etiam ipse alieno subesset imperio; multo id magis praestare posse Christum. Non tantum ergo Christi eam potestatem confessus est, qua solo verbo, et absens posset sanitatem ejus puero tribuere, si vellet; sed hanc etiam professus est eam, in qua a nemine penderet alio se superiore. — *Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* V. 10. De Christo, quod admiratus sit, proprie intelligi non potest. Habet enim admiratio, sumpta proprie, semper aliquid, quod vel praeter exspectationem contigit, vel plane supra captum sit ejus, qui miratur. Nec ista Christo Centurionis fides inexspectata fuit, aut quomodo hanc Centurio habuerit, non concepit; qui hanc in illo operatus est. Non aliud ergo haec admiratio in Christo significat; quam solam ostensionem rei, quae merito sit admiranda iis, quibus eam ostendit admiratione dignam esse. Dum Christus fidem, quam in hoc Centurione reperit, dicit, se non invenisse in Israel; intelligitur hic fuisse Gentilis. Alioquin ista Centurionis fides fuisset inventa in Israel, si ipse fuisset Israelita. Nec sequitur, hujus fidem fuis-

se majorem fide Apostolorum, Joannis Baptistae, aut ipsius etiam Virginis Deiparae. Semper enim ex eo, quod maximas partes continet, latissimeque funditur, totam rem appellari, est ab ipso etiam Oratorum Principe dictum quodam in loco.

Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno caelorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. V. 11. Quemadmodum Centurio Gentilis fide sua superavit Israelitas; ita declarat Christus etiam deinceps futurum, ut Gentiles antecederent eosdem Israelitas in fide erga Christum. Iidem consessuri dicuntur cum Abrahamo, Isaaco, et Jacobo, tanquam eorum filii: in quorum familiam, et progeniem inserti essent per Fidem. *Gal.* 3. *v.* 7. 29. Israelitae filii regni vocantur inde, quod promissio de Christo, atque ejus regno ipsis, non Gentilibus esset facta. *Act.* 13. *v.* 32. *Rom.* 15. *v.* 8. 9. Cum regnum caelorum assimilatum esset convivio, in quo cum Abrahamo, Isaaco, et Jacobo recubituri sint credentes in Christum; exclusio etiam ex hoc convivio dicitur ejectio in tenebras exteriores, hoc est, in locum a convivio remotissimum, et quo lux e convivio, quae vesperi ad lumina consveverant agitari, nulla posset pertingere.

Lucas rem hanc eandem de Centurione referens C. 7. v. 2. dicit, ab hoc missos esse primum Seniores Judaeorum, qui Christum rogarent; ut ad eum veniret, ejusque servum curaret: Christum cum his ivisse: cumque jam adpropinquaret domui, iterum ei occurrisse Centurionis amicos, ab eo missos, qui deprecarentur, ne veniret, sed solo verbo juberet esse servum ejus sanum. Nempe Matthaeus, compendio usus narrationis, totum hoc per Centurionem factum esse dixit,

quod iste partim per Seniores Judaeorum, partim per amicos suos egit. Nam non eo minus hoc ipsius Centurionis fuit, quod per alios egit.

Vespere autem facto, obtulerunt ei multos daemonia habentes: et ejiciebat Spiritus verbo, et omnes male habentes curavit, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et aegrotationes portavit. V. 16. Ex Isaiae 53. v. 4. est hoc. Juxta quod Isaiae vaticinium etiam a S. Petro est dictum: „ Qui pec- „ cata nostra ipse pertulit in corpore suo super „ lignum. „ 1. *Petr.* 2. *v.* 24. Morbos vero, et infirmitates nostras in se non suscepit Christus, nec sustulit, quibus adhuc obnoxii sumus. Christus in cruce pertulit peccata nostra, hoc est, peccatorum poenas. Ex peccato vero sicut mors, ita morbi quoque, et infirmitates omnes nostrae pullulaverunt. Obnoxii sumus adhuc modo morbis: quia etiam inimica mors destruetur tantum in novissimo mundi die. 1. *Cor.* 15. *v.* 26. Attamen, dum Christus auferret morbos ab his, quos curaverat; ejus initium per illum factum est, quod plenum, atque perfectum daturus est, dum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem. 1. *Cor.* 15. *v.* 53. Quatenus ergo hoc agi coepit per curationem morborum, quod est in Isaiae vaticinio; eatenus etiam hoc Matthaeus per eamdem curationem dixit, impletum esse.

Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. V. 20. Hoc scribae cuidam Christus dixit, qui se obtulit ad eum sequendum. Iste videlicet, si receptus fuisset a Christo, emolumenta sperabat, et sectabatur nonnisi terrestria, hujus-

hujusque vitae. Horum itaque spem Christus suo illi responso praecidit.

Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum. Jesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. V. 21. Hoc iste petebat, dum Christus ad se sequendum eum vocasset, quemadmodum docet Lucas C. 9. v. 59. Idem refert, huic insuper dictum esse a Christo: „ Tu autem vade, et annuncia regnum Dei. „ Non fuisset longa opus mora ad sepulturam peragendam, quam praestare cum aliis pium, tum multo magis parentibus. At voluit docere Christus, quanto illud magis, cujus causa illum assumpsit, curandum esset, omnibusque rebus aliis anteponendum, atque ipsi etiam officio erga parentes, sed tali, qualis erat sepultura: quam cum alii essent, qui praestarent; nihil dispendii, nequidem ex honore sepulturae passus est ejus pater. Nam si quod necessarium fuisset officium, tantummodo etiam ad subsidium hujus vitae spectans, Christus, qui Pharisaeos redarguit, quod Dei mandatum de honorandis parentibus irritum fecissent, illud Deo offerendo, quod necessarium esset ad sustentandos parentes, *Matth.* 15. *v.* 6. et qui per Paulum pronunciavit, eum, qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, Fidem negasse, et esse infideli deteriorem; 1. *Tim.* 5. *v.* 8. numquam hoc prohibuisset. Ipse dixit, se non venisse ad solvendam, sed ad adimplendam legem. *Matth.* 5. *v.* 17.

Daemones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per praeceps in mare, et mortui sunt in

aquis. V. 31. Hoc Christi factum solet carpi ab incredulis. Non fecit vero ipse his damnum, quorum porci fuerunt; sed tantum permisit daemonibus, ut in porcos possent intrare. Et numquid damnum non vidit, quod hinc sequebatur? Omnino vidit. Homo, si tantum homo sit, non habet jus vel permittendi, quod noxium alteri est, si impedire damnum possit. Hoc enim malum eo volente fit, quod cum posset, tamen non impedivit. Christus vero, homo quidem, sed una etiam Deus, eadem ratione hoc potuit sinere fieri, quin accusari possit, siquidem Dominus omnium sit; qua omnia mala, atque damna, quae quotidie cernimus, permittente Deo, contingunt. Ex Dei autem tam justitia, quam sapientissima providentia fiunt omnia, etiam quae mala sunt, in mundo: quin tamen nostrum esse debeat, videre has divinae providentiae rationes.

CAPVT. IX.

Et ecce offerebant ei paralyticum, jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. V. 2. Rem hanc cum pluribus adjunctis refert Marcus C. 2. v. 1. et Lucas C. 5. v. 17. Christum sedentem in domo docuisse, Pharisaeis et legis doctoribus circum illum sedentibus, tanta circumsistente hominum multitudine, ut eam locus capere non posset: istos, qui paralyticum attulerant, cum intrare per portam non potuissent, tectum domus adscendisse, amotisque tegulis, et foramine facto in tecto, per hoc paralyticum funibus demisisse una cum lecto eo, ubi sedens docebat Jesus.

Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Vt quid mala cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: Surge, et ambula? Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam. V. 3. Prodigio, quo sanavit paralyticum subito, et solo verbo, ostendit se habere etiam potestatem dimittendi peccata. — Paulusius *Comment. Tom.* 1. *pag.* 514. et in hoc paralytico sic, quemadmodum modo dictum est, repente sanato, et in socru Petri, pariter ita superiore capite a febri per Christum liberata, et generaliter in omnibus curationibus morborum, quas per eumdem Christum prodigiose factas referunt Evangelistae, talem reperit iterum novam interpretandi

rationem; ut omnes vi tantum naturali, atque citra prodigium factas a Christo esse velit persvadere. Quaenam autem ista est interpretatio? Quomodo hunc paralyticum dicat esse curatum, proponam, unde intelligi possit, qualis interpretatio ejus sit in curationibus aliorum etiam morborum. Neque enim tempus est, persequi singillatim omnia, aut debet hoc perdi in recensendis ipsius ineptiis. Dicit, hunc paralyticum non fuisse vera paralysi affectum, sed hujus tantum imaginatione laborasse, fuisse deinde Judaeorum vulgarem persvasionem, quosdam morbos immitti a Deo in poenam, et vindictam peccatorum: ad hanc tollendam persvasionem dixisse Christum paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata:* nec reipsa his verbis peccata remisisse Christum paralytico; sed tantum contra persvasionem, hoc ei dixisse; quam de morborum immissione habebat in poenam peccatorum: cumque sic hominem ab imaginatione, qua laborare eum adverterat, liberasset, tunc ei imperasse, ut surgeret, et tolleret lectum suum, abiretque in domum suam. Quod ille liber jam ab imaginatione sua protinus etiam fecerit. — At vero tam Matthaeus, quam Marcus, et Lucas, citatis locis, dicunt, hunc hominem fuisse paralyticum. Ergo paralysis, si creditur Evangelistis, et eorum verba ita sumuntur, quemadmodum usus fert intelligendi, non in sola illius imaginatione fuit; sed haec imaginatio de paralysi istius paralytici est tantum figmentum Paulusii. Deinde, ut Christus ostenderet, sibi potestatem esse remittendi peccata; hunc in finem subitam etiam sanitatem tribuit paralytico. Ergo neque dum Christus dixit, remitti paralytico peccata; hoc fuit dictum ad persvasionem ejus tollendam de paralysi, quamque tantum sibi paralyticus imaginatus sit. Etiam hic Paulusius quem-

admodum superiore capite de leproso, dum iterum omnes usitatas verborum, et dictionum significationes pervertit, atque his substituit, quod ei infrunito interpretandi more suo sentire libuit, quam ejus sapiens sit interpretatio, atque docta, specimen dedit.

Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthaeum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum. V. 9. E domo, in qua, ut antecessit, docebat, Christus egressus est ad mare. *Marc.* 2. *v.* 19. In hoc itu suo vocavit Matthaeum. Hunc Lucas vocat Levi. C. 5. v. 27. Marcus Levi Alphaei, id est, Levi, filium Alphaei. C. 2. v. 14. — *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite, quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* V. 10. Lucas hoc idem sic habet: „Non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam.„ Hoc Christus dixit, cum Pharisaei improbassent, quod discubuisset cum publicanis, et peccatoribus in convivio, quod ei erat apparatum a Matthaeo. Sicut autem valentibus non est necessaria medicina; ita neque Justis opus esse poenitentia, dicebat. Testimonium, quod Christus produxit, est ex Oseae 6. v. 6. sumptumque hinc argumentum hac ratione est, quod si misericordiam, quae cuipiam praestatur ad levandam corporis miseriam, Deus anteponeret sacrificio; multo magis Deum velle, ut peccatori subveniatur in miseria, et periculo animae.

Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes: Quare nos, et Pharisaei jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant? V. 14. Ex Marci 2. v. 18. apparet, non tantum a discipulis Joannis, verum etiam a Pha-

risaeis hanc Christo motam esse quaestionem. *Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?* Filii sponsi a Marco vocantur *Filii nuptiarum*. Intelliguntur vero ii, quos sibi sodales sponsus in nuptiis adjunxerat, et Apostoli designantur, quos Christus administros adhibuit in praedicando Evangelio, qua praedicatione sibi Ecclesiam comparavit, quae ejus est sponsa. *Venient autem dies, cum auferetur ab eis Sponsus, et tunc jejunabunt. Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus. Tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, et pejor scissura fit.* Commissura panni rudis, ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου, est assumentum panni impoliti, intelligiturque pannus, qui gestando nondum attritus est. Nam si ad reficiendam vestem laceram, pannus adhibetur novus, vesti male consulitur. Dum enim partes in soliditate impares sibi copulantur; propter inaequalitatem virium in servando id, quod debilius est, debet cedere, plicaque panni novi novam in veste scissuram facit. *Neque mittunt vinum novum in utres veteres. Alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur. Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur.* V. 14. Antiqui vestimenti, et veterum utrium nomine suos Christus designavit discipulos, dum nondum Spiritus sancti virtute ad illam Evangelicam fortitudinem, quam postea exhibuerunt, confirmati fuissent: quos proinde velut prudens magister, ne austeritate disciplinae deterreret, initio lenius tractabat. „ Nondum fortes sunt discipuli, ait „ S. Chrysostomus *homil.* 30. *in h. l.* sed adhuc „ multa egent indulgentia. Nondum per Spiritum „ S. renovati sunt. Sic autem affectis non oportet gravia praeceptorum onera imponere. „

Haec illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet. V. 18. Princeps iste synagogae Jairus fuit suo proprio nomine. *Marc.* 5. *v.* 22. *Luc.* 8. v. 4. Hujus vero filia nondum erat mortua, cum is ad Christum venisset, neque iste pro filia jam mortua, sed tantum posita in extremo spiritu rogavit, quemadmodum est apud Marcum, et Lucam. Hi iidem memorant, dum jam Christus pergeret cum Jairo ad ejus domum, nuncium ex domo venisse ad Jairum de mortua puella, quique monuerit, ne jam molestus esset Magistro pro salute puellae. At vero Christum jussisse bene sperare Jairum. Quod ergo Marcus, et Lucas distinctius exposuerunt de Jairo, et ejus servo, de puella jam spiritum agente extremum, ac deinde mortua; id totum Matthaeus, transiliendo anteriora per narrationis compendium, succincte exhibet, solam puellae mortem memorans, quod unum erat necessario praemittendum ejus suscitationi a morte, quod prodigium referre, ejus fuit propositum.

Et surgens Jesus sequebatur eum, et discipuli ejus. Et ecce mulier, quae sangvinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. V. 19. Sangvinis fluxus juxta S. Hieronymum *in Comment.* et S. Chrysostomum *homil.* 31. intelligitur is, quem vulgo feminae habent in partu, vel dum menstrua patiuntur, qui immunditiam afferebat. Idcirco haec latenter etiam tantum Christum voluit attingere. *At Jesus conversus, et videns eam dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora.* Etiam hoc

cum pluribus adjunctis narratur a Marco, et Luca supra citatis locis. Feminam hanc illo duodecim annorum spatio sumptus fecisse incassum in medicos, suasque omnes facultates insumpsisse; Christum, dum eum mulier haec attigisset, statim se vertisse, et quaesivisse, quisnam eum attigisset: Petrum, ceterosque discipulos respondisse, turbam esse, a qua premeretur, mulierem vero se ad Christi pedes projecisse, factumque suum confessam esse. — Hocce Christi: *Fides tua te salvam fecit*, Protestantes utuntur ad probandum dogma suum de fide, quae sola sufficiat ad salutem, et obtinendum praemium in caelo vitae aeternae. Est vero hic nequidem sermo de ea fide, qua assentimur veritatibus a Deo revelatis, sed tantum de salute, et sanitate corporis obtinenda, quam mulier concepit, si vel fimbriam vestimenti Christi attigisset, nec proinde de salute etiam aeterna obtinenda, quo fidem nudam, sine necessitate bonorum operum valere volunt. Itaque iste locus nec pertinere potest huc, quod ex eo probare propositum est Protestantibus.

Et cum venisset Jesus in domum Principis, et vidisset tibicines, et turbam tumultuantem, dicebat: Recedite. Non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. Et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum ejus: et surrexit puella. V. 23. Non tantum Paulusius, ejusque similes, qui omnia prodigia sublata volunt sua interpretatione, sed etiam David Michaelis, qui parcior fuit in tollendis miraculis, hic miraculum non agnoscit. Non enim habet, fuisse mortuam: siquidem ipse Christus dixerit: *Non est enim mortua puella, sed dormit.* Verum omnino est, hoc Christum dixisse, istudque, quod dixit, aeque verum debet esse. Sumunturne autem vocabula semper in propria

significatione? Christus etiam Lazari infirmitatem dixit, non esse ad mortem: *Joan* 11. *v.* 4. qui tamen ex illa infirmitate mortuus est: eumdemque hunc Lazarum, cum fuisset mortuus, similiter dixerat, dormire, seque ire, ut hunc ex somno excitet. Sed hinc tamen nondum sequitur, sic improprie locutum esse de hac puella. Verum est. Attamen illud sequitur, quod, quemadmodum de Lazaro similis Christi locutio fuit impropria; ita talis etiam possit esse de hac puella: deinde, si hoc potest esse dictum proprie; neque certum illud esse, quod isti ex Christi verbis adstruunt, puellam hanc non fuisse vere mortuam. Quid igitur? Nempe, isti tam periti interpretes debebant ad reliqua etiam omnia, quae sunt in hac narratione, advertere, ut ita de hoc, quod Christus dixit, puellam non esse mortuam, sed dormire, rectum fieri posset judicium, sitne proprie, necne accipiendum. Atqui, Lucas dicit c. 8. v. 55. quod cum Christus manum puellae apprehendisset, eamque inclamasset, ut surgeret, *reversum esse ejus spiritum*. Illa ergo jam spiritu carebat, in quam reversus est spiritus. Ergo vere etiam fuit mortua. Idem Lucas testatur, hos, qui Christum deriserant, quod dixisset, puellam non esse mortuam, scivisse, quod esset mortua. Nisi autem reipsa fuisset mortua, Evangelista dicere non potuisset, scivisse istos, esse puellam mortuam. Quod enim non fuisset, hoc nec sciri potuisset, neque dici scientia ab Evangelista, atque adeo falsiloquus fuisset. Quae falsitas cum esse non possit in Evangelio, sequitur, ut intelligi debeat, puellam hanc, Jairi filiam, vere fuisse mortuam, atque adeo ejus etiam suscitationem fuisse a morte, non tantum a somno, quam fecerit Christus.

Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum caeci. Et dicit eis Jesus: Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtique Domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum. V. 28. Quomodo hoc de duobus his caecis, quibus Christus lumen oculorum tribuit, iterum Paulusius explicet *Comment. Tom. I. pag.* 589. ut sufferat miraculum, fortasse non molestum erit audire. His Christus visum restituit, eorum oculos manu sua tangendo. Hinc conclusit, hoc vi tantum naturali factum esse. Neque enim sine causa Christum oculos illorum contrectasse, nec hoc facturum fuisse, nisi contrectatio haec quidpiam contulisset ad sanandos illorum oculos: sed quid conferre potuerit, definiri haud posse. Siquidem qualis haec contrectatio fuerit, et quomodo facta, per Evangelistam non declaretur, adeoque historice notum non sit. Volui iterum hoc proferre exemplum, ut appareret, istis hominibus, etiam dum verbis non possunt infarcire alium sensum, atque hunc pervertere, tamen etiam, quale aliud iterum artificium sit. Sed frustra. Nam dum Evangelista testatur, Christum horum caecorum tetigisse oculos, quis nisi perversissime, contra usitatumque morem loquendi, et intelligendi hoc potest aliter accipere, quam de manu, quam Christus istorum oculis admoverit, hosque contrectaverit? Dumque hi statim, ut eos attigit, aperti sunt, num modus, quo Christus istud perfecerit, ab Evangelista clare satis expositus non est? An ideo, quod manum Christus istorum oculis admoverit, prodigium hoc non fuit? dumque hoc solum Evangelista docet, quod illorum oculos Christus attigerit, debetne aliud praeterea quaeri, quod accesserit, ut lumen reciperent? quae etiam

cogitari potest res alia naturalis, adjuncta contrectationi, quae subitam in caecis potuerit efficere apertionem oculorum?

CAPVT X.

Et congregatis duodecim discipulis suis dedit illis poteſtatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem. Duodecim autem Apostolorum nomina haec sunt: primus Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus, Jacobus Zebedaei, et Joannes frater ejus etc. V. 1. Quod Petrus in hac Apostolorum recensione primus positus sit ab Evangelista; non dubitant Interpretes Catholici, factum esse ob illius inter Apostolos primatum. Erasmi tamen, quamvis ipsi etiam Protestantes Petro dent honoris primatum, ita hic luxuriavit ingenium, ut in suis Annotationibus ad hunc Matthaei locum istud non dubitaverit ponere: „Ex ordine recensionis „non efficaciter colligitur, quis cui praeferendus. „Siquidem ubi multi numerantur, aliquem pri„mum esse oporteat." At vero aliud est in recensione plurium aliquem poni primum; aliud dicere, primum esse quempiam ex his, qui recensentur. Sic vero, non illa ratione loquitur Matthaeus in hac Apostolorum recensione. Perinde Marcus c. 3. v. 16. et Lucas c. 6. v. 14. in hac eadem recensione primum Petrum habent positum, Fortuitumne hoc fuit, et citra aliquod consilium,

in quo tres Evangelistae convenerunt? Idem Marcus c. 1. v. 36. et Luc. *Act.* 2. *v.* 14. dum totius collegii Apostolici mentionem faciunt, unum nominatim Petrum appellant. *Simon, et qui cum illo erant*, loquitur Marcus, *Stans Petrus cum undecim*, Lucas. Etiamne iste casus tantum fuit, ut dum totius collegii Apostolici mentio fieret, unumque ex Apostolis nominatim vellent appellare, unus semper Petrus Evangelistis ad lingvam, et calamum veniret?

Hos duodecim misit Jesus, praecipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves, quae perierunt, domus Israel. V. 5. Hoc pertinebat tantum ad tempus, donec Christus adscendisset in caelum: nam postea jussi sunt ire ad praedicandum Evangelium omnibus gentibus in universo mundo. *Matth.* 28. *v.* 19. *Marc.* 16. *v.* 15. Christus tantum Judaeis est promissus, et Gentiles erant hospites testamentorum, promissionis spem non habentes. *Eph.* 2. v. 12. Idcirco Christus etiam mulieri Chananaeae infra C. 15. v. 24. respondit, ab ea invocatus pro filiae liberatione a daemonio, se non esse missum nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel. Haec ergo causa fuit, cur Christus Apostolos adhuc tum noluerit ire ad Gentilium, et Samaritanorum civitates. Nam et Samaritani erant alienigenae, 4 *Reg.* 17. *v.* 24. nec ex stirpe Abrahae descendentes, sed nec religione etiam aetate Christi cum Judaeis conjuncti. *Joan.* 4. *v.* 9.

Euntes praedicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum caelorum V. 7. Iisdem verbis usum esse in praedicando tam Joannem Bapt. quam ipsum Christum, fuit supra C. 3. v. 2. c. 4. v. 17. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite. Gratis*

accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum in zonis vestris. V. 8. Zona Graecum est vocabulum, quod cingulum significat, et speciatim, ex quo suspensas crumenas gestabant, vel pecuniam in ipsa etiam hac zona intus cava. *Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus enim est operarius cibo suo.* V. 10. Hoc Marcus c. 6. v. 9. sic expressit: „Praecepit eis, ne quid „tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, „non panem, neque in zona aes, sed calceatos „sandaliis, et ne induerentur duabus tunicis.“ In Graeco pro calceamentis apud Matthaeum sunt ὑποδήματα: quo vocabulo id proprie significatur, quod subligatur. Itaque convenit cum sandalio, et solea, quae plantae pedis subligatur. Erat mos in Orientis regionibus, ut vestes, et calceos plures secum in via opulentiores ferrent servorum ministerio, idque mutationis gratia ob calorem, et sudorem. a) Hae ergo intelliguntur duae tam tunicae, quam duo calceamenta, quibus apud Matthaeum Christus interdixit Apostolis. Virga, Hebraice *Schebetb* jam baculum significat pro sustentaculo, *Gen.* 32. *v.* 10. jam teli etiam aliquod genus. *Ezech.* 39. *v.* 9. Dum ergo juxta Marcum virga permissa Apostolis, juxta Matthaeum interdicta est; facile est advertere, de harum, quae modo demonstratae sunt, altera Matthaeum, altera Marcum loqui.

In quamcunque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, et ibi manete, donec exeatis. V. 11. Donec exeatis, ex eadem videlicet civitate, vel castello. Castellum κώμη, significat oppidum, sed

---

a) Vide Instit. meas Herm. V. T. tom. 1. cap. 21. §. 64.

minus, munimento tamen quopiam instructum. „ Hospes autem fama eligendus est populi, et ju- „ dicio vicinorum, ne praedicationis dignitas sus- „ cipientis infamia deturpetur „ S. Hieronymus in Comment. *Intrantes autem in domum salutate eam dicentes: Pax huic domui.* Verba haec salutationis sunt tantum ex Luc. 10. v. 5. huc translata. *Et siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos.* V. 13. Quod apud Lucam citato loco sic est: „ Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super il- „ lum pax vestra. „ Filius pacis intelligitur is, qui ad pacem hanc recipiendam esset destinatus, idque utique per Divinam vocationem: quemadmodum etiam Act. 13. v. 48. est, Antiochiae Pisidiae, Paulo praedicante, credidisse, quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam. Sin minus, pax haec dicitur reversura ad Apostolos, hoc est, perstitura apud hos: dum ab iis, quibus erat annunciata, et oblata, respueretur. — *Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.* V. 16. Serpentis ea naturalis ad sui defensionem calliditas est, ut dum impetitur, ante omnia capiti conservando studeat, istudque tegat toto reliquo corpore. Quid autem homini sit, in quo custodiendo prima ejus cura debeat esse, pronum est intelligere ex illis verbis Christi, quae infra sequentur. V. 28: „ Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam „ autem non possunt occidere. „ Simplices sicut columbae in Graeco est, ἀκέραιοι, *sine cornibus.* Quare mansvetudo intelligitur, et patientia ad excipiendas injurias, non resistendo, et vim opponendo. — *Et ad praesides, et ad reges ducemini propter me in testimonium illis, et gen-*

tibus. V. 18. In testimonium, quod darent, et perhiberent his de Christo, et veritate Evangelii. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.* V. 23. Adventus Filii hominis, hoc est Christi, quo se is nomine saepissime in Evangelio compellat, alter in Scriptura memoratur is, quando Christus ad universale habendum judicium venturus in fine mundi est; *Matth.* 24. *v.* 37. 1. *Thess.* 4. *v.* 14. alter, dum Christus unumquemque per mortem ad se, suumque tribunal evocat. *Luc.* 12. *v.* 40. Hoc altero modo iste, qui in praesenti loco est, Christi adventus intelligitur, pertinetque ad spem, fore, ut haec illorum fuga diuturna non sit, sed laborum, et adversitatum finem cito affuturum. Hac ratione, et promissione sui ad eos celeris reditus, ut hos ad se accipiat, et cum quo sint deinceps in aeternum, Christus solabatur Apostolos etiam pridie mortis suae post finitam illius diei coenam. *Joan.* 14. *v.* 3. *C.* 16. *v.* 16. Qui per hunc Christi adventum censent Jerosolymae cladem, et eversionem per Romanos intelligendam esse, quasi ad quas ab Judaeis repetendas poenas Christus tum advenerit, et ad quod tempus Apostoli, ab Judaeis exagitati in fuga sua peragraturi non sint omnes Judaeae civitates; haec Christi verba restringunt ad solos Apostolos. At vero Christus generatim locutus est de persecutionibus, quas perpessuri essent, qui Christo nomen dederant, aut daturi erant. Nam dicitur futurum, ut frater fratrem tradat in mortem, et pater filium, et filii in parentes suos insurgant, et morte afficiant. V. 21. Et Apostolos ne tum quidem fugisse, tametsi omnes alii Christiani diffugissent, cum Judaei, interfecto Stephano, gravissimam excitarunt

persecutionem adversus Ecclesiam, quae erat Jerosolymae, diserte est Act. 8. v. 1.

Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit, sicut magister ejus, et servo, sicut dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus. V. 24. Hoc, non esse discipulum super magistrum, nec servum super dominum, sed sufficere his, si sint, quemadmodum hi, intelligendum esse de conditione, ne hac meliore cuperent esse, quam qua illi essent, ex iis, quae antecesserunt de persecutionibus, quas ferendas haberent, et quod subsequitur, quod si patrem familias vocassent Beelzebub, quanto magis ejus domesticos, planum fit. Beelzebub in lingva Hebraea significat *deum muscarum*, cujus nominis idolum fuit in Philisthaeorum civitate Accaron. 4. *Reg.* 1. *v.* 2. In codicibus Graecis fere omnibus, et in antiquis orientalibus versionibus non est Beelzebub, nec tantum in hoc Matthaei loco, verum etiam infra C. 12. v. 24. nec non Marci 3. v. 22. et Lucae 11. v. 15. sed Beelzebul. Quin idem Beelzebul exstitisse in veteri Latina versione, colligitur ex S. Hilarii Commentario in Matth. aliisque Latinis Patribus, qui diabolum vocant Zabulum. Hoc enim vocabulum venit ex Hebraeo *Zebul*. S. Hieronymum in Bibliorum Latinorum correctione non ex arbitrio proprio Beelzebub substituisse pro Beelzebul, non sinit dubitare viri hujus intemerata fides in emendanda versione Latina juxta fontem Graecum. Deinde, si advertisset in lectione aliquam ambiguitatem; hujus ut alias facit, etiam hic non praetermisisset facere mentionem in suo Commentario.

Beelzebul autem, quemadmodum est infra C. 12. v. 24. Judaeis significavit principem daemonio-

moniorum: quod vero vocabulum vi sua significat *dominum habitationis* בַּעַל זְבוּל. Cur hi isto nomine principem daemonum appellaverint, variae sunt opiniones. David Michaelis, ut solet, Judaeorum morem loquendi, etiam in propria lingva, ab opinionibus Gentilium repetere, hujus hanc originem ponit: Gentiles, caelum sidereum divisisse in multas regiones, quarum quamlibet dederint cuidam deo pro sede, et habitatione. Judaeos, istos Gentilium deos habuisse pro daemonibus. Itaque ab his sedibus, quas Gentiles diis suis dederint in caelo, Judaeos nomen hoc conflasse Beelzebul ad adpellandos daemones. Quod sidera pro diis Gentiles habuerint, verum est. At vero caelum etiam in regiones distribuisse, quarum quaelibet habitaculum esset alicujus certi dei, probandum restabat Davidi Michaelis. Ac quamvis Gentiles etiam deos suos collocassent, unumquemque in caeli aliqua certa regione, nondum tamen vel verisimile est, etiam Judaeos in caelo collocasse diabolos. Infernus, שְׁאֹל vel sepulcrum Hebraeis significat, *Gen.* 37. *v.* 35. vel locum etiam, et carcerem, in quem post hanc vitam pergunt impii, daturi poenas. *Sap.* 5. *v.* 14. Qui idem locus *Psalm.* 48. *v.* 15. illorum etiam dicitur habitatio, qui in aeternum visuri non sunt lumen. Haec ergo Judaeis potius fuit habitatio etiam daemonum, et cujus praeses haberetur is, qui daemonum princeps esset, quemadmodum ab eodem inferorum carcere daemones vocantur potestas tenebrarum, *Coloss.* 1. *v.* 13. horumque princeps rex abyssi, *Apoc.* 9. *v.* 10. aut etiam portae inferi. *Matth.* 16. *v.* 18.

Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem

adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam: et inimici hominis domestici ejus. V. 34. „ Non ex Christi proposito, ait S. Chrysostomus „ *homil.* 35. *in Matth.* sed ex illorum voluntate bellum movebatur. Ipse quippe volebat „ omnes in pia religione concordes esse. Sed quia „ illi dissidebant, hinc bellum oriebatur. „

Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetae; mercedem Prophetae recipiet: et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. V. 40. Prophetam, et justum recipere in nomine Prophetae, et justi, significat, hos ideo recipere, quod Prophetae sint, et justi. Horum vero receptores mercedem accepturi sunt ipsius Prophetae, et justi, hoc est: „ Vel quam par est accipere eum, „ qui vel prophetam, vel justum receperit; vel „ qualem Propheta, vel justus. „ S. Chrysostomus *homil.* 35. *in Matth.* Quae altera intelligendi ratio planior est, et ad Evangelii verba exactior. Quia vero Apostolus dicit: „ Qui parce „ seminat, parce et metet; et qui seminat in bene- „ dictionibus, de benedictionibus et metet „ 2. *Cor.* 9. *v.* 6. cumque Prophetam, vel justum recipere, non sit semper tantum, quantum Propheta, vel justus quispiam sibi collectum suis pro Deo laboribus habet meritum; sequitur, ut eum, qui Prophetam, vel justum recipit; tantum societatem praemii cum his, non vero aequalitatem recepturum intelligere oporteat. Nam Paulus quoque socios suae passionis dicit tantum suos etiam socios futuros in consolatione. 2. *Cor.* 1. *v.* 7. *Qui recipit,* ὁ δεχόμενος, non significat tantum receptionem qualemcunque, sed talem, quae adjunctam sibi habet opem, et beneficentiam. —

Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. V. 42. De Prophetis, et justis cum proxime sermo antecesserit, sequitur etiam hos minimos esse intelligendos ex iisdem Prophetis, et justis.

CAPVT XI.

Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? V. 2. Lucas 7. v. 18. docet, hoc factum ab Joanne esse, dum Christus in civitate Naim cujusdam viduae filium a morte suscitasset, famamque hujus rei ad Joannem discipuli pertulissent. *Tu es, qui venturus es?* Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, *Tu es ille venturus?* Per illum autem venturum, utpote sibi a Deo promissum, et ideo exspectatum, Messias intelligebatur. Qua ratione illa etiam turba hominum circiter quinque millium, quam Christus refecerat in deserto, conclamaverat de Christo: „ Quia hic est vere Prophe-
„ ta (ὁ προφήτης, *ille Propheta*) *qui venturus*
„ *est in mundum*, (ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον, *il-*
„ *le venturus in mundum*) Joan. 6. v. 14. Jo-
„ annes autem non quasi ignorans interrogavit.
„ Ipse enim ceteris ignorantibus demonstraverat,
„ dicens: Ecce Agnus Dei! ecce, qui tollit pec-
„ cata mundi! „ Sunt verba S. Hieronymi in Comment.

Et respondens Jesus, ait illis: Euntes renunciate Joanni, quae audistis, et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, pauperes evangelizantur. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. V. 4. Ex prodigiis, et miraculis se Christus probavit esse Messiam. At vero haec facta etiam sunt per alios, quin ideo illorum ullus debuerit esse Messias. Sed neque etiam ullus istorum eum in finem patravit prodigia, ut se his vellet probare esse Messiam. Quod vero sic factum per Christum est. „ Quem Pater sanctificavit (sunt verba illius ad Pharisaeos,) et misit „ in mundum, vos dicitis, quia blasphemas: quia „ dixi; Filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, „ et si mihi non vultis credere, operibns credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in „ me est, et ego in Patre. „ Joan. 10. v. 36. *Pauperes evangelizantur*, πτωχοὶ ἐυαγγελίζονται, verbum est apud Graecos mediae, ut eam vocant, conjugationis; ideo activae, vel passivae significationis esse potest. In passiva tamen esse potius sumendum, svadet locus iste Isaiae: „ Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annunciandum mansvetis misit me. „ *Isa.* 61. *v.* 1. quod de se fuisse vaticinium, et a se impletum, ipse Christus testatus est. *Luc.* 4. *v.* 18. Quomodo scandalum in Christo esse potuerit, ex eo potest intelligi, quod nocte instante, qua comprehendendus erat, et ad supplicium crucis tradendus, Apostolis quoque dixerit: „ Vos „ omnes scandalum patiemini in me in nocte „ ista.„ *Matth.* 26. *v.* 31. Etiam Paulus „ Praedicamus, inquit, Christum, Judaeis scandalum. „ 1. *Cor.* 1. *v.* 23.

Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, et plus, quam prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. (Mal. 3. v. 1.) *Amen dico vobis: Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.* V. 9. Hoc, quod Christus de Joannis hac magnitudine dixit, pertinere ad munus ejus propheticum, quo praecellentior fuerit omnibus Prophetis, qui ante eum fuerunt, planum fit ex Luca, haec verba Christi sic referente: „ Major inter natos mulierum pro„ pheta Joanne Baptista non est. „ *Luc.* 7. *v.* 28. Erat enim, ut ipse Christus etiam affirmavit, *Plus quam propheta*: siquidem Christum praesentem annunciaverit, et monstraverit, quem ceteri Prophetae e longinquo tantum adspexerunt, et venturum praenunciarunt. *Qui autem minor est in regno caelorum, major est illo.* V. 11. Regnum caelorum vidimus supra C. 3. v. 2. sumptum esse pro Evangelii annunciatione ad obtinendum caeleste regnum. Hic sumitur pro coetu eorum, qui Evangelio crediderunt, adeoque pro Ecclesia Christi. Hocce modo sumitur etiam infra C. 13. v. 24. 47. Joannes omnibus aliis prophetis dignitate antelatus est ob vicinitatem ad Christum, hujusque jam praesentis apertam monstrationem. Officium omne ipsius constitit in eo: ut testaretur, hunc jam adesse, et ad poenitentiam hortaretur omnes, in signumque poenitentiae, quam acturi essent, eos, qui se morem ei gesturos profiterentur, etiam baptizaret: quin tamen ejus baptismus ullam vim gratiae divinae conferendae haberet. At vero in regno caelorum, hoc est, in Ecclesia, minimus minister per Sacramenta, quae administrat, tribuit ipsam etiam salutiferam gratiam, et justitiae donum. „ Sic enim

„ nos existimet homo, ut ministros Christi, et „ dispensatores mysteriorum Dei. „ 1. *Cor.* 4. *v.* 1. Ita intelligitur, qua ratione, qui minor est in regno caelorum, major sit Joanne, quoad ministerium, quod gerit. Fuit prius comparatio Joannis cum Prophetis omnibus aliis, hisque is antepositus est, quod in munere suo magis accesserit ad Christum, quam illi: modo ipsi Joanni ii, qui in Ecclesia sunt ministri Christi, anteferuntur aeque, quoad ministerium suum, ejusque praestantiam supra id, quod munus gessit Joannes.

A diebus autem Joannis Baptistae usque nunc regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetae, et Lex usque ad Joannem prophetaverunt. V. 12. Hoc apud Lucam 16. v. 16. expressum sic est: „ Ex eo (ἀπὸ τότε, *a tunc*, ab eo tempore) re„ gnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim „ facit. " Alterque Evangelista alteri, ut intelligatur, subsidio est. Est vero illud, quod dicitur, Legem, et Prophetas durasse usque ad Joannem eatenus; quatenus Christum praenunciaverint, et promiserint: quae vero exspectatio cessaverit, postquam hunc Joannes jam praesentem monstrasset. Hoc tempore coepisse regnum Dei annunciari, clare videlicet, et aperte: cum istud per Legem, et Prophetas factum antea esset tantum obscure, et sub involucris bonorum temporalium. a) Per Legem nemo poterat justus fieri. *Gal.* 2. *v.* 16. Itaque neque iis, qui Legem observassent, regnum caelorum poterat per Legem promitti. Ab eo tempore regnum Dei vim coepit pati: ab iis videlicet, qui ad illud rapiendum et acquirendum adhiberent violentiam: omnis autem, ut est apud Lucam, vim in illud fecerat:

a) Vide Instit. Herm. meas V. T. tom. I. Cap. 7. §. 19.

is omnis videlicet, qui hoc cuperet assequi. Nam violenti hoc rapiunt. Quaenam vero haec intelligenda est violentia? Intrare nos Christus jubet per angustam portam ad regnum caelorum, et cavet, ne per latam, et spatiosam viam eamus: hanc enim ducere ad perditionem. *Matth.* 7. *v.* 13. Fraenare cupiditates, et carnis desideriis resistere, crucem Christi portare, est illa violentia, qua regnum caelorum obtinetur, et quam ubique praecipit Evangelium. Neque vero, dum Christus dixit, hanc violentiam perstare usque modo, et ad illud tempus, quo verba haec faciebat, terminum fixit istius violentiae, et quasi hujus necessitas postea cessasset ad obtinendum regnum caelorum, nec jam haec perstaret etiam modo: sed ostendere voluit, qualis jam praedicato Evangelio, coeperit violentia adhiberi, non quasi eadem non adhibenda esset etiam postea. *Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. Qui habet aures audiendi, audiat.* V. 14. Joannes fuit Elias, quatenus in Spiritu, et virtute Eliae Christum praecurrit. *Luc.* 1. v. 17. Hoc idem erat, ad quod intelligendum auribus, ad audiendum idoneis, Christus dixit opus esse: ut videlicet in Joanne Eliam agnoscerent, praecursorem Christi, per Prophetas praedictum.

Cui autem similem aestimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coaequalibus dicunt: Cecinimus vobis, et non saltastis; lamentavimus, et non planxistis. V. 16. Comparatio a consvetudine ludendi puerorum illius aetatis petita est, quemadmodum docent S. Cyrillus *in Catena S. Thomae*, et Theophylactus *in Luc. cap.* 7. Qui ejusmodi fuit lusus, ut hi divisi in partes duas, et ex adverso consistentes, alteri canerent summamque jucunditatem voce, atque gestu signi-

ficarent; alteri vero, quasi in acerbissimo luctu plorarent, et ulularent, contrariisque vocibus sibi invicem obstreperent, quin tamen alteri alteros ad eamdem vel laetitiam, vel ploratum permoverent: utpote, quae res tota tantum ad ludum, atque jocum facta ab ipsis esset. Quae Pharisaeorum, aliorumque Judaeorum cum his pueris assimilatio illud exprimebat; quod neque Joanni Baptistae, qui ad eos hortator in poenitentiae habitu, et cum magna vitae austeritate venerat; neque Christo, qui in conversando liberalior fuit, et ad convivia ibat, dicto audientes fuissent, sed insuper convitiis etiam ambos proscidissent. *Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt: Daemonium habet. Venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini, Publicanorum, et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis.* V. 18. *A filiis suis*, ἀπὸ τῶν τεκνῶν αὐτῆς: pronomen est generis feminini, et refertur ad nomen: *Sapientia* σοφία. Copulativum *Et*, cujus loco in Hebraeo textu Matthaei fuit litera *Vau*, juxta indolem Hebraici sermonis, hic contrapositionis significationem habet. Sapientiae autem filii intelliguntur ii; qui hanc ab Joanne, et Christo praedicatam susceperunt, ejusque facti alumni morigeros se ei praebuerunt, ex quo numero ipsi etiam erant Apostoli. Justificata sapientia ab his, ἐδικαιώθη, hoc est, talis ab his habita est, et judicata, qualis reipsa est. Id enim judicium, assensum ei dando, et complectendo eam, praestiterunt.

Tunc coepit exprobrare civitatibus, in quibus factae sunt plurimae virtutes ejus, quia non egissent poenitentiam. Vae tibi Corozain! vae tibi Bethsaida! quia si in Tyro, et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in-

vobis, olim in cilicio, et cinere poenitentiam egissent. V. 20. Deus est, qui aufert cor lapideum, et dat cor carneum. *Ezech.* 36. *v.* 26. Ergo in Tyriis quoque, et Sidoniis, si poenitentiam egissent, hanc cordis illorum conversionem Deus fuisset operatus per suam gratiam.

Est vero in libero hominis arbitrio, gratiae consentire, vel resistere, cujus contrarium damnatum est per concilium Trident. *Sess.* 6. *can.* 4. Quo autem voluntas magis induruit in pravum, obstinatiorque est; eo etiam vehementius resistit gratiae, suamque malitiam auget, atque perversitatem, Deo, per gratiam vocanti, se se opponendo. Talis itaque pravitas major in Corozaitis, et Bethsaitis fuit, quam in Tyriis, et Sidoniis. „Non erant, sunt verba S. Augustini *lib. de Per-* „*severant. Cap.* 14. sic excaecati oculi, nec sic „cor induratum Tyriorum, et Sidoniorum: quo- „niam credidissent, si qualia isti viderunt, signa „vidissent." Neque tamen etiam hi poenitentiam egerunt, in quorum gratiam nec Christus talia prodigia patravit, qualia in Corozain, et Bethsaida. Est enim gratia Dei donum gratuitum, veniens ex proposito Divinae voluntatis, 2. *Tim.* 1. *v.* 9. nec tantum non ex hominis aliquo praecedente erga Deum merito, sed neque ea lege impertitum; ut qui per pauciora peccata minus se indignum praestitit, gratiam assequatur prae illo, qui Deum offendit gravius, pluribusque peccatis. Nam Apostolus Paulus blasphemus, et persecutor, 1. *Tim.* 1. *v.* 13. gratiam consecutus est, quae non obtigit innumeris aliis, etiam ex Judaeis, tanta perversitate non affectis.

In illo tempore respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine caeli, et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater:

quoniam sic placitum fuit ante te. V. 25. Antecessit exprobratio erga eos, qui non crediderunt: nunc confessio, confessio autem laudis, tribuitur Deo ab ipso Christo, pro iis, qui crediderunt. Sic videlicet ostendebatur, credere esse donum Dei. Nisi enim hoc a Deo esset, hinc is laudem non haberet. Parvulis vero hoc dicitur revelatum a Patre, quod absconderit sapientibus, et prudentibus: cumque parvuli in contrapositione sint cum sapientibus, et prudentibus, non hi intelliguntur aetate parvuli, sed parvi mundana sapientia, quales erant ipsi etiam Apostoli. „Non multi sapientes secun„dum carnem, non multi potentes, non multi no„biles: sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus, „ut confundat sapientes." 1. *Cor.* 1. *v.* 26. Hoc vero Christus a Patris sui beneplacito repetit. „Non enim volentis, neque currentis, sed miseren„tis est Dei: miseretur autem, cujus vult." *Rom.* 9. *v.* 16. 18. Quomodo autem non est volentis, neque currentis, dum credere debet esse propriae voluntatis? quia „Deus est, qui operatur in nobis velle, „et perficere pro bona voluntate." *Phil.* 2. *v.* 13.

Omnia mihi tradita sunt a Patre meo: et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. V. 27. Cum a Patris voluntate, et beneplacito docuisset esse Fidei donum; ut perinde se quoque ejus largitorem ostenderet, declarat, omnia sibi tradita esse a Patre, neque Patrem ab alio nosci, quam cui hunc ipse revelasset. Num vero Spiritus sanctus Patrem, et Filium non noscit, aut Filii revelatione ad noscendum opus habet? Est de iis sermo, quibus donum fidei detur, quo Patrem, et Filium agnoscant. Hoc ergo: *Nemo* novit, est tantum modo de hominibus. Spiritus sanctus autem est unum cum Patre et Filio. 1. *Joan.* 5. *v.* 7. Cum quo ergo Pa-

tre, et Filio Spiritus Sanctus unum est, quomodo hos non nosceret? Docet S. Augustinus *lib.* 7. *de Trinit. cap.* 6. dum de Divina persona sermo est, sique illud, quod dicitur, ad Dei naturam, et essentiam pertinens sit, semper includi, atque comprehendi in eo reliquas etiam personas, utpote, quae tres Divinae personae una, eademque Dei essentia sint.

Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos, Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum svave est, et onus meum leve. V. 28. Labor, et onus, quo unusquisque premitur, antequam beneficium redemptionis per Christum assequatur, sunt sarcinae, quas homo fert, et quibus gravatur, ex servitute peccati. His e contrario Christus jugum suum affirmat esse svave, et onus suum leve. Per fidem autem in Christum non destruitur lex, sed statuitur: *Rom.* 3. *v.* 31. quae lex jugum est, quod Petrus docet, nec se, nec patres suos potuisse portare. *Act.* 15. *v.* 10. Quomodo ergo jugum Christi svave, et onus leve? Dicit Joannes c. 1. v. 17. „Lex per Moysem da-„ta est; gratia, et veritas per Jesum Christum „facta est.„ Ita lex, quae jugum ejusmodi fuit, ut portari non posset, factum est jugum non tantum leve, verum etiam svave accedente gratia. Nihil arduum, et difficile est amanti. Per Spiritum Sanctum vero charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, qui (dono Christi) datus est nobis. *Rom.* 5. *v.* 5.

CAPVT XII.

In illo tempore abiit Jesus per sata sabbato: discipuli autem ejus esurientes coeperunt vellere spicas, et manducare. V. 1. Hoc sabbatum Lucas 6. v. 1. vocat sabbatum δευτερόπρωτον, *secundo primum.* Sic vero appellabatur, quod ex septem sabbatis, a die secunda Paschatis numeratis, primum esset, et post quae septem sabbata festum ab his septem hebdomadibus adpellatum Hebdomadarum celebrabatur in memoriam datae Divinae legis in monte Sinai quinquagesima die ab exitu ex Aegypto. Graeco vocabulo Pentecoste festum hoc adpellatum est.

Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt? victimas mactando, excoriando, secando, et cetera ministeria sacrificiorum perficiendo. *Dico autem vobis, quia templo major est hic.* V. 5. 6. *Hic*, ὧδε, non est pronomen demonstrativum, sed adverbium loci: seque ipsum Pharisaeis Christus, quem coram se haberent, demonstravit. Si ergo sacerdotes labore, quem praestiterunt in templo, non violassent legem de observando sabbato, eo, quod iste fieret in obsequium, et cultum Dei; eo minus, arguebat, suos culpandos esse discipulos, quod sabbato velissent spicas ob esuriem in labore itineris ex obsequio erga Christum, ejusque Evangelium. *Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. Dominus enim est filius hominis etiam sabbati.* V. 7. Inhumanum et immisericors fuit, discipulos Christi velle cru-

ciari esurie. Testimonium, quod Christus citavit, est ex Oseae 6. v. 6. Filium hominis seipsum solet appellare Christus saepissime in Evangelio: hunc esse dominum etiam sabbati extra omnem controversiam est. Sic vero sequeretur, ex Christi tantum concessione potuisse spicas vellere sabbato absque culpa ejus discipulos, et quae res illos secus reos fecisset violati sabbati. At vero sic illos Christus defendit adversus accusationem Pharisaeorum, ut probaverit, solam etiam necessitatem jus hoc ipsis tribuisse. Idem hoc sic apud Marcum est C. 2. v. 27: „ Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum. Itaque dominus est filius hominis etiam sabbati. „ Ex hac ergo conclusione, filium hominis esse dominum sabbati, eo, quod sabbatum sit propter hominem, et non homo ob sabbatum; planum fit, etiam filium hominis hic intelligi hominem quemcunque, utpote, propter quem Christus dixerit, sabbatum factum esse. Nam aliter haec recta non fuisset conclusio. Continetur illud hic implicite: id, quod constitutum alterius causa est, inferiore loco ducendum esse; quam illud sit, propter quod constitutum est.

Et ecce homo, manum habens aridam, et interrogabant eum dicentes: Si licet sabbatis curare? ut accusarent eum. V. 10. Haec percontatio non est facta verbis a Pharisaeis, sed maligne tantum speculando, et exspectando, num hominem hunc sabbato sanaturus esset, unde ansam ejus accusandi acquirerent de violato sabbato: quos cum Christus cum ira circumspexisset, deinde homini dixisse, ut manum extenderet, et esse sanatam illico, refert Marcus C. 3. v. 1.

Euntes autem Pharisaei consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum. V. 14. Cum Herodianis tractasse ipsos hoc con-

silium docet Marcus 3. v. 6. *Jesus autem sciens, secessit inde, et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes. Et praecepit eis, ne manifestum eum facerent:* ne scilicet morborum curationes factas a Christo, divulgarent, atque ejus adversarii magis irritarentur: *ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem: Ecce puer meus, quem elegi; dilectus meus, in quo bene complacuit animae meae. Ponam Spiritum meum super eum, et judicium gentibus nunciabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus. Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium, et in nomine ejus gentes sperabunt.* Ex Isaiae C. 42. v. 1. est hoc vaticinium. Judicium, quod Christus ejecturus, et perducturus erat ad victoriam usque, idem est judicium, quod eumdem Christum annunciaturum esse gentibus, antecessit. Ex quo perspicuum etiam fit, quale hoc intelligendum sit judicium. Ipsa videlicet justitia intelligitur, cujus donum per Christi Evangelium pervenit ad omnes gentes. *Donec ejiciat ad victoriam judicium,* est in Isaia stricte juxta verba: *Donec ponat in terra judicium* עַד־יָשִׂים בָּאָרֶץ מִשְׁפָּט Haec positio judicii in terra sicut fit per Evangelium; ita ergo etiam eousque durabit, quamdiu duratura est praedicatio ipsius Evangelii, hoc est, ad finem usque mundi. *Matth.* 24. *v.* 14. Nam tunc Christus jam in alio, non mansvetudinis habitu suis inimicis apparebit.

Pharisaei autem audientes dixerunt: Hic non ejicit daemones, nisi in Beelzebub principe daemoniorum. Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum divi-

sum contra se desolabitur, et omnis civitas, vel domus divisa contra se non stabit. Et si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus? Et si ego in Beelzebub ejicio daemones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. V. 24. Daemones expulerunt Apostoli potestate sibi data a Christo, *Luc.* 10. *v.* 17. qui Judaeorum filii erant. Fuerunt vero ex Judaeis etiam exorcistae, qui in Judaismo persistentes tamen in nomine Dei Abraham, Isaac, et Jacob, exorcizaverint, teste S. Justino *in Dial. cum Tryphone*, S. Irenaeo *l.* 2. *c. haeres. c.* 5. et Origene *lib.* 1. *et* 4. *cont. Celsum*: idemque constat etiam ex Luca *Act.* 19. *v* 13. Hos alteros fuisse intellectos a Christo, illa svadet ratio; quod sic fortius isto argumento ab exorcistis, horumque propria confessione, a se daemones non expelli per Beelzebub, premerentur Pharisaei: qualem vim non habuisset discipulorum Christi confessio, pro Christo contra Pharisaeos, utpote idem cum Christo sentientium, ejusque asseclarum.

Si autem ego in Spiritu Dei ejicio daemones; igitur pervenit in vos regnum Dei. V. 28. Regnum Dei, in quo sensu soleat etiam sumi, est daemonstratum C. 3. v, 2. et C. 11. v. 11. pro praedicatione videlicet Evangelii, et fundatione Ecclesiae per eam. *Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius ligaverit fortem? et tunc domum illius diripiet. Qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mecum, spargit.* V. 29. Daemones, quos Christus ex obsessis expulit; adversus eorum voluntatem expulit. Horum vero, et eorum principis Beelzebub consensio erat mutua. Nam secus ipsi regnum suum destructum, perditumque

ivissent. Non tantum ergo Beelzebubum non esse, qui cuipiam potestatem det ad fugandos alios daemones, sed hanc manipularium suorum expulsionem ex obsessis esse ipsi etiam Beelzebubo contrariam, et qui proinde nunquam hanc expulsionem admitteret; nisi quae vis fugat ceteros daemones, eadem ipsum quoque constringeret, ne possit obsistere. Hoc: *Qui non est mecum* etc. instar proverbii positum est ad illud confirmandum, inter ea, quae sunt sibi adversa, nullam posse concordiam esse: neque ergo etiam inter daemonum principem, atque se, qui contrarius ei sit, ullam posse intercedere conspirationem.

Ideo dico vobis: Omne peccatum, et blasphemia remittetur hominibus. Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. V. 31. S. Hieronymus *in Comment.* S. Chrysostomus *homil.* 41. *in Matth.* aliique Patres verbum contra Filium hominis illud docent esse, quod adversus Christum prolatum, arreptum esset ex infirmitate humanae in eo naturae, verbum autem contra Spiritum sanctum esse, dum illud in Christo contumeliose appeteretur, quod manifeste appareret virtute Divina actum ab eo esse, et quale hoc fuerit, quod in daemones exercuit imperium. Nam in digito Dei a se ejici daemones, ipse professus est Christus: *Luc.* 11. *v.* 20. quod vero Beelzebubi opus esse, patratum ab eo per Christum, calumnia fuit, quam Christo instruxerant Pharisaei. — Istudne autem peccatum in Spiritum Sanctum tale est, quod nunquam Deus remittat? Fides Catholica docet, nullum esse peccatum, cujus venia obtineri nequeat; si legitima agatur poenitentia, et

Nova-

Novatiani, qui aliter senserunt, sunt ideo condemnati ab Ecclesia. Advertendum est, perinde illud dici generaliter: *Omne peccatum, et blasphemia* (intellige etiam hic antecedens epithetum, *omnis*) *remittetur hominibus*, atque hoc: *Spiritus autem blasphemia*, τȣ̃ πνεύματος βλασφημία, *non remittetur*. Remittiturne autem semper omne aliud peccatum, et omnis alia blasphemia? Quod si esset, quisque in summa securitate posset esse de venia suorum istius generis peccatorum, quantumcunque se se istis onerasset, et pergeret onerare. Sicut ergo haec propositio, licet generaliter enunciata, stricte generalis tamen non est de obtinenda venia; ita neque altera talis est de hac venia non obtinenda ab iis, qui blasphemiam in Spiritum Sanctum admisissent. Jam supra demonstratum est, etiam ea, quae extra Scripturam est, loquendi consvetudine, ipsisque in Latina etiam lingva Classicis auctoribus usitata, illud solere dici omne, quod ex re aliqua plurimas partes complectitur. Etiam Jeremiae 13. v. 23. est: „ Si mutare potest Aethi„ ops pellem suam, aut pardus varietates suas, „ et vos poteritis benefacere, cum didiceritis ma„ lum. „ Attamen quantumcunque quispiam malus, atque perversus sit; huic possibile manet, ut agere possit bene, et pravitatem deponere, et tantum etiam sensus est, eum, qui didicit, qui se exercuit in male agendo, et jam inveteravit in malitia, non facile ad frugem rediturum, et quod rarissime contingit, sic proponitur, quasi fieret nunquam.

Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum. Siquidem ex fructu arbor agnoscitur. V. 33. Facite ex me, videlicet, dicebat Christus, arborem bonam, et fructum

ejus bonum, aut vice versa. Ad opus vero suum expulsionis, et liberationis a daemonibus hoc direxerat, quod cum bonum esset, non possit referri ad auctorem diabolum. *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona; et malus homo de malo thesauro profert mala.* V. 34. Cum probrum, Christus, quo eum Pharisaei affecerant, diluisset; ex eodem, quo probavit, sibi nihil communionis esse cum daemonum principe, conclusit adversum ipsos, male eos, et perverse loqui: siquidem mali sint, et quod hi in Christum maledice, et nonnisi convitiando contulerunt; hoc in illos verissime retorsit. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* V. 36. „Hoc „quoque cohaeret cum superioribus, sunt verba „S. Hieronymi *in Comment.* et est sensus: Si „otiosum verbum, quod nequaquam aedificat au„dientes, non est absque periculo ejus, qui lo„quitur, et in die judicii redditurus est unus„quisque rationem sermonum suorum; quanto „magis vos, qui opera Spiritus Sancti calumni„amini?" *Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* V. 37. Hoc est, secundum ea, quae agis, judicaberis. Verbum enim pro re etiam, quae fit, Hebraica consvetudine loquendi usurpatur.

Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem, et non invenit, tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes ha-

bitant ibi: et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit generationi huic pessimae. V. 43. De generatione, et Judaeis ejus temporis hoc Christus pronunciavit. Immundos spiritus ad deserta loca amandari, quodque ipsis secundum voluntatem non sit, est Marci 5. v. 10. ubi daemones, cum sibi viderent exeundum esse ex homine, quem insederant, Christum rogant, ne extra regionem ipsos expelleret. Etiam Tobiae 8. v. 3. est, daemonem a Raphaele angelo actum esse in Aegypti desertam regionem, illicque alligatum. Sic vero eventurum illi Judaeorum generationi pessimae. Hunc populum Deus singularibus favoribus prosecutus, sibi arctius prae aliis omnibus nationibus adjunxerat. Identidem vero hic, a malo spiritu stimulatus, Deum deseruit, et falsis numinibus se addixit. Quem tandem sibi mancipatum diabolus gravissima servitute sua premere coepit, postquam in poenam toties deserti Dei, atque ipsius etiam Christi interfecti, in illas infidelitatis tenebras incidit, in quibus etiam modo est.

CAPVT XIII.

Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? V. 10. Non modo Christum docentem Capharnaï in litore maris Tiberiadis, et statim post primam parabolam de homine semen seminante in agro, discipuli interpellaverunt, sed finito toto hoc sermone, cumque soli cum Christo essent, hoc ex illo quaesiverunt. Marc. 4. v. 10. *Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est, nosse mysteria regni caelorum: illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit: qui autem non habet, et quod habet, auferetur ab eo.* V. 11. Quomodo hoc cuipiam potest auferri, quod non habet? Idem hoc infra C. 25. v. 29. est dictum iterum a Christo in parabola de servis, quibus Dominus talenta ad negotiandum dederat, et ab eo servo qui talentum, quod acceperat, sine lucro exhibuit, accipi jussit, eique dari servo, qui plurimum lucri fecerat: „ Omni „ habenti dabitur et abundabit: ei autem, qui „ non habet, et quod videtur habere, auferetur „ ab eo. „ Lucrum videlicet fuit, quod et ille servus habuit, cui talentum datum est, ablatum ab inerte servo alio; et is non habuit servus, cui talentum ablatum est, et ob cujus defectum etiam talentum perdidit, quod habuit. Itaque etiam hic istud: Qui enim habet, nempe lucrum ex re sibi data, huic adhuc dabitur, et abundabit: qui autem non habet fructum ex re sibi collata, huic etiam illud, quod jam accepit, auferetur. Erga Judaeos scilicet est hoc per Christum in para-

bolis ad eos loquentem sic factum. Non crediderunt in ipsum, cum se illis jam tot prodigiis declarasset. Itaque ipsius etiam Evangelicae doctrinae clariorem lucem, quam praebere ipsis coepit, subtraxit, tantumque per parabolas deinceps locutus iisdem est. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident; et audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Isaiae dicentis: Auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non videbitis. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt; nequando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.* V. 13. Christus dixit, ipsos et vidisse, et non vidisse; audivisse, et non audivisse. Viderunt autem ea, quae Christus egit prodigia in eorum oculis; audiverunt, quae Christus de se praedicabat, et quem se esse, illis testatus est: sed non viderunt, nec audiverunt mentis oculis, atque auribus: quem non agnoverunt Messiam esse, et cujus doctrinam respuerunt. Quomodo hoc vaticinium etiam ad istos Judaeos vere spectaverit, qui aetate vixerunt Christi, cum hoc Isaias illis Judaeis dicere jussus sit, qui eodem tempore cum ipso vixerunt, est demonstratum a me Instit. Herm. V. T. tom. 3. num. 25.

Et ait: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. V. 29. Hanc parabolam deinde V. 37. discipulis ipse explicuit Christus, et declaravit, agrum, in quo paterfamilias seminavit

bonum semen, ejus vero inimicus zizania superseminavit, esse mundum. Ex quo intelligitur, nec per agrum hunc significari Ecclesiam, quae mundus non est, quamvis etiam in mundo sit; *Joan.* 15. *v.* 19. nec per zizania designari malos, qui in sola sint Ecclesia, sed hos, qui sunt in universo mundo; et eo minus per zizania esse designatos haereticos, qui nequidem manent in Ecclesia, ex qua exeunt, alienando se a fide. 1. *Joan.* 2. *v.* 19. In agro autem, hoc est, in mundo, dominus agri, sinit zizania crescere usque ad tempus messis, id est, ut ipse Christus explicuit, usque ad consummationem seculi, finemque mundi, et cavet, ne prius sufferantur ex agro, ne fortasse volendo ista evellere, et tollere, simul triticum evelleretur. Nam Deus tolerat malos in mundo: qui si statim, ubi mali esse coeperunt, abriperentur ex mundo, cum ex malis multi fiant boni, cum zizaniis evelleretur id etiam, quod futurum erat triticum. Dei ergo illa benignitas hac expressa parabola est, qua malos non illico punit; sed spatium his dat poenitentiae, et revertendi ad frugem. Huic tamen agro, in quo bonum semen seminatum fuit, assimilatum est regnum caelorum, id est Ecclesia, ut jam aliquoties supra fuit, quia haec etiam in mundo est, et boni in ipsa etiam Ecclesia necesse habent cum malis extra Ecclesiam positis versari. „Alioquin dicit Paulus, scribens „ad Corinthios, debueratis de hoc mundo exiisse.“ 1. *Cor.* 5. *v.* 10. Quatenus ergo Ecclesia in mundo inter malos ejusdem mundi est; eatenus assimilata est huic agro, per quem in hac parabola designatus mundus est.

Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum caelorum grano sinapis V. 31. Etiam in hac parabola, et assimilatione regni caelorum, hoc est, Ecclesiae, cum grano sinapi, Ec-

clesia consideratur, ut in mundo est. Illud autem significatur, quod, quemadmodum granum, et semen sinapis exiguum est, ex quo tamen planta, quae nascitur, fieret ingens instar arboris (in Orientis regionibus ad talem magnitudinem solet excrescere, non in regionibus nostris) sic Ecclesia, initio parva, creverit in ingentem magnitudinem, ad quam convolaverint gentes ex toto mundo.

Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum caelorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est totum. V. 33. In eodem vertitur haec etiam assimilatio regni caelorum, et Ecclesiae cum fermento massae de farina commixto, in quo prior cum grano sinapis. Nam, ut fermentum celeriter pervadit, et turgescere facit massam; sic per Apostolos missos in mundum ad praedicandum Evangelium omnibus gentibus, Fides se se diffudit, et Religio summa celeritate per universum mundum.

Haec omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis: ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. V. 34. Propheta iste Psaltes fuit, a) et verba sunt ex Psalmi 77. V. 2. quae Matthaeus produxit, impletaque esse docet per Christum parabolis utentem. In hoc psalmo beneficia recensentur, quae Deus populo praestitit Israelitico, dum hunc ex Aegypto eduxisset, in suumque pe-

---

a) Nec tamen iste intelligendus est David. Non enim Psalmi omnes ab hoc uno sunt. In Opere meae Interpretationis declaravi, pertinere hunc ad tempus, postquam scissio facta est unius prius regni in regna duo, Juda, et Israel.

culiarem populum assumpsisset; ut hac beneficiorum commemoratione ii, qui in regno Israel desciverant ad colendos Jeroboami vitulos aureos, ad Dei cultum revocarentur. Quae Psaltes memoravit Dei beneficia erga Israeliticum populum, sunt res, quae huic praestitae a Deo sunt in ejus eductione ex Aegypto, traductione per mare Rubrum, ductu per desertum, introductione, et collocatione in terra promissa, quaeque omnia typica fuerunt eorum, quae sunt acta per Christum, et modo adhuc aguntur erga Ecclesiam. 1. *Cor.* 10. *v.* 6. Dum ergo ista per Psaltem decantarentur carmine, Christus ipse fuit delineatus typice, illudque adumbratum, quod acturus erat in salutem humani generis. Dei haec beneficia Psaltes Israelitis, a Deo transfugis, et apostatis, proposuit carmine. Omne vero, quod scite, atque eleganter fuit compositum, Hebraeis etiam fuit parabola. Hinc intelligi potest, cur Psaltes, psalmum hunc cantaturus, dixerit, se aperturum os suum in parabolis, et quomodo quod sic isto parabolico loquendi genere actum a Psalte erga Judaeos sui temporis typicum fuit erga Christum, verba etiam facientem ad Judaeos in parabolis, impletum per Christum sit, quemadmodum Matthaeus testatus est. Qui vaticinia, et typos negant, etiam in hoc, quod modo Matthaeus asseruit, esse impletum per Christum, volunt meram esse adcommodationem. Nec aliter facere possunt vi scopi, quem habent. Nam aliter vaticinia de Christo confiterentur.

Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, et prae gaudio illius vadit, et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum. V. 44. Regni caelorum annunciatio facta est per Evangelium. Itaque significabatur hac cum thesauro invento com-

paratione, bono hoc reperto, quod offert Evangelium, nihil esse anteponendum, huicque comparando impendenda alia omnia. Ad idem significandum, et docendum pertinet altera etiam subsequens regni caelorum assimilatio cum pretiosa margarita: cui comparandae negotiator omnia etiam sua impendat, e cujus pretio facturus lucrum amplissimum sit.

Intellexistis haec omnia? Sunt verba Christi ad discipulos, postquam has illis parabolas declarasset, et illam insuper de piscibus per sagenam captis in mari. *Dicunt ei: etiam, Ait illis: Ideo omnis Scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, et vetera.* V. 51. Regnum caelornm est Ecclesia, ut jam saepius hoc etiam capite fuit. Thesaurus, Hebraice צָפוּן, id omne dicitur, quod reponitur, et conservatur. Itaque Scribas Ecclesiae suae, hoc est, doctos, aliorumque doctores declaravit, debere esse tales, quibus, quasi promis, in cella penuaria praesto sint tam ex lege vetere, et Prophetis, quam etiam Evangelio doctrinae apparatus ad instruendam Ecclesiam.

Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde, et veniens in patriam suam (Nazarethum) *docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, et dicerent: Vnde huic sapientia haec, et virtutes?* (miracula supra C. 11. v. 20.) *Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Juda? et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis. Non est propheta sine honore, nisi in patria sua,*

et in domo sua. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum V. 53. Qui hic fratres Christi dicuntur, hos fuisse Josephi filios, ex alia conjuge susceptos, antequam sibi desponsasset Deiparam, S. Epiphanius *haeres.* 51. Theophylactus *in Comment. in Matth.* et plures alii e Graecis senserunt. Ex quibusdam apocryphis auctoribus hausisse ipsos hanc opinionem, dicit S. Hieronymus *in Comment.* Helvidius, seculo Ecclesiae quarto, dictitabat, esse hos ejusdem Deiparae filios, quos ex Josepho susceperit, postquam genuisset Christum, negans mansisse virginem post editum Christum. Hanc Helvidii sententiam, cui contraria fuit semper Catholica Ecclesia, suscitarunt iterum quidam e Protestantibus, nominatim David Michaelis. Qui cum in Annotationibus suis in Matthaeum adhuc haesitando de hoc locutus fuisset; deinde in Introductione sua in Libros N. F. §. 238. affirmavit, nisi Joseph conjuge sua usus ad suscipiendas proles esset; istud non tantum fucatum ejus matrimonium (Scheinehe) futurum fuisse, dissonum a Morali sanae rationis, sed etiam reprehensione dignum, et peccato obnoxium, utpote ei contrarium, quod Paulus 1. *Cor. Cap.* 7. de matrimonio praescripserit. At enim hi, qui fratres Christi hocce loco apud Matthaeum vocantur, non alii fuerunt, quam ejus propinqui, filii Mariae Cleophae, quae soror fuit Virginis Deiparae. Nam Jacob, et Joseph, duo ex his quatuor, qui modo apud Matthaeum commemorati sunt, dicuntur Mariae filii fuisse, *Matth.* 27. *v.* 56. quae eadem Maria ab Joanne. C. 19. v. 25. Maria Cleophae vocatur, et soror matris Jesu fuisse dicitur. Nam hanc Mariam Cleophae esse illam Mariam, quae a Matthaeo, et Joanne, modo citatis locis, et insuper a Marco C. 15. v. 40 memorata est, inde fit cer-

tissimum; quod cum tres alias mulieres, praeter Matrem Domini, Evangelistae testentur fuisse, quae Christo adstiterint pendenti in cruce, et ad ejus sepulcrum venerint; ex his vero tribus, duae fuerint, Maria Magdalena et Salome, testibus iisdem Evangelistis; restet, ut ex his tertia alia non fuerit, quam Maria Cleophae, soror Deiparae, mater Jacobi, et Joseph: *Matth.* 27. *v.* 56. ac proinde etiam mater Simonis, et Judae, reliquorum duorum, qui in praesenti loco fratres Christi vocantur, utpote, qui fratres fuerint Jacobi, et Joseph. Ista ratione tantum consobrinos Christi fuisse, quos Scriptura solet fratres Christi vocare, probavit etiam S. Hieronymus in libro adversus Helvidium. Quin probabilius, hi nc consobrini quidem, sed alia tantum propinquitate juncti Christo fuerunt. Siquidem nec probabile sit, Mariam Deiparam, et Mariam Cleophae, si sorores germanae fuissent, idem nomen Mariae gessisse. Quemadmodum ergo fratres phrasi Scripturae, non semper ii vocantur, qui sunt germani, sed alii etiam propinqui inter se, et cognati; ita Maria Cleophae quoque non nisi ista ratione fuit soror Deiparae. Quae dum Helvidii sententia inscitia fuit intelligendae Scripturae, praeterquam quod etiam injuriosa fuerit illibatae virginitati Deiparae; majorine sapientia interpretationis hanc putidam crambem recoxit Michaelisius? Nazarethani autem ex Christo σκάνδαλον patiebantur. Non enim congruebat illorum captui, ut Mesias esset is, tametsi tantas illius res vidissent, quem e paupere matre natum, in paupertate apud se educatum, omnemque ejus cognationem tenuem, atque humilem esse novissent.

CAPVT. XIV.

Misitque, et decollavit Joannem in carcere. V. 10. Herodes tetrarcha. Herodiadis, cujus machinatione caedes perfecta est, filia vocabatur Salome. Joannes in castro Macheruntis, quod situm fuit in ea regione, quam tribus Ruben olim possederat, et carceri mancipatus, et occisus est ab Herode. *Josephus lib.* 18. *Ant. C.* 2, 7.

Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum, et cum audissent turbae, secutae sunt eum pedestres de civitatibus. Et exiens vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum. V. 13. Lacum Genesareth transfretando, et in adversam partem navigando contulit se ad desertum locum. Ex navi cum exscenderet, jam reperit turbam hominum illic, quae ipsum abeuntem secuta, sed pedestri itinere, et celeritate usa praevenerat, quemadmodum est apud Marcum C. 6. v. 33. Hinc sequitur, Christum navi trajecisse lacum Genesareth non procul ab ejus extremitate, ut ita turba illa, quamvis circumire aliquantulum debuerit; tamen cursu suo cursum navis superare potuerit. Qua in re, quae licet difficultatis nihil habeat, quomodo turba pedibus praecurrere Christum potuerit navigantem in adversam partem; tamen David Michaelis, tantus interpres, nodum iterum ejusmodi expertus est, quem aliter solvere nesciverit, quam dicendo, Matthaeum errore lapsum esse, nec rem recte narrasse: ne tamen Matthaei auctoritas, et fides historica labem etiam aliquam pateretur, provi-

dus fuit, asserendo, hanc esse sortem omnis historici, et nullum in scribenda historia esse errore immunem, et quo majus pondus accederet ab exemplo; hoc confirmavit etiam Friderici II. Borussiae regis de suis rebus historia: in qua tamen etiam iste valde multos, et graves errores admiserit, et unde sapientissime conclusit, minus hoc mirandum, vel vitio dandum esse Matthaeo.

Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus, et hora jam praeteriit, dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes, et duos pisces. — — Et manducaverunt omnes, et saturati sunt: et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, et parvulis. V. 15. Idem hoc prodigium refertur ab Joanne C. 6. v. 9. Ex quo apparet etiam, factum hoc esse imminente festo Paschatis, quod tertium fuit ejus temporis, quo Christus per annos tres praedicavit Evangelium, adeoque penultimum, antequam in insequentis anni Paschate mortem oppeteret. *Et statim compulit Jesus discipulos adscendere in naviculam, et praecedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.* V. 22. In eamdem videlicet freti, et lacus partem, unde supra fuit, Christum transfretasse. *Et dimissa turba adscendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.* V. 23. Vespera jam dicitur fuisse, dum discipuli Christum accessissent, et dixissent, ut dimitteret turbas ad emendas sibi escas, et quas ipse deinde refecerat. Post id vero rursum dicitur vespera esse

facta eodem illo die. Nempe Hebraeis duae erant ejusdem diei vesperae: quarum altera incipiebat, sole ad occasum inclinante, altera, dum idem sol occidisset. a)

Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus. V. 24. Qua discipuli vehebantur, praemissi a Christo in alteram lacus partem. *Erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est, et prae timore clamaverunt.* Phantasma Latine spectrum vertitur: sumitur vero jam pro imagine in mente per imaginationem efformata, jam pro apparitione alicujus, qui absens, vel mortuus est. Sic absentem Christum sibi apparere crediderunt discipuli. Marcus. Cap. 6. v. 48. hanc eamdem rem referens, dicit, Christum praeterire illos voluisse. Haec itaque res metu illos affecit, ut non ipsum Christum putarent, qui si esset, non eos praeteriturus videretur, sed quidpiam aliud, illius assumpta forma. *Statimque Jesus locutus est eis, dicens. Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. Et ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad Jesum. Videns vero ventum validum timuit, et cum coepisset mergi, clamavit, dicens: Domine salvum me fac! Et continuo Jesus extendens manum, apprehendit eum, et ait illi: Modicae fidei quare dubitasti? Et cum adscendissent in naviculam, cessavit ventus.* V. 27. Paulusius hanc Christi, et Petri ambulati-

a) Vide Instit. Herm. meas V. T. tom. I. cap. 32. §. 96.

onem, super mare etiam vult factam pure naturaliter, hocce autem modo: Christum non ambulasse super mare, sed per litus, quique circumeundo hoc transierit pedestri itinere: discipulis vero in navi sic rem apparuisse, quasi super ipsum mare ambulasset. Petrum ad Christum natando ivisse: dumque jam in litore fluctibus sorberetur, apprehensum a Christo, extractumque esse. De suo videlicet ingenio, moreque suo verba Evangelistae accipit, et intelligit, prout vult: deinde addit etiam, vel demit, quaecunque eo conducunt, ut illud prodeat, quod destinatum habet. Annon Matthaeus Christum, itemque Petrum dicit, ambulasse super mare? Cur ergo ipse substituit, et quo jure, Christum ambulasse in litore? Vbi etiam in Matthaei narratione est, Petrum natando ivisse ad Christum? Jam si sua figmenta substituit eis, quae sunt in narratione Matthaei, saltem aliquid versimile excogitasset iste homo tam ingeniosus, tam acutus. Petrum ponit natando ivisse versus litus ad Christum, et cum jam ita prope esset, ut manu illum attingere Christus potuerit, tunc timuisse, tunc mergi coepisse. Qui prius in profundo mari natans mersus non est, idem in litore mergebatur! Annon Paulusii hic mersum ingenium est?

Idem negat etiam in illa refectione quinque millium hominum de quinque panibus, et duobus piscibus aliquid fuisse prodigii. Dicit, Christum istos quinque panes, atque pisces duos, quos ejus discipuli habuerint, et dederint, protulisse, solius sui boni, et prompti animi testificandi gratia erga turbam, ad eam cibo reficiendam: hoc illius tam bene affecto animo provocatos esse omnes illos, qui provisi alimentis erant, atque similiter haec cum illis communicasse, qui annona destituti in turba ea erant. Ita refectam esse totam il-

lam multitudinem, ut fragmentorum panis adhuc duodecim cophini, sive corbes remanerent. Hac eadem ratione etiam rem explicat, dum capitis sequentis V. 36. denuo Christus septem panibus quatuor hominum millia refecisset. Sed estne in tota Matthaei narratione uspiam vola, et vestigium, ad quinque panes, et duos pisces, accessisse quidpiam, quod collatum esset ab aliis? Istam ergo collationem tantum iterum confinxit Paulusius, et intrusit ad narrationem Matthaei, ne per miraculum videri deberet facta panum, atque piscium multiplicatio. a)

Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. V. 34. In Graeco est *Genesareth*, civitatisque proprium nomen est, unde et lacus vicinus, et regio, propinqua civitati, terra Genesar, vel Genesareth appellata est.

---

a) Commentarii Tom. I. pag. 295. 333.

CA-

CAPVT XV.

Tunc accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribae, et Pharisaei, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant. Ipse autem respondens, ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem, et matrem, et qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. (Exod. 20. v. 12. Lev. 20. v. 9.) *Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri, vel matri: Munus, quodcunque est ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* V. 1. Honoratio parentum non illa hic intelligitur, quae consistit in solis verborum officiis, similique contestatione alia, sed ea; ut si parentes egentes essent, his liberi subvenirent, atque sic suam in illos pietatem testarentur. Qua ratione pro vitae subsidiis suppeditatis honor etiam 1. Tim. 5. v. 3. 7. sumitur. „ Scribae, et Pharisaei, ut impietatem „ sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios; ut si quis ea, quae parentibus offerenda sunt, Deo vovere voluerit, qui verus „ est Pater, oblatio Domini praeponatur parentum muneribus. Atque ita fiebat, ut oblatio liberorum sub occasione templi Dei in sacerdotum lucra cederet. „ S. Hieronymus *in Comment.*

Hoc, quod Scribis, et Pharisaeis de Seniorum traditionibus, Dei mandato antepositis, Chri-

stus crimini dedit; in nos etiam conjecerunt Sectatores Augustanae, et Helveticae Confessionis, quasi idem faceremus, dum praeter Scripturas sacras etiam Traditiones habere nos profitemur. Quam apte, ipsi viderint. Nos enim Traditiones nostras non ipsi nobis cudimus, quemadmodum suas habuerunt Scribae, et Pharisaei tantum a Senioribus factas, et excogitatas; sed illas perinde, ut ipsas Scripturas Canonicas ab Apostolis repetimus. Dum ipsi nihil extra Scripturas volunt recognoscere traditum Ecclesiae ab Apostolis; probandum haberent, Apostolos omnem doctrinam suam scriptis mandasse. Tantum vero abest, ut hoc fecerint; ut plerique etiam ex his ne unicam quidem literulam suam nobis reliquerint. Dumque Paulus, quo nemo inter Apostolos plura scripsit, tamen Thessalonicensibus praecepit, ut Traditiones tenerent, quas didicissent sive per sermonem, sive per epistolam, 2. *Thess.* 2. *v.* 15. num satis declaravit, doctrinam se se illis omnem non tradidisse per scripturam? Quod si fuisset, doctrinam hanc, per scripturam ipsis traditam, inculcasset solam, alterius nullius mentionem facere debuisset. At vero, dum Apostolus ad doctrinam, solo etiam sermone traditam, Thessalonicenses aeque adhortatur, ac ad eam, quam illis per scripturam tradidit; quinam, quaeso, adversus mandatum, in ipsa Scriptura nobis datum, agunt, nosne, qui Traditiones amplectimur, an qui has repudiant?

Hypocritae bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, et mandata hominum. V. 7. Sine causa, μάτην, id, quod in Marco c. 7. v. 7. ab interprete Latino expressum sic est: *In vanum autem colunt me.*

Prophetia, quam Christus adduxit, exstat Isaiae 29. v. 13. Istud vero apud Isaiam de illis Judaeis dictum est a Deo, qui illo eodem cum Isaia tempore vixerunt. Attamen, quomodo una prophetia fuerit de Judaeis Christi aetate, est demonstratum a me Instit. Herm. V. T. tom. 3. num. 25.

Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, et intelligite: Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. V. 10. Istud, quod in os intrat, non coinquinare hominem, non tantum Protestantes usurparunt, dum per suam reformationem abstinentiam, quae certis diebus nobis a carnibus est, et jejunium apud se sustulissent; sed in ore habent etiam illi Catholici, qui ad illorum imitationem, de quibus modo dictum est, nihil scire volunt de jejunio, et abstinentia, quorumque Religio est semper Bacchanalia vivere. a) At vero, annon fructus ille arboris, quem Adam adversus Dei prohibitionem comedit, coinquinavit non tantum Adamum, sed nos etiam omnes, qui in illo tunc peccante peccavimus omnes, in mortemque, et damnationem ideo incidimus? *Rom.* 5. *v.* 12 18. Nec illud pomum, quia pomum fuit, Dei enim creatura erat, quae bona omnis est, 1. *Tim.* 4. *v.* 4. coinquinavit Adamum, atque una nos peccato: sed quia res acta fuit adversus Dei mandatum. Vbinam vero in Scriptura sit, fortasse etiam quaerent, hoc abstinendi a carnibus, et jejunandi mandatum. Jejunium, atque abstinentiam habere nos profitemur

---

a) „In alimentorum usu nonnisi intemperantia criminis „notam semper habet. In ipsa ciborum abstinentia „nihil sanctitatis, nihil meriti situm est. Quare etiam „his fruentem damnare, nunquam fas est.“ *Ant. Carol. Reyberger. Ethic. Christian. Tom. III. pag.* 175.

ex traditione Apostolica, quam traditionem per ipsam Scripturam nobis esse impositam, paulo ante demonstratum est. Deinde in eadem Scriptura Act. 13. *v.* 2, 3. est, jejunasse non tantum Apostolos, neque tantum ex sola necessitate, sed ex proposito, verum etiam ipsum Christum. *Matth.* 4. *v.* 2. Quod ergo Apostoli, quod Christus ipse fecit; num vim non debebit habere ad instruendos etiam nos? Christusne jejunandi exemplum nobis dedisset; si nihil sanctitatis, nihil meriti in jejunio esset? Is potestatem Apostolis dederat in daemonia. In quopiam, qui a daemone obsessus erat, hujus expulsio Apostolis non ad votum cesserat, daemone nolente cedere. Iisdem causam exquirentibus, responsum datum fuit a Christo, genus illud daemonii non ejici, nisi per orationem, et jejunium. *Matth.* 17. *v.* 20. Habet ergo jejunium vim impetrandi illud a Deo, quod obtinere a Deo quaerimus. Ergo jejunium nos commendat Deo. Esca est, quae nos non commendat Deo. 1. *Cor.* 8. *v.* 8.

Tunc accedentes discipuli ejus dixerunt ei: Scis, quia Pharisaei, audito verbo hoc, scandalizati sunt? At ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur. Sinite illos. Caeci sunt, et duces caecorum. Caecus autem, si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt. V. 12. Doctrinam non a Deo ex ejus lege haustam, sed a Pharisaeis tantum inductam proprio ingenio, qualis res erat, cura puritatis quoad animum praetermissa, religionem, et sanctimoniam ponere in manuum lotione, Christus vocat plantationem, quam Pater caelestis non plantaverit.

Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri, et Sidonis. Et ecce mulier Chananaea,

a finibus illis egressa, clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine, fili David! Filia mea male a doemonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel. At illa venit, et adoravit eum, dicens: Domine adjuva me! Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine. Nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier! magna est fides tua. Fiat tibi, sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora. V. 21. Marcus C. 7. v. 26. vocat hanc feminam Syrophoenissam. Tyrus enim, et Sidon, e quarum regione mulier haec venerat, civitates erant in Phoenicia, quae Syriae fuit contermina. Mulier haec, quae Christum iter facientem secuta fuit, opem illius implorans, non in via, sed tantum in domo, in quam Christus intravit, in genua coram eo procidit, quemadmodum docet Marcus citato loco. Idem refert, Christum huic mulieri etiam istud dixisse: *Sine prius saturari filios.* Tantum Judaeis fuit Christus promissus. Id quod jam supra C. 10. v. 5. demonstratum est. Dicit vero Apostolus, propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum fuisse Christum ministrum circumcisionis, gentes autem pro misericordia debere honorare Deum. *Rom.* 15. *v.* 8. Hoc itaque est, quod Christus se missum dixerit tantum ad oves, quae perierunt domus Israel: quae tamen gratia Evangelii deinde, quamvis non vi divinae promissionis, sed ex sola Dei misericordia collata est etiam aliis omnibus gentibus, ita tamen; ut non tantum per Chri-

stum, verum etiam per Apostolos Judaeis prius fieret Evangelii annunciatio.

CAPVT XVI.

Venit autem Jesus in partes Caesareae Philippi. V. 13. Ex partibus Tyri, et Sidonis Christus regressus, ubi a muliere Chananaea rogatus fuit pro filiae liberatione a daemonio, venit ad mare Galilaeae, ubi multos caecos, claudos, aliisque morbis affectos curavit: hinc navigando venit in fines Magedan, juxta Marcum 8. v. 10. in partes Dalmanutha: quae enim loca vicina, et eidem regioni erant communia, ab horum sive uno, sive altero haec poterat aeque regio denominari. In regione Magedan Pharisaei, et Sadducaei iterum signum a Christo petierunt de caelo, quemadmodum fuit initio hujus capitis. Hinc ex Magedan, quae civitas ex latere maris Galilaeae Orientali sita erat, navigavit cum discipulis in civitatem Bethsaida, *Marc.* 8. *v.* 22. quae sita fuit in ea ejusdem lacus parte, quae spectat ad Septemtriones. Hinc pedibus iter ingressus venerat in partes Caesareae Philippi. Haec in extremis finibus Palaestinae fuit posita ad Septemtriones, olim vocata Paneas. A Philippo autem Herodis Antipae fratre novis ornamentis instructa in honorem Tiberii Caesaris Caesarea vocata est cum cognomento Philippi, ut distingveretur ab altera Caesarea, ab Herode patre Philippi aedificata in honorem Augusti ad mare Mediterraneum. *Et in-*

terrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. V. 14.

Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi. Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es Simon, bar Jona: quia caro, et sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. V. 15. Christum jam etiam Nathanael, aliique Filium Dei confessi sunt. *Joan.* 1. *v.* 49. *Matth.* 14. *v.* 33. etc. Nec tamen idcirco sic, quemadmodum nunc Petrus, laudati, et beati praedicati a Christo sunt. Quare hinc, et quod insuper testimonio Christi, Petrus ex Divina revelatione didicerit, Christum esse Filium Dei vivi, S. Chrysostomo *homil* 54. *in Matth.* certissimum fuit argumentum, Filium Dei, quem Christum Petrus confessus est, non talem esse, qualem jam alii etiam prius confessi erant, unum de multis, qui per adoptationis gratiam facti sunt filii Dei; sed eum Dei filium, qui ex ipsa Dei substantia natus sit. Pariter S. Hilarius *lib.* 6. *de Trinit.* isto velut invicto argumento usus est adversus Arianos ad probandam Christi divinitatem. Idem argumentum divinitatis Christi firmissimum, et indubitatum hinc duxerunt S. Leo *Serm.* 3. *in Annivers. Assumpt.* S. Ambrosius *lib.* 4. *in Luc.* et Patres omnes, in hac Petri confessione divinitatis Christi professionem viderunt, et intellexerunt. Et revera talem tantum Dei filium Christum confiteri, qualis v. 9. fuit etiam Joannes Bapt. et Prophetae, omnesque Justi; nihil fuisset, quod Petrus Christo tribuisset singulare, nec ad hoc agnoscendum, et confitendum ultra naturale lumen ingenii, solamque hu-

manam prudentiam alio Petrus lumine opus habuisset, Patrisque caelestis revelatione: ob quam tamen ei factam beatus praedicatus a Christo est. Nam etiam Joannem Herodes sciebat virum esse sanctum, atque justum *Marc.* 6. *v.* 20. neque de hoc aliter senserat universus populus. *Matth.* 14. *v.* 5. Ergone etiam hoc de Joanne Herodi, ceterisque divinitus revelatum est? non illius sanctimoniam per seipsos adverterunt?

Illi Scripturae Interpretes, qui nati superiore seculo sunt, ex usu, et more loquendi statuentes, appellationem filii Dei non significare aliud etiam de Christo, quam hominem dignitate eminentem, asserunt, ne in Petri quidem hac confessione plus aliquid fuisse de Christo, quam quod ei tributum fuit jam etiam ab aliis, esse videlicet Messiam, et Christum, sed quemadmodum persvasum fuerit Judaeis, hunc futurum nonnisi hominem. Hoc equidem, inquit David Michaelis (in Adnotat. ad hunc locum) non idem in ore Petri fuerit, quod esse filium Dei aeternum juxta naturam Divinam, de qua nihil is adhuc tum sciverit, tantumque hoc exprimere voluisse, quod Christi, et Messiae nomine intelligebatur, juxta morem loquendi Judaeis usitatum. Hinc neque mirum esse, cur Marcus rem hanc compendiosius referens, verba: *Filius Dei vivi*, penitus praetermiserit. a) Hunc morem loquendi, ut Filius Dei nuspiam in Scriptura, eam, quae

---

a) Dis soll wol hier im Munde Petri nicht seyn, *der ewige Sohn Gottes* nach der göttlichen Natur, denn von der mochte wol Petrus damahls noch nichts wissen, sondern eben so viel, als das vorhergehende, *der Messias*, nach der damahls gewöhnlichen Sprache der Juden. Es ist daher nicht zu verwundern, wenn der diese Geschichte, und Reden abgekürzter erzählende Marcus es auslässt.

proprie intelligitur Divinitas, significet, esse falsum, ac commentitium, demonstratum est a me *Herm. Instit. V. T. tom. I. c.* 6. §. 16. et quamvis iste Judaeis vel maxime fuisset; Paterne caelest s etiam revelans Petro, quis Christus esset, suam attemperare revelationem debuit falsae Judaeorum opinioni de puro homine Christo? Nec esse mirum dicit, quod Marcus C. 8. v. 29. addo ego etiam Lucam C. 9. v. 20. dum rem hanc proponunt compendiosius, in confessione Petri tantum habeant Christum, non vero etiam Filium Dei, quem is professus sit. Nam Evangelistis certum erat, Christianos, quibus ea aetate scribebant, Christi nomine non purum hominem, sed Deum, hominem factum, intellecturos: quam Christi divinitatem, novi nostrae aetatis interpretes, ubique sufferre, et delere conantur. Deinde isti, tam docti interpretes, sciuntne illam etiam interpretandi regulam, pertinentem non tantum ad solam Scripturam, sed etiam ad omne aliud scriptorum genus, quod, dum Evangelistae plures rem eamdem referunt, alius brevius, alius plenius; explicatio non debeat fieri ejus, quod plenius est per illud, quod brevius est, sed hujus per illud? Ergo etiam hoc loco non Matthaeus per Marcum, sed hic per illum explanandus est. Caro, et sangvis, Petro hanc revelationem de divinitate Christi tribuere non potuit. „ Nemo enim „ novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis „ novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius reve„ lare. „ *Matth.* 11. *v.* 27. Per carnem vero, et sangvinem, cum haec utique significent eam substantiam, unde Petrus constabat, intelligitur, humana prudentia, atque per sensus corporeos hausta notitia. Idem Michaelis revelationem Patris caelestis, Petro factam, in miraculis constituit, a Christo patratis, ex quibus illa hunc agno-

verit, Messiam esse. At vero ex his etiam Nathanael, pluresque alii eumdem Messiam agnoverunt, atque Dei filium esse confessi sunt, quemadmodum demonstratum paulo ante est. Nihil ergo hoc singulare fuisset in Petro: ob quod tamen praemium tulit, quod Christus nemini praestitit alteri, nisi Petro. Alii adhuc Michaelisio acutiores interpretes fuerunt, qui per suum usum loquendi hanc, quam Christus sui caelestis Patris revelationem fuisse declaravit, tamen negent, Divinam fuisse revelationem, sed hoc nomine volunt tantummodo significatum esse id; quod ipse homo prudentius, atque rectius cogitasset, praesertim, si res esset vel subtilior, vel praestantior. Paulusius *Comment. Part. II. pag.* 558. hanc Patris caelestis revelationem interpretatus est, id esse, quod Petrus mente, et intellectu assecutus sit; contra, revelationem per carnem, et sangvinem esse crassam, et humi repentem opinationem. Quem usum loquendi tunc tantum probaturi sunt; ubi demonstraverint, perfecerintque, nullam existere Divinam uspiam revelationem: quae sic nulla esset, si quod dicitur Deus revelasse; tamen non esset Divina revelatio. Nec Paulusius quidquam protulit ad hunc morem probandum, eumdemque alii etiam tantum asserunt ejusdem farinae homines, nihil habentes pro fundamento, nisi infrunitam sentiendi libidinem ad subversionem Religionis. a)

In vicem hujus confessionis dixit deinde Christus Petro: *Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Quae verba omnino ad Petrum esse directa a Christo, jam modo passim recognoscunt ipsi etiam Protestantes. Nimis enim

a) Vide Instit. meas Herm. V. T. Prolegom. §. 13. tom. 2. Cap. 34. §. 159.

hoc apertum est. Nam, dum Christus Petro dixit: *Et ego dico tibi*, post illud, quod Christo Petrus testimonium Divinitatis dedit; certe debet intelligi, etiam Petro esse dictum a Christo, quod dixit. Nam secus nihil Petro Christus dixisset, cum tamen se se illi aliquid magnum, idque in vicem praestitae confessionis, dicturum ostendisset. At vero aedificationem Ecclesiae supra Petram, non aliud volunt significare, quam quod haec doctrinam, fidemque suam fundet in testimonio Apostolorum, et inter quos praecipuus testis Petrus fuerit. a) Ejusdem vero Evangelicae doctrinae testes fuerunt omnes Apostoli: qui aliter non idem docendo, nec eamdem fidem plantassent, neque Ecclesiam, in unam Christi fidem conspirantem, fundassent. Idem etiam Jacobum, et Joannem in testificando pares Petro facit. Deinde, si aedificatio Ecclesiae in testimonio tantum consisteret, quod Apostoli Christo dederunt per promulgationem Evangelii, cum Paulus testetur, se aliis omnibus Apostolis in Evangelio abundantius laborasse; 1. *Cor.* 15. *v.* 10. iste primus ex Apostolis esset, super quem Christus suam aedificasset Ecclesiam, nec staret, quod Christus Petro dixit. Et unde tandem probaturi sunt, Ecclesiam supra Petrum aedificari, idem esse quod credere, et fidem in Christum amplecti per testimonium Petri de Evangelio? Est enim hoc pure pute arbitrarium, et sensus verbis Christi ex propria tantum sentiendi voluntate tributus. Nec ii

---

a) Die christliche Kirche gründet sich, ihrer Lehre nach, auf das Zeugniss der Apostel, unter denen Simon Petrus einer der vorzüglichsten, der Ordnung nach der erste, und von manchen Thatsachen nur er nebst Jacobus, und Johannes Augenzeuge ist. *David Michael. in Annotation.*

qui ad Petri, aut cujuscunque alterius Apostoli praedicationem fidem dederunt Evangelio, aedificabantur supra Petrum, aut alium Apostolum, quo praedicante crediderunt, verum supra ipsum Christum. „ Ad quem accedentes, lapidem vivum, „ ab hominibus quidem reprobatum, a Deo au„ tem electum, et honorificatum, et ipsi tan„ quam lapides vivi, superaedificamini domus „ spiritualis. „ 1. *Petr.* 2. *v.* 4. „ Fundamentum „ enim aliud nemo potest ponere praeter id, „ quod est Christus Jesus. „ 1. *Cor.* 3. *v.* 11.

Febroniani, qui dextras dextris Protestantium junxerunt, ne quid hic Petro amplius, quam ceteris Apostolis a Christo videretur esse collatum, adstruunt, et Petrum hanc fecisse confessionem ceterorum Apostolorum nomine, et quod Christus Petro in vicem hujus spopondit, non pertinere ad solum Petrum, sed aequaliter ad omnes Apostolos. Equidem Christus ad omnes Apostolos dixerat: *Vos autem quem me esse dicitis?* Petrus quoque pro ceteris omnibus respondit ea ratione, quod ipse unus hoc praestiterit, quod pariter reliquos, qui tacebant, oportuisset facere omnes: neque tamen Petrus, quod dedit responsum, processit ex sensu etiam, et persona reliquorum. Ex revelatione enim Patris caelestis sibi facta, diserte est, Petrum Christo confessionem divinitatis tribuisse; atque ob hanc praestitam eidem soli Petro dictum est a Christo: *Beatus es Simon bar Jona* etc. Ergo nec ex sensu, et persona ceterorum Apostolorum Christum Petrus Dei filium confessus est; neque quod Christus Petro rependit, ad ceteros pertinuit Apostolos. Et quid ipsos etiam juvat hic laborare, ut quod Petro dictum a Christo est, et promissum, extendatur ad ceteros Apostolos? Nam certe, dum Christus post suam a morte re-

surrectionem ex Petro quaesivisset, num eum plus his, monstrando Apostolos, inter quos fuisse etiam Joannem diserte est, diligeret, ac deinde Petro, suum testanti amorem, Christus dixit ter: *Pasce oves meas*, Joan. 21. v. 15, 17. in hoc non comprehendebantur ceteri Apostoli. Quemadmodum ergo Christus uni Petro oves suas tradidit pascendas; ita super hunc unum suam etiam aedificavit Ecclesiam.

Ex hac praefectura supra oves, hasque pascendi officio, quod Christus mandavit Petro, itemque ex eo, quod Fideles Christi dicantur superaedificati esse super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, *Eph.* 2. *v.* 10. iidemque dati a Christo sint ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, *Eph.* 4. *v.* 11. et Ecclesia sit corpus Christi, *Eph.* 1. *v.* 23. clarum fit, atque manifestum, quid sit, quod Christus dixit, supra Petrum se se aedificaturum Ecclesiam suam. Quemadmodum videlicet in domus aedificio cujuscunque lapides omnes superstructi esse debent fundamento, qui aliter neque ad idem aedificium pertinebunt; ita Fideles quoque, ex quibus componitur Ecclesia, debere adhaerere Petro: secus ne futuros quidem in Ecclesia : siquidem haec structa supra Petrum sit: sicut neque lapis est in aedificio, cujus non inhaeret, et insistit fundamento. Hoc est, quod tenuerunt, et docuerunt unanimi consensu Patres. „ Super unum aedificavit Ecclesiam suam, et ut unitatem Christus stabiliret, unam cathedram constituit, et unitatem originis posuit, dum eam ab uno homine descendere ostendit. Qui cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? „ *S. Cyprianus lib. de*

Vnit. Eccl. „ Ad hanc Ecclesiam (sunt verba „ S. Irenaei *lib.* 3. *cont. haeres. c.* 3. de Roma„ na autem loquitur Ecclesia) propter potentio„ rem ejus principalitatem, necesse est, omnem „ convenire Ecclesiam. „ Et S. Ambrosius *Serm.* 4. „ Petra, inquit, dicitur Petrus, eo quod, tan„ quam immobile fundamentum totius Operis „ Christiani compagem, molemque sustineat. „ Pariter S. Augustinus *Serm.* 28. *de Sanctis* „ So„ lus Petrus inter Apostolos meruit audire: *Tu* „ *es Petrus, et super hanc Petram aedifica*„ *bo Ecclesiam meam.* Dignus certe, qui ae„ dificandis in domo Dei populis lapis esset ad „ fundamentum, columna ad sustentaculum, cla„ vis ad regnum. „

At vero Ecclaesiae fundamenta sunt alii etiam Apostoli. *Eph.* 2. *v.* 20. *Apoc.* 21. *v.* 14. Sunt namque etiam hi positi a Christo Ecclesiae rectores, et pastores. *Act.* 20. *v.* 28. 1. *Petr.* 5. *v.* 2. Attamen sic, ut omnium horum etiam caput esset Petrus. Quam enim Ecclesiam suam Christus aedificaturum se dixit supra Petrum; in hac, quae una est Ecclesia (Vnum enim corpus Christi, quod est Ecclesia, *Colos.* 1. *v.* 24) profecto erant etiam Apostoli, iidemque in Christi ovium etiam numero, quas Christus, Petro, ut pasceret, tradidit. Nisi unum caput Ecclesiae esset, ad ejus vero ministerium, (nam ceteroquin illius caput, a quo vitam, et omnia sua habeat, Christus est) nisi, inquam, etiam in ministerium caput Ecclesiae unum constitutum fuisset, istudque tale esset, quod supra omnes illos emineat, qui etiam rectores, et pastores constituti sunt Ecclesiae, quales fuerunt Apostoli ceteri, ac deinde horum successores Episcopi; haberetne Ecclesia certum aliquod conjunctionis, atque unitatis centrum, et principium? Nam, si pares omnes

Episcopi auctoritate essent, et aequales potestate; horum nullus ab alio in docendis, atque regendis suis penderet: dumque hi dissiderent, ut saepe factum est, etiam in ipsa doctrina Fidei, sique his caput nullum esset, quo respicere deberent; non tantum incertum fieret, ubi sit vera Christi Ecclesia, quam secta quaevis nunquam non apud se esse venditavit; sed neque haec scissa ab invicem in doctrina Fidei una posset permanere. „ Super Petrum (sunt verba S. Hie-„ronymi *lib.* 1. *cont. Jovinian.*) fundatur Ec-„clesia, licet id ipsum in alio loco super omnes „Apostolos fiat, et cuncti claves regni caelorum „accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae for-„titudo solidetur; tamen propterea inter duode-„cim unus eligitur; ut capite constituto schisma-„tis tollatur occasio. „ a)

Portae inferi, πύλαι ᾅδου. ᾍδης vero, cui Hebraicum respondet *Scheol*, locum significat, in quo impii post mortem poenas dant. Nam ἐν τῷ ᾅδῃ etiam dives fuit flammis cruciatus, qui Lazari non est misertus. *Luc.* 16. *v.* 23. idemque proinde locus intelligitur, qui sic expressus est. 2.

---

a) Febroniani etiam isto S. Hieronymi: *Ex aequo*, abutuntur, trahuntque in suam partem. Hoc autem is de eo dixit, quod Apostoli etiam sint fundamentum Ecclesiae, *Eph.* 2. *v.* 20. iisdemque alligandi et solvendi omnia potestas data a Christo sit. *Matth.* 18. *v.* 18. At vero iidem in verbis Hieronymi supprimunt istud: „ Tamen propterea inter „duodecim unus eligitur, ut capite constituto schis-„matis tollatur occasio. „ Nam si ceterorum Apostolorum caput nihilominus Petrus; hinc Petro aequales sunt, qui eorum caput est? et adversum schisma, et scissionem satisne Ecclesiae provisum esset, si hocce caput solius alicujus honoris non etiam potestatis primatum haberet, cujus schismatis tollendi causa unum esse electum Petrum docuit Hieronymus?

Petr. 2. v. 4: „ Si enim Deus angelis peccanti-
„ bus non pepercit, sed rudentibus inferni (σει-
„ ραῖς ζόφου, *catenis caliginis*) detractos in tar-
„ tarum tradidit cruciandos in judicium reserva-
„ ri. „ Idem verbum usurpatur etiam pro morte,
et sepulcro. Portae autem sunt, qua intratur quopiam, aut qua exitur. Hocce modo dicebat Ezechias: „ Vadam ad portas inferi, quaesivi re-
„ siduum annorum meorum. „ *Isa* 38. *v.* 10. Etiam vero portarum nomine solet in Scriptura exprimi vis, fortitudo, robur, potentia. „ Possi-
„ deat semen tuum portas inimicorum tuorum „ *Gen.* 24. *v.* 60. Solent enim portae in munimentis urbium praesidiis validissimis firmari. Hinc itaque ductum est hoc portarum nomen ad id significandum, quod magnas vires habet: et in Oriente idcirco etiam Principum aedes vocantur portae, et ipsius Sultani etiam palatium porta appellatur Ottomannica, ad ejus significandam potentiam, qui hoc inhabitat. Diabolus autem habet sibi nomen datum regis, angeli abyssi *Apoc.* 9. *v.* 11. idem etiam mortis imperium habere dicitur. *Hebr.* 2. *v.* 14. Hinc itaque portae inferi etiam significant vim, atque impetum, quo diabolus fertur adversus Ecclesiam, ne, qui in ea sunt, salvi fiant. „ Simon, Simon, ecce Satanas expe-
„ tivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego au-
„ tem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. „ *Luc.* 22. *v.* 31. Cumque Christus dixerit, portas inferi non praevalituras adversus Ecclesiam, palam est, eam firmitatem esse a Christo promissam Ecclesiae; ut superanda numquam sit a diabolo, sed statura semper invicta, nec defectura.

Claves sunt insignia potestatis, quae Petro data a Christo est. Nam etiam de Christo est Apoc. 1. v. 18. quod claves habeat mortis, et inferni, ad ejus potestatem in haec exprimendam.

dam. Regnum caelorum, cujus claves Petrus a Christo accepit, est etiam hoc loco Ecclesia, ut jam sic saepius vidimus fuisse. Ad quam potestatem Petro a Christo datam etiam pertinet auctoritas ligandi, atque solvendi: non quasi clavium continuata esset metaphora, quae ad aperiendum, et claudendum, non ad ligandum, vel solvendum adhibentur; sed est distincta expressio ad eam, quam Christus Petro contulit, significandam potestatem. Quis vero horum verborum sensus sit, ex eo, quod a Christo dictum de Scribis, et Pharisaeis est, perspicuum fit. „Alligant, „ inquit, onera gravia, et importabilia, et im- „ ponunt in humeros hominum, digito autem suo „ nolunt ea movere. „ *Matth.* 23. *v.* 4. A sarcinis, quae jumentis imponuntur, aut etiam hominibus ad portandum, sumpta locutio est. Ligare etiam significat, stringere hominem ad quidpiam. Id, quod fit per legem ab eo, qui ejus ferendae habet potestatem. Cumque ligationi contraria sit solutio; sequitur, esse hanc remissionem ejus, quod faciendum fuisset, vel tollendo obligationem faciendi, vel, si jam actum contra hanc esset, remittendo peccatum. Etiam David Mich. de auctoritate praecipiendi, vel concedendi docet hoc accipiendum esse in Adnotationibus ad hunc locum. a) Quo declarato, illud hic, velim, advertatur de eodem Davide Michaelis. Qui sic, quemadmodum modo demonstratum est, quid sit ligare, et solvere, declarat, et docet, idque ex quotidiano etiam Judaeorum more loquendi probat, idemque hoc ad Petrum a Christo dictum esse agnoscit; is ergo etiam dat, et conce-

---

a) Binden, und Lösen ist bey den Juden eine ganz alltägliche Redensart für etwas verbieten, oder erlauben. Sunt illius verba.

dit, hanc tam prohibendi, quam concedendi potestatem esse Petro a Christo collatam in Ecclesia. Atqui iste non est tantum honor, in eo situs, ut Petrus inter Apostolos primus esset in ordine, ut vidimus paulo ante illum loquentem, cujusque verba posita sunt a me in nota, sed etiam haec potestas est praecipiendi, et jurisdictionis. Ita, quem nec ipse, neque alii sui Protestantes volunt recognoscere Primatum jurisdictionis in Petro, et in Romano Pontifice, Petri successore vi successionis; tamen hoc ipsum docuit, et affirmavit, quo illud, quod adversus Primatum Petri, et Romani Pontificis asserunt, jugularetur. In illis hoc solet contingere, qui cum defendunt, quod nixum certis rationibus non est; inter se apta, et convenientia nón semper soleant loqui. Vna enim veritas tantummodo sibi perpetuo constans est.

Tunc praecepit discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset Jesus Christus. V. 20. Jesum esse Christum, et Messiam jam aliis etiam ex ipsis Judaeis erat cognitum, et persvasum. *Joan.* 7. *v.* 41. Attamen Deum esse non credebant. Nam, quamvis ipsa etiam divinitas Christi in multis Scripturae Vet. Test. locis esset expressa (in Instit. Herm. V. T. sunt talia a me complura demonstrata loca) ad haec tamen Judaei oculos non aperiebant, et ne Pharisaei quidem, qui Scripturae peritiam prae aliis de se profitebantur, respondere Christo sciverint ad quaestionem sic sibi positam a Christo; ut hanc Messiae divinitatem advertere deberent. *Matth.* 22. *v.* 41. Modo Petrus Christi divinitatem confessus est, et collaudato ideo per Christum Petro eamdem etiam ceteri Apostoli audiverunt, et crediderunt. Ista igitur ratione cum ipsius etiam divinitatis praedicatione Christus Apostolis prohibu-

it, ne dicerent, ipsum esse Christum. Claram videlicet, et apertam suae divinitatis praedicationem differri voluit ad suam usque adscensionem in caelum, et Spiritus Sancti missionem. Dum vero sic Christus se Christum coram Apostolis professus est, ut hoc Christi nomine suam etiam divinitatem comprehenderet; advertere licet iterum illud, quod jam supra demonstratum est, Christi, et filii Dei, non esse nomina synonyma in Scriptura, nec per Filii Dei nomen solam semper Christi humanam naturam designari, sed una etiam divinam.

Et assumens eum Petrus, coepit increpare illum, dicens: Absit a te Domine: non erit tibi hoc. V. 22. Petrus Christum assumpsit, illud, quod dixerat futurum, ut Jerosolymae multa patiatur, et in crucem agatur, volendo amoliri. Coepit increpare illum, ἤρξατο ἐπιτιμᾷν αὐτῷ, hoc loco significat, verbis obsistere. Arabs vertit: *Coepit vetare illum.* Ipsa etiam verba Petri: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc,* indicant, quomodo hoc ἐπιτιμᾷν intelligendum sit, solummodo deprecando citra ullam asperitatem verborum. *Qui conversus, dixit Petro: Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quae Dei sunt, sed ea, quae hominum.* V. 23. Satan vocabulum est Hebraicum, quod adversarium significat. „ Quia contra- „ ria, (sic Hieronymus *in Comment.* Christum „ facit loquentem,) loqueris voluntati meae, „ debes adversarius appellari. „

Amen dico vobis: Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo. V. 28. Gloriosam formam suam Christus brevi postea exhibuit Petro, Jacobo, et Joanni in sua transfiguratione, quemadmodum est capite

sequente. Huc ad transfigurationem hanc suam respexisse Christum dicendo istud, non tantum sententia est S. Chrysostomi, et S. Hieronymi ad hunc locum, S. Ambrosii *in Luc. cap.* 9. S. Leonis *in Serm. de Transfig.* et S. Augustini *in Expos. Epist. ad Galat.* sed idem perspicitur etiam ex verbis Petri testantis speculatorem se factum magnitudinis Christi, dum is a Patre accepisset honorem, et gloriam, quando hunc vidit transfiguratum. 2. *Petr.* 1. *v.* 16. Non venerat autem tunc Christus in suo regno, qui nequidem adhuc discesserit. Quare verborum Christi: *Donec videant Filium hominis venientem in regno suo*, sensus is est: donec videant Filium hominis in tali forma, in quali gloriosa, regalique sua forma venturus ad celebrandum judicium est, utpote qui ad hoc judicium venturus est cum virtute multa, et majestate. C. 24. v. 30.

CAPVT XVII.

Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum. V. 1. Lucas C. 9. v. 28. factam esse dicit hanc transfigurationem post dies fere octo. „ Sed faci-
„ lis responsio est, ait S. Hieronymus *in Com-*
„ *ment.* quia hic medii ponuntur dies (in Mat-
„ thaeo) ibi (in Luca) primus additur, et extre-
„ mus. „ *Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyses, et Elias cum eo loquentes.* V. 2. „ Apparuit medius inter
„ Moysem, et Eliam (ait S. Augustinus *Tract.*
„ 17. *in Joan.*) tanquam Evangelium testimo-
„ nium haberet a Lege, et Prophetis. „ Quid hi locuti sint, exponit Lucas: „ Dicebant excessum
„ ejus (ἔξοδον αὐτȣ̃, *Exitum ejus*) quem comple-
„ turus erat in Jerusalem. „ Luc. 9 v. 31. Testabantur videlicet moriturum illic. *Respondens autem Petrus dixit ad Jesum: Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum.* V. 4. Postquam Moyses, et Elias disparuerunt, hoc Petrus dixit testante Luca. Similiter illis jam etiam absentibus, nubes obumbravit Apostolos lucida, et vox ex hac missa est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* V. 5. Haec Patris caelestis verba jam sunt edita etiam in baptizatione Christi.

Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo Scribae dicunt, quod Eliam oporteat primum venire? V. 10. Christus respondit, Eliam omnino venturum, deinde vero affirmavit, hunc jam venisse. Nempe Elias in sua persona venturus adhuc est, paulo ante judicium, quod in fine mundi futurum est. *Malach.* 4. *v.* 6. Idem vero jam venerat in Joanne Baptista, illius Spiritu, ac virtute Christum praecurrente in ejus adventu primo, quemadmodum hunc praecurret Elias venturum ad judicium, ut cor patrum ad filios, et filiorum cor ad patres convertat, filios secundum carnem Abrahami, Isaaci, et Jacobi adducendo ad poenitentiam, et ad fidem in Christum, ut ita horum filii fiant etiam virtute fidei, Divinaeque promissionis haeredes, cujus compotes non fiunt, nisi filii Abrahae, qui sunt ex fide. *Gal.* 3. *v.* 7.

Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo, genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur. Nam saepe cadit in ignem, et crebro in aquam. Et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum. Respondens autem Jesus, ait: O generatio incredula, et perversa, quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me. Et increpavit illum Jesus, et exiit ab eo daemonium, et curatus est puer ex illa hora. V. 14. Hoc cum pluribus adjunctis retulit Marcus C. 9. v. 13. Puerum, postquam adductus fuit, jactatum in terram esse a daemone, ore spumasse, seque volutasse, pueri patrem Christo quaerenti respondisse, sic puerum vexari per daemonem ab infantia, et cum Christus denuo ex eo quaesivisset, possetne credere, exclamasse cum lacrymis: *Credo Domine, adjuva incredulita-*

tem meam! Christum postea, concurrente multitudine, imperasse daemoni, ut exiret, daemonemque exivisse, sed cum ingenti convulsione pueri. Iste puer dicitur fuisse lunaticus, et saepe jactatus etiam in ignem, quod solet accidere in iis, qui morbo sunt affecti comitiali, et epileptico. Idem vero dicitur curatus esse a Christo per expulsionem daemonis. Hinc ergo videri posset per daemonem, qui hunc puerum dicitur insedisse, nonnisi morbum esse intelligendum. Et eo trahunt, qui quasi ex more loquendi negant veras obsessiones per daemones Quae vero assertae sunt a me in Instit. Herm. V. T. *tom. I. Cap.* 25. Eodem loco demonstratum est, daemones varias etiam morborum affectiones producere in iis, quibus insident. Itaque in hoc etiam puero daemon ejusmodi convulsiones produxit; cujusmodi patiuntur, qui epilepsia laborant, hasque ad lunae etiam vicissitudines attemperatas. Nam, qui daemones furorem in iis, quos obsident, possunt concitare, *Matth.* 8. *v.* 28. iidem profecto alias perinde affectiones etiam possunt efficere.

Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto, et dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum? Dixit illis Jesus: Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit, et nihil erit impossibile vobis. V. 18. Non sic instituta comparatio est, quasi fides, quamvis tam parva, atque exigua, quam exile granum sinapi est, sufficeret ad montem etiam transferendum, nam cum modica fide Petrus, dum super fluctus ambulasset, mergi coepit, *Matth.* 14. *v.* 31. sed quod fidei ea sit efficacitas; ut nihil sit, quod non ejus virtute obtineri possit, etiamsi, quomodo id fieri possit, non tantum

supra captum nostrum, verum etiam ultra vires omnes naturales sit, perinde, ut granum sinapi ob suam parvitatem nihil in se habet, quod futurum polliceatur; ut in ejusmodi plantam, quae similitudinem arboris referat, evadat, et excrescat.

Et cum venisset Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait: etiam. Et cum intrasset in domum, praevenit eum Jesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terrae a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem, qui primus adscenderit, tolle, et aperto ore ejus, invenies staterem, illum sumens da eis pro me, et te. V. 23. Didrachmum est dupla drachma: quod aequivalebat hemisiclo, qui tributi nomine pendendus erat templo singulis annis. Quod tributum cum Deo praestandum esset, ejus vero filius Christus esset, hinc consequens erat, ut hoc pro se solvere non deberet. Sed, velim, advertatur, quem se Dei filium hocce modo Christus etiam nunc indicaverit esse. Nam filii Dei, homines tantum Deo accepti, et chari, qua ratione filios Dei semper Judaei sese crediderunt esse, et quo nomine etiam compellantur in Scriptura, *Exod.* 4. *v.* 22. *Isa.* 1. *v.* 2. etc. si immunes fuissent a pendendo hoc tributo; istud a nemine exigi potuisset. Ne autem quis putaret per prodigium factum esse, ut piscis, qui primus hamo captus esset a Petro, in ore suo haberet tetradrachmum, illud ipsum, quod a duobus ferendum tributum esset; provide iterum subventum per Paulusium est *Comment. Part. III. pag.* 663. qui rem sic. declarat: Petrum

primum piscem, quem ceperat, jubente Christo, vendidisse, ex hac pecunia deinde staterem, sive tetradrachmum solvisse. Eritne aliquid uspiam, quod tali interpretatione non possit fieri nigrum, tametsi album sit, aut quidcunque aliud habere volueris? Annon diserte est, staterem Petrum, ut solveret, quem inventurus esset in ore piscis, sibi imperatum habuisse a Christo? Piscem habere in ore staterem, atque hinc istum excipere, estne idem, quod piscem vendere, ex ejusque pretio hunc staterem solvere? Annon hoc totam lingvam pervertere est?

CAPVT XVIII.

In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas, major est in regno caelorum? V. 1. In via dum essent, Capharnaumque reverterentur, hac de re disputarunt, quemadmodum docet Marcus c. 9. v. 33. Postquam autem in domum venerant, Capharnai videlicet, ubi Christo domicilium erat, ipse Christus ex illis quaesivit, quid disputationis in via habuissent. Quod sic cum narratione Matthaei conciliandum venit, discipulos ubi domum venissent, Christo hoc, de quo inter se disputarunt, proposuisse, ut decisionem ejus ab eo acciperent, sed reticendo, quod de hoc jam inter se contentionem habuissent, siquidem id factum sit ex aliqua ambitione: Christum vero tum ex illis quaesivisse, quid esset, de quo in via disputassent: cumque tacuissent pudore, quod ambitiunculam suam vidissent, Christum non latere; tunc Christum advocasse parvulum, atque hunc statuisse in eorum medio, et dixisse: *Amen dico vobis: nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Quicunque ergo humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in regno caelorum: et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* V. 2. Dicit Apostolus: „Nolite pueri effici sensibus, „sed malitia parvuli estote.“ 1. *Cor.* 14. *v.* 20. Ex quo perspicuum fit, in quo cum parvulis Christus instituerit comparationem. Parvulum autem adhibuit, ut ab ambitione, qua agitabantur, ipsos revocaret. Nondum enim illa aetas sentit istos stimulos. Haec ex ambitione contentio alia est

ab ea, quae iterum exstitit inter eos, dum Jacobus, et Joannes, matre adjutrice, petiissent sessionis primatum ad latus Christi in ejus regno. Quam rem refert Matthaeus C. 20. v. 20. Marcus C. 10. v. 35. Luc. C. 20. v. 24.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. V. 6. A parvulo aetate, quem in medio discipulorum collocaverat, transfert sermonem Christus ad parvulos, et in Religione recenter plantatos, necdumque satis confirmatos. Mola asinaria lapis intelligitur molaris, circumactus ab asino ad molendum. *Vae mundo a scandalis. Necesse est enim, ut veniant scandala: verum tamen vae homini illi, per quem scandalum venit.* V. 6. Quod apud Lucam est: „Impossibile est, (ἀνένδεκτόν, *Fieri non potest*) ut non veniant scandala.“ *Luc.* 17. *v.* 1. Vndenam vero hoc? ex hominum perversitate, quam Deus sinere decreverit. Qua sese jactante, et permissa, fieri non potest; ut non eveniant prava exempla, aut suis etiam sermonibus mali corrumpant bonos, et seducant: quorum est semper studere habendis quam plurimis asseclis, ac sociis, quod ex eorum numero, et multitudine, qui idem audent, animosior fiat male agendi libido.

Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. V. 15. Antecessit proxime sermo adversus scan-

dalum, monuitque Christus, ne quis hoc alteri praeberet. Modo docet, quid agendum esset, si hoc tibi ab altero praebitum esset. Prava exempla nocent aliis. Inducunt enim facile ad similiter audendum. Nam in hoc: *Si peccaverit in te frater tuus*, non illud tantum intelligi peccatum, quo tu injuriose appetitus ab alio es, et injuriam, vel damnum cepisti; sed illud potius, quo tibi per alium, qui hoc commisit, periculum sit creatum per pravitatem exempli, ex eo, quod subsequitur de eo admonendo, vel etiam deferendo, qui peccavit, perspicuum fit. Neque enim haec admonitio, et delatio ideo facienda mihi est, ut mihi pro injuria, aut damno satisfiat. Sic enim mea, non illius salutis causa, qui peccavit, monerem, aut deferrem: cum tamen Christus dicat, illius me lucraturum animam, si hoc erga illum monendi officium praestitissem, isque me monentem audivisset: deinde quod jam C. 5. v. 39. Christus docuerit, ut ad injurias, et damna nos etiam ulteriora adversariis nostris offerremus, tantum abest, ut propter reparationem meae injuriae, aut damni corripere alium, vel deferre debeam. Hoc vero Christi praeceptum de ejus, qui peccavit, delatione ad Ecclesiam, David Michaelis in suis Adnotat sic interpretatur, ut doceat, tantum hoc ad illud usque tempus obtinere debuisse, quousque exigua fuit Ecclesia, desiisse autem, simul atque Ecclesia crevit, et dilatata est. Neque enim hanc delationem jam fieri potuisse Ecclesiae. Nempe istud: *Dic Ecclesiae*, sic ille intelligi vult; ut hoc, quod Christus praecepit, ut diceretur Ecclesiae, omnibus totius Ecclesiae Fidelibus dicendum fuerit. At enim, quid tam frequens, usitatumque in Epistolis Pauli est, quam ut non tantum singularum civitatum, sed etiam unius domus Fideles vocentur Ecclesiae? 1. *Cor.* 1. *v.*

2. *Rom.* 16. *v.* 5. *Philem. v.* 2. Et negotia communitatum per quos tandem geruntur? annon per eos, qui his praesunt? Paulus praeceptum dedit Timotheo, huncque instruxit, ne adversus presbyterum accusationem reciperet, nisi sub duobus, aut tribus testibus. 1. *Tim.* 5. *v.* 19. Ergo Timotheus is fuit, cujus erat in Ecclesia exercere judicandi potestatem. Eo haec Michaelisii interpretatio tendit; ut persvadeat, jam neminem inde ab Ecclesia sese diffundente latius, posse argui de errore ab Ecclesia, atque eo minus de eo convinci, et damnari. Neque ergo etiam quempiam, quidquid male credat, vel agat, potuisse jam ab illo tempore, quo crevit Ecclesia, aut nunc posse excludi ex ea tanquam ethnicum, et publicanum, adeoque nec esse Ecclesiae aliquod tribunal ad Fidei errores condemnandos, sed debere hanc in sinu suo ferre, et retinere omnes, qualitercunque de rebus Religionis credant, aut quomodocumque doceant, aut quantumcumque sua doctrina perniciosi aliis sint. Nulla pulchrior hac delineari potuit Christi Ecclesia, ut omnium errorum, et turpitudinum sentina, atque colluvies fieret.

Amen dico vobis: Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo. V. 18. Antecessit, fratrem, qui peccavit, sique admonitus semel, atque iterum, non se corrigeret, et ad frugem rediret, esse deferendum Ecclesiae. Ne ergo quispiam delatus ad forum Ecclesiae, hujus parvipenderet auctoritatem, sed intelligeret, idem etiam a Deo ratum habitum iri, quod in ipsum constitutum esset ab Ecclesia; est hoc a Christo dictum ad Apostolos, futuros praesides Ecclesiae, atque una ad eorum successores in regimine ejusdem Eccle-

siae. Idem de auctoritate hac ligandi, et solvendi dictum a Christo jam est Petro C. 16. v. 19. Dum ergo hoc nunc Christus dixisset ad omnes etiam Apostolos; David Michaelis in Adnotat. hinc conclusit, nullum inter Apostolos esse a Christo institutum Primatum, sed fuisse omnes aequales. Atqui illud: *Tibi dabo claves regni caelorum, et quodcunque ligaveris super terram* etc. Christus soli Petro dixit, idque in praemium praestitae confessionis de ejus divinitate, ipso etiam Davide Michaelis ad illum locum in adnotatione sua loquente, et interpretante. Jam mansissetne aliquid peculiare, et tulissetne aliquod praemium a Christo Petrus in vicem suae confessionis, si quod ei hoc nomine promissum fuit; istud nihilominus aeque tribuisset Christus aliis etiam omnibus Apostolis? Honoris primatum esse Petro a Christo collatum ex illis verbis Christi ad Petrum Matth. 16. v. 18. 19. agnoscunt ipsi, et dant Protestantes, eumdemque Primum, quoad ordinem, etiam vocat, quemadmodum est in ejus verbis in nota illic positis, ipse etiam David Michaelis. Ex hujus vero ejusdem propria etiam interpretatione demonstratum ibi est, per ligandi, et solvendi munus, quod Petro collatum est, intelligi jus, et potestatem ipsarum etiam ferendarum legum. Qui cum non honoris tantum, et solius ordinis Primatus sit; sequitur ex ipsius etiam Michaelisii interpretatione, ibi facta, Petrum fuisse praeditum non tantum honoris, et ordinis, verum jurisdictionis etiam primatu. Quem vero Primatum illic Matth 16. v. 18. 19. Christus instituit; hunc deinde profecto non abrogavit, non sustulit. Ergo sic modo omnibus aliis etiam Apostolis ligandi, atque solvendi potestatem Christus tribuit; ut tamen Petro, qui promissus jam fuit, salvus, et integer maneret Primatus ipsius etiam jurisdictionis.

Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in caelis est. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. V. 19. „Hic, (ait S. Chrysostomus homil. 60.) magna concordiae praemia statuit. Siquidem ii, „qui mutuo inter se consentiunt, a Patre impe„trant, quod petunt, et Christum in medio ha„bent." Causa istius impetrationis est, quod Christus in eorum medio sit, qui in illius nomine congregati sunt. Hinc itaque intelligitur, etiam congregationem hanc ita debere, et eum in finem institui; ut non res agatur in ea qualiscunque, sed de Christo, et ad Christum pertinens. De qua petendi ratione in nomine Christi, ut salutaris, et efficax petitio sit, jam etiam supra fuit C. 7. v. 8.

Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. V. 21. Jam septenarius numerus solet consvetudine Scripturae indefinite pro magno numero usurpari. *Levit.* 26. *v.* 24. *Psal.* 118. *v.* 164. etc. 'Dum ergo hunc septenarium unitatum numerum cum septenario decadum numero Christus conjunxit, atque ista ratione ulterius in tantum evexit; omnem terminum, intra quem se tenere deberet remissio petita peccati, removit, et sustulit. „Non numerum statuit hic (sunt ite„rum verba S. Chrysostomi *homil.* 61.) sed infini„te, perpetuo, et semper denotat. Itaque remis„sionem non numero conclusit; sed perpetuo, et „semper concedendam significat." Fides Catholica docet, Sacramentum poenitentiae esse a Christo institutum in Ecclesia ad omnia semper remit-

tenda peccata, dummodo illum, qui veniam quaerit, peccatorum sincere poeniteat.

Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. V. 34. Similis loquendi modus fuit jam C. 5. v. 25. Itaque etiam hic, tortoribus tradi, donec reddatur universum debitum, dum is, qui Deo debitor est, tormentis suis debitum exsolvere non potest, significat, hunc esse torquendum perpetuo, poenasque daturum sempiternas. S. Chrysostomus *homil.* 61. *in Matth.*

CAPVT. XIX.

Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilaea, et venit in fines Judaeae trans Jordanem. V. 1. Marcus istud expressit C. 10. v. 1. clarius: διὰ τȣ̃ πέραν τȣ̃ Ἰορδάνȣ, *Per ulteriorem partem Jordanis.* — *Et accesserunt ad eum Pharisaei tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* V. 3.
„ Ostendens (ait S. Chrysostomus *homil.* 62.)
„ illud et contra naturam, et contra legem esse.
Con-

„ Contra naturam, quia una caro dissecatur; „ contra legem, quia cum Deus conjunxerit, et „ jusserit non separare, vos id facere tentatis. „ Illa autem verba: *Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem* etc. ab Adamo prolata sunt, cum ei Deus Evam, ex ejus latere formatam, conjugem dedisset. Itaque intelligitur, ista Adamum Divino flatu fatum esse, cujus sic verba fuerint Dei verba, perinde, ut hujus verba fuerunt, quae Prophetae, a Deo afflati, enunciarunt. Ipsa quoque Moysis narratio indicat, istud Adamum non aliter, quam Deo revelante dicere potuisse, qui dormiens per seipsum scire non potuerit, Evam e suo latere esse eductam vi Divina. — *Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere?* (Deut. 24. v. 1.) *Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit moechatur.* V. 7. Hic locus jam supra C. 5. v. 32. tractatus est, et demonstratum propter adulterium tantum ad separationem a toro jus fieri conjugi innocenti matrimonii vinculo manente insoluto.

Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere, capiat. V. 10. Qui hoc ultimum de exsectione in corpore intelligendum putasset, nemo fuit praeter Origenem, cu-

jus factum semper ab omnibus improbatum fuit. Itaque nonnisi abstinentia intelligitur a conjugio, atque caelebs vita, idque propter regnum caelorum. Nam „ Qui sine uxore est, sollicitus est, „ quae Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui „ autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt „ mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. „ — — — Et qui matrimonio jungit virginem „ suam, bene facit, et qui non jungit, melius „ facit. „ 1. *Cor.* 7. *v.* 32. 38. Quae cum disertissime loquantur virginitatem, et caelibem vitam esse praestantiorem conjugio, atque ab ipsa Scriptura commendari, qui istam improbaverunt, et esse noluerunt per suam Reformationem, istudne juxta Jesu Christi Evangelium fecerunt?

Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid bonifaciam, ut habeam vitam aeternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. V. 16. Apud Marcum C. 10. v. 17. et Lucam C. 18. v. 19. Christus sic respondit: „ Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi unus Deus. „ Nempe ex hoc Christi responso aliquid Matthaeus, aliquid Marcus, et Lucas praetermiserunt. Bonus vero magister potest quispiam esse, quin sequatur, hunc debere esse Deum. Quid igitur? nempe Christus sic respondit, ut adolescens ille advertere posset, Christum sublimioris bonitatis esse, quam qualem de eo conceperat, appellando bonum: dumque affirmavit, neminem bonum esse, nisi unum Deum, adeoque bonitatem intellexit infinitam, quam solus habet Deus; mentem illius volebat erigi ad eam suam bonitatem cogitandam, quae non sit tantum humana. „ Nemo bonus, nisi unus Deus, quid est aliud „ dicere (sunt verba S. Augustini *in Psal.* 117.)

„ quam si me bonum vis appellare, intellige et
„ Deum? „

Amen dico vobis, quia dives difficile (δυσκόλως, *difficulter*) *intrabit in regnum caelorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum.* V. 23. Κάμηλος, Graece et jumentum significat, et funem nauticum, cui anchora alligatur. Vtrumvis hoc loco significet, quemadmodum horum neutrum traduci potest per foramen acus; ita neque ullus dives intelligitur intraturus ad regnum caelorum. Sicut autem supra fuit C. 5. v. 3. eorum pauperum, qui spiritu pauperes essent, esse regnum caelorum; ita ergo hic quoque divites non intraturi ad regnum caelorum, divites spiritu sunt intelligendi, qui proprio nomine vocantur avari, quos immoderata habendi cupiditas tenet, quae teste Paulo, radix malorum omnium est. 1. *Tim.* 6. *v.* 10.

Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxores, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit. V. 29. Hoc centuplum, a Christo promissum, esse praemium, quod jam in hac vita rependatur, intelligitur ex Marco C. 10. v. 29. ubi sic ista Christi verba sunt: „ Nemo
„ est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut so-
„ rores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut
„ agros propter me, et Evangelium, qui non ac-
„ cipiet centies tantum nunc in tempore hoc, do-
„ mos, et fratres, et sorores, et matres, et fili-
„ os, et agros cum persecutionibus, et in secu-
„ lo futuro vitam aeternam. „ Spiritualia videlicet bona in vicem dimissorum commodorum ad corpus pertinentium, ipsarumque etiam propin-

quitatum, promittuntur. Haec autem illa pax animi est, quam Christus discipulis suis tribuit, non qualem mundus dat, exsuperans omnem sensum, *Joan.* 14. *v.* 27. *Phil.* 4. *v.* 7. hoc illud gaudium est, quod percipiunt ex spe caelestis beatitatis, quo, abdicatis rebus omnibus temporalibus, totam mentem, et cogitationem suam conferunt. Et quamvis persecutionibus etiam, et adversitatibus qualibuscunque afficiantur, quas Christus ab hac promissione sua non sejunxit; tamen charitas Dei, quae diffusa est in eorum cordibus per Spirirum S. *Rom.* 5. *v.* 5. facit, ut Christo toto corde dediti, omnia libenter sufferant, quin etiam gaudeant in suis pro Christo passionibus. 1. *Cor.* 13. *v.* 7. *Colos.* 1. *v.* 24. Advertendum autem hic illud est, quod Christus dixerit, eos, qui secuti eum essent, in regeneratione sessuros in sellis duodecim, et judicaturos. Omnis vero Christum sequitur, qui in illum credit, et ejus obedit Evangelio. Deinde neminem posse esse Christi discipulum, nisi qui renunciat omnibus, quae possidet: *Luc.* 14. *v.* 33. sic videlicet animo paratus, ut malit rerum suarum omnium, atque ipsius etiam vitae jacturam facere, quam a Christo, ejusque Evangelio resilire. „ Omnes vero etiam stabimus ante tribunal „ Christi „ *Rom.* 14. *v.* 10. 2. *Cor.* 5. *v.* 10. ut referat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum. Sic itaque intelligitur futurum judicium, ut et hoc de Justis sit exercendum per Christum, iidemque Christi percepta sententia, qua ad aeterna praemia vocabuntur, ejusdem deinde Christi futuri consortes sint in judicandis, condemnandisque impiis. „ An nescitis, quoniam „ Sancti de hoc mundo judicabunt? „ 1. *Cor.* 6. *v.* 2. *Jud.* *v.* 14.

CAPVT XX.

Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. V. 1. In Graeco est: Ὁμοία γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, *Simile enim est regnum caelorum* etc. Nempe haec parabola pertinet ad illud declarandum, quod fuit in superioris capitis versiculo ultimo: *Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Quod vero iterum ad illud explicandum spectat, quinam vitam aeternam possessuri sint: qua de re Christus sermonem proxime fecerat, respondens Petro, et declarans, quid praemii accepturi sint, qui eum secuti sunt. Futuros autem eos primos, qui erant novissimi, et vicissim, expressum per hanc parabolam est; dum ii, qui ex operariis ultimi, et hora diei jam undecima ad vineam venientes, et in ea laborantes, mercedem primi acceperunt, et antepositi ceteris sunt. Qui vero per primos, et novissimos intelligendi sint, planum fit ex Lucae 13. v. 28. ubi Christus ad Judaeos sic loquitur: „ Cum videritis Abraham, et Isaac „ et Jacob, et omnes Prophetas in regno Dei, „ vos autem expelli foras, et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et „ accumbent in regno Dei: et ecce sunt novissimi, „ qui erant primi; et sunt primi, qui erunt novissimi. „ Nam eos, qui a quatuor plagis venturi dicuntur, et accubituri in regno caelorum, expulsis ex eo Judaeis, clarum est, intelligi eos; qui ex Gentibus conversi ad Christum sunt, et Abrahami filii facti per fidem. Nec sic tantum Ju-

daei ponuntur novissimi, quasi tamen venturi ad regnum caelorum sint, sed tantum post Gentiles; verum ita, ut nequidem eo venturi sint. Siquidem iidem novissimi apud Lucam, modo citato loco, dicuntur a Christo etiam expellendi ex regno caelorum. Etiam idem ex eo manifestum fit, quod cum Christus hanc conclusisset parabolam his verbis: *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi*, subjecerit: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*, per vocatos designans factos novissimos: qui vero vocati tantum, non etiam electi, venturi ad regnum caelorum non sunt. At etiam operarii, exsoluti novissimi eumdem cum primis acceperunt denarium. Ergo tamen ad idem cum primis ostendebantur perventuri regni caelorum praemium. Denarii solutio operariis, et vinitoribus hujus parabolae jam non pertinet ad scopum parabolae, estque tantummodo res, quae illam vestit, et instruit iis adjunctis; quae similitudinem habent cum re, quae fieri solet in vinea, ut merces pro labore detur operariis. Judaei primi sunt vocati ad gratiam Evangelii, utpote, quibus promissio etiam facta erat de Christo. (Supra C. 10. v. 5. C. 15. v. 21.) His nolentibus credere, gratia Evangelii collata est Gentilibus. Id, quod per eam quoque parabolam expressum est, in qua emanentibus e convivio iis, qui erant invitati, introducti deinde in horum locum sunt alii, ex plateis et compitis undique collecti, isque, qui convivium exhibuit, asseveravit, neminem illorum, qui invitati erant, gustaturum coenam illius. *Luc.* 14. *v.* 16.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis adorans, et petens aliquid ab eo. V. 20. Apud Marcum C. 10. v. 35. est: „Et accedunt ad eum Jacobus, et Joannes, „filii Zebedaei, dicentes: Magister volumus, ut

„quodcunque petierimus, facias nobis." Cum filii cum matre Christum adiverint, et quod mater locuta est, a filiis processerit, per quos inducta est ad hoc petendum; Marcus compendio usus in narratione, ipsis filiis adscribit, quod eorum svasione, et impulsu actum per matrem est. *Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis, quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* V. 21. „Calicem in Scripturis divinis (ait „S. Hieronymus *in Comment.*) intelligimus juxta illud: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Jacobus tantum, ab Herode gladio percussus *Act.* 12. *v.* 2. non Joannes cruentam mortem subiit. Attamen Christi causa Romae in fervens oleum conjectus fuit, unde illaesus mansit. Ipse etiam de se sic testatur: „Ego Joannes, inquit, frater vester, et particeps in tribulatione, „et regno, et patientia in Christo Jesu fui in insula, quae appellatur Patmos propter verbum „Dei, et testimonium Jesu:" *Apoc.* 1. *v.* 9. Quamvis ergo mortem non oppetierit re, hanc tamen animo, ac voluntate pertulit, seipsum tradens Romae ad illud ferventis olei supplicium. Nec calix semper ipsam etiam mortem, sed tantum tolerationem alterius adversitatis significat, et quidquid acerbum, quasi ad bibendum, datur.

Hinc, quod Christus dixerit, suum non esse dare, quod mater haec petebat filiis suis, sed quibus paratum esset ab ejus Patre, argumentum sibi fabricaverunt Ariani adversus aequalitatem

potestatis Christi cum Patre, ad ejus negandam divinitatem. Atqui data fuit Christo omnis potestas in caelo, et in terra. *Matth.* 28. *v.* 18. Non habuisset autem omnem potestatem in caelo; si jus, et potestas tribuendae sessionis in caelo non penes ipsum fuisset. Idem Christus „Omnia, in„quit, quaecunque Pater habet, mea sunt.“ *Joan.* 16. *v.* 15. Quae ergo Patris in hoc potestas fuit; eadem fuit etiam ipsius Christi. At vero non solum dicit, sessionem esse tribuendam in caelo iis, quibus paratum esset a Patre suo; sed insuper negat suum esse, sessionem ad suam dextram, vel sinistram dare. Omnino negat, hoc suum esse, quemadmodum videlicet hoc petitum fuit a Zebedaei filiis, pure ad eorum arbitrium, qui sibi sumerent tali modo postulare: „Magister „volumus, ut quodcunque petierimus, facias „nobis.“ *Marc.* 10. *v.* 35. Nam hoc est, quod deinde Christus etiam dixerit, iis hanc sedendi dignitatem esse tribuendam, quibus paratum esset a Patre suo, juxta eam, quae jam ante constitutionem mundi Divina dispositio facta est secundum Dei electionem, et gratiam, atque ea, quae ex Dei gratia cujusque essent promerita. Hoc modo sicut Christi non fuit tribuere, quod filii Zebedaei petebant, ita neque Patris. Ad Patrem autem solet Christus referre non tantum dona, quae nobis tribuuntur; *Matth.* 11. *v.* 25. *Joan.* 6. *v.* 66. sed omnia sua, quae habet, et quae divina opera fecerat, *Joan.* 7. *v.* 16. *C.* 5. *v.* 36. a quo ipsam etiam haberet divinam naturam, suae ab eodem Patre processionis indicandae causa.

CAPVT XXI.

Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiae Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansvetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis. V. 4. Zacharias hic propheta est, per quem hoc editum vaticinium est C. 9. v. 9. Quod reipsa de Christo fuisse, demonstratum est a me, et vindicatum adversum interpretes Neotericos Instit. Herm. V. T. tom 3. num. 37.

Turbae autem, quae praecedebant, et quae sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David! benedictus, qui venit in nomine Domini! hosanna in altissimis! V. 9. *Hosanna*, Hebraicum est: הוֹשִׁיעָה נָּא *Serva, quaeso*, Filium David. Ex Psal. 117. v. 25. sumptum est. Quem de Christo sonare, ipsius Christi testimonio certum fit, haec etiam antecedentia verba: „Lapidem, quem reprobaverunt aedifican-„tes, hic factus est in caput anguli“ pro se allegantis infra V. 42.

Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. V. 13. Ex Isaiae 56. v. 7. testimonium hoc sumptum est. Eatenus autem hi negotiantes in templo comparati cum praedonibus sunt; quod quemadmodum his antra, et speluncae essent, ubi praedam, et rapinas reconderent; ita illi templum sibi haberent pro eo loco, ubi praedam ex lucris corraderent.

Videntes autem principes sacerdotum, et Scribae mirabilia, quae fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: Hosanna filio David! indignati sunt, et dixerunt ei: Audis, quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Vtique. Nunquam legistis, Quia ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem? V. 15. Sunt verba haec ex Psal. 8. v. 3. Dum dixit: *Nunquam legistis?* indicavit, hoc ejusmodi esse, quod mirum ipsis non deberet videri, si haec verba istius Psalmi legissent, et intellexissent, de quonam ea dicta essent. Ergo declaravit Christus, his verbis Psalmi istius esse hoc praedictum; quod tunc actum per pueros, ei acclamantes, erat. Infantium autem, et lactentium nomine sidera intelliguntur in Psalmo citato metaphorica oratione: quae, quamvis muta, Deum, a quo creata sunt, praedicent. Hoc ergo idem in sensu typico pertinuit ad hanc significandam, quae tunc per pueros Christi Messiana dignitas praedicata, et celebrata est.

Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit, mane autem revertens in civitatem, esuriit: et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum, et ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. V. 17. Marcus C. 11. v. 13. idem hoc sic refert. „Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, „venit, si quid forte inveniret in ea: et cum ve„nisset ad eam, nihil invenit praeter folia. Non „enim erat tempus ficorum.“ Ficus alia est bifera, quae bis singulis annis fructus fert, in aestate, et autumno auctoribus etiam Theophrasto, et Plinio, et folia in hieme dimittit, quae in vere ei renascuntur, quemadmodum etiam

Matth. 24. v. 32 est: „Ab arbore autem fici di„scite parabolam: cum jam ramus ejus tener fue„rit, et folia nata, scitis, quia prope est aestas.“ Ficus alia, si officium suum faciat, et foliis semper vestita manet, etiam hieme; et fructus semper habet, in maturitate sibi succedentes. Ex hoc genere fuit haec ficus, ex qua Christus fructum quaesivit, quemque cum non invenisset, ei maledixit. Nam hoc est, quod Marcus dicit: „Cum „vidisset a longe ficum, habentem folia, venit, „si quid forte inveniret in ea.“ Hoc autem, quod deinde dicit, non enim fuisse tempus ficorum, dixit de tempore, quod tum erat vernum, utpote in Paschate, intellexitque tempus, quo fructus nondum omnibus ficubus esse soleant. Nullum vero etiam arboris infoecundae, et sterilis peccatum esse potest, si fructum non ferat. Cur ergo malidictum Christus in illam dixit? „Ju„daei, Pharisaei, (ait S. Augustinus *Enarrat.* 2. „*in Psal.* 31.) arbor illa erant. Verba habe„bant, facta non habebant. Ex sententia Do„mini ariditatem meruerunt.“ In eamdem sententiam loquitur S. Hieronymus *in Commentar.* Re ergo hac, quae acta est in arborem, Christus repraesentavit, quid futurum esset Judaeis eodem vitio, quod arbori fuit, idque propria culpa, laborantibus. *Isa.* 5. *v.* 2. *ets.* Infra v. 33. ets.

Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes: Quomodo continuo aruit? Respondens autem Jesus, ait illis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non haesitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis: Tolle, et jacta te in mare, fiet, et omnia, quae petieritis in oratione credentes, accipietis. V. 20. Hoc non ad Apostolos solos a Christo esse restrictum; sed esse dictum de omnibus, ut

virtute fidei, quidquid vellent, possent impetrare; intelligitur ex Marco, qui sic Christum locutum refert: „Amen dico vobis, quia quicunque „dixerit huic monti: Tollere, et mittere in mare, „et non haesitaverit in corde suo, sed credide„rit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei." Ergo nostrum etiam quisque, tantummodo credat firmiter, potest solo verbo transferre montes, atque alia prodigia facere? Quot vero jam reperti quavis aetate fuissent, qui concipiendo hanc fidem, experiri hanc prodigiorum virtutem voluissent? Christus ut se demitteret e pinnaculo templi, ea confidentia; quod eum excepturi essent Angeli, ne se per casum affligeret, daemoni, qui ad hoc inducere eum volebat, respondit, non esse tentandum Deum. Si itaque Christus ipse prodigium fieri noluit, cujus causa alia non fuisset, quam periclitatio Divinae virtutis, temerariumque recursum ad prodigium Dei tentationem esse dixit; eritne fas cuipiam alteri temere ad prodigium recurrere, et Deusne hujus voluntati se adcommodabit? Idem Christus Apostolis, cum ad alia prodigia facienda, tum in daemones etiam potestatem, virtutemque dederat. *Matth.* 10. *v.* 8. Attamen hi ex illo lunatico, de quo fuit C. 17. v. 15. daemonem expellere non potuerunt, Christusque his declaravit, oratione etiam, et jejunio opus fuisse ad hoc perficiendum. Quod ergo modo dictum de fide est, sic intelligendum est; ut fides ad prodigium impetrandum omnino necessaria sit, sine qua Petrus mergi illico coepit ambulans super mare, etiam jussus a Christo ambulare, quae tamen adjunctas sibi habere debeat etiam conditiones alias. Solet in Scriptura nonnunquam affirmari quidpiam de re quapiam, non tamen seorsim ab re omni alia: quamvis haec non sit expressa clare. Qua ratione de eleemosyna est,

Luc. 11. *v.* 41. omnia his, qui eam darent, munda fore: quae tamen, doctore S. Paulo, nihil prodest absque charitate. 1. *Cor.* 13. *v.* 3. Idem ergo pariter intelligendum venit de fide ad impetrandum a Deo prodigium.

CAPVT XXII.

Simile factum est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. V. 2. „Rex iste (ait S. Hieronymus *in Comment.*) „qui fecit nuptias filio suo, Deus omnipotens est. „Fecit autem nuptias Domino nostro Jesu Christo, „et Ecclesiae, quae tam ex Judaeis, quam ex „gentibus congregata est.“ Qui priores invitati fuerunt, hi sunt Judaei. Quibus detrectantibus venire, atque insuper in servos, per quos invitati sunt, insurgentibus, introductae sunt ad Ecclesiam gentes aliae. Qui introducti ad convivium sunt; hi partim boni fuerunt, partim mali: quia neque in Ecclesia sunt omnes boni. Non indutum veste nuptiali Rex e convivio jussit ejici. Nam mali demum a bonis segregabuntur, et ad supplicium mittentur. In uno autem isto, tanquam in exemplo, ostensum est, non omnes, qui ingressi Ecclesiam per fidem sunt, futuros salutis aeternae compotes, sed opus esse veste etiam nuptiali. Hanc S. Augustinus *Serm.* 90. et S. Gregorius M. *homil.* 38. *in Evang.* docent, intelligendam esse charitatem: quae nisi fidei adjuncta sit, fides profutura non sit: siquidem in Christo non-

nisi ea fides valeat, quae per charitatem operatur. *Gal.* 5. *v.* 6. Parabolam Christus conclusit his verbis: *Multi enim sunt vocati, pauci electi:* idque cum subjecerit post ejus, qui nuptiali veste caruit, e convivio ejectionem; ostensum est, non tantum prae Judaeis alias gentes assumptum iri a Deo ad gratiam Evangelii, idem quod fuit demonstratum etiam per parabolam, positam in fine superioris capitis de homine, habente duos filios, et mittente hos ad laborandum in vinea; sed etiam quid cuique curandum esset, postquam lumen fidei adeptus intravit in Ecclesiam, ne non eo minus salutis aeternae jacturam faciat.

Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo. V. 21. Denarium Christo obtulerant Pharisaei, et Herodiani, insidiose percontantes, num censum licitum esset dare Caesari. Haec moneta fuit Romana: neque vero consequens adhuc est, ut si v. g. in regno nostro Principum exterorum moneta cursum habeat, his idcirco debeamus etiam tributum pendere. Inde vero moneta Romana usi Judaei sunt; quod Romanis essent subjecti, qui secus monetam, Caesaris imagine insignitam, neque tulissent. Cum ergo haec moneta subjectionis erga Romanos index esset, gerens imaginem Caesaris, quamque pati cogerentur ex sua subjectione, hinc Christus docuit, censum esse Caesari pendendum, cui subjecti essent, quamque subjectionem moneta testaretur.

Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in caelo. De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Non est Deus mortuo-

rum, sed viventium. V. 29. Sadducaei existere purum spiritum non crediderunt. *Act.* 23. *v.* 8. Talis ergo spiritus cum esset anima, separata a corpore; hanc ideo etiam post separationem negarunt manere superstitem, atque hinc ulterius, corpore resoluto in pulverem, et anima abeunte in nihilum, nec resurrectionem etiam a morte admiserunt. Adversum hoc de interitu animae in hominis morte, quod caput erat, cur resurrectionem inficiabantur, Christus ex verbis his Dei ad Moysem: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*, Exod. 3. v. 6. probavit illis, animas post mortem non interire: siquidem Deus se Deum Abrahami, Isaaci, et Jacobi dicere non potuisset, nisi illi vixissent, idque secundum animam, qui corpore mortui erant: quo fundamento eorum everso, et insuper ex Dei virtute, qua suscitare illud etiam corpus ex pulvere possit, qua idem totum hominem fecit e nihilo, resurrectionem Sadducaeis invicte ita probavit; ut confracto suo, quod validissimum, et insolubile putabant argumentum esse, facti muti sint. Homines, ubi a morte excitati ad caelum pervenerint, futuros similes Angelis, neque jam connubiis locum futurum, docuit Christus adversum illud, quod pariter imaginabantur, si resurrectio esset, futurum; ut quisque vir uxoribus, et uxor viris copuletur, quos in hac vita habuerunt in matrimonio, et quod in femina, quae pluribus fuit copulata viris, videbant absonum esse.

Congregatis autem Pharisaeis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? et nemo poterat ei respondere verbum. V. 41. Quonam modo Christus ex hoc Psalmi istius loco Pharisaeis suam divinitatem probaverit, et ubi vim argumenti constituerit, ut his occlusa lingva sit, est demonstratum a me Instit. Herm. V. T. *tom.* 3. *num* 22.

CAPVT XXIII.

Tunc Jesus locutus est ad turbas, et ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysis sederunt Scribae, et Pharisaei. Omnia ergo, quae dixerint vobis, servate, et facite: secundum opera vero eorum nolite facere. Dicunt enim, et non faciunt. Alligant enim onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. V. 1. Videri hoc potest ei contrarium, quod supra C. 16. v. 12. Christus fecit, discipulos monendo, ut sibi caverent a doctrina Pharisaeorum. Nam si cavendum ab horum doctrina fuit; non erant facienda ea omnia, quae docebant. Etiam vero alibi sunt exempla ejusmodi enunciationum generalium, quae tamen nonnisi cum restrictione sunt accipiendae. „ Filii obedite parentibus per omnia „ et „ Servi obedite per omnia „ dominis „ praecipit Paulus Colossensibus C. 3, v. 20. 22. An vero filios parentibus, et servos dominis voluit morem gerere, etiam dum quidpiam manifeste iniquum praeciperent? Hac itaque ratio-

ratione intelligendum etiam est, voluisse Christum, ut omnia, quae Pharisaei dicerent, observarentur.

Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim magister vester omnes: autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram. Vnus est enim Pater vester, qui in caelis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus. V. 8. Paulus se magistrum gentium vocavit, 2. *Tim.* 1. *v.* 11. deinde ipse etiam Deus doctores posuit in Ecclesia, *Eph.* 4. *v.* 11. idem Paulus sibi vindicavit, ut Corinthii suum illum patrem haberent, et recognoscerent, utpote quos ipse genuerit per Evangelium. 1. *Cor.* 4. v. 15. Non alia ergo ratione discipulis Christus interdixit, istis uti appellationibus; quam qua Pharisaei, et Scribae hoc fecerant ex ambitione, et reverentiae, atque honoris appetitione: sed quamvis auctoritate supra alios eminerent, magisteriumque, et doctoris munus gesturi essent; tamen per animi demissionem, et modestiam, se se his, quibus praeessent, inferiores, et servos reputarent. *Qui major est vestrum, erit minister. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur.* V. 11.

Vae vobis Scribae, et Pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulcra Prophetarum, et ornatis monumenta Justorum, et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sangvine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt. V. 29. Istius extremam partem sic expressit Lucas: „Profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulcra. *Luc.* 11. *v.* 48. Sepultura, ei exhibita, qui oc-

cisus est, quandoquidem mortuo praestetur, est quaedam continuatio actionis, qua mors eidem allata fuit. Quamvis vero Scribae, et Pharisaei non eadem voluntate sepulcra ornaverint Prophetarum, qua eorum majores illos occiderunt; tamen quoniam non minus ipsi etiam adversus Christum furerent, ejusque sangvinem sitirent, eorum vero qui Prophetas interfecerunt, se posteros profiterentur ornando Prophetarum sepulcra, ut isto erga hos honore scelus quasi expiarent suorum majorum; hinc arguebat Christus, ipsos, etiam monumenta Prophetis aedificantes, tamen in occisionis scelere consentire cum patribus suis, atque hoc ipsos omnino esse, quod monumentorum aedificatio praeseferret.

Et vos implete mensuram patrum vestrorum. V. 32. Ipsorum patres jam occiderunt Prophetas. Judaei, ad quos Christus verba haec fecit, scelus hoc deinde cumularunt, ipsum Christum occidendo, ejusque Apostolos, et discipulos persequendo, et interimendo, et quo pacto scelus, a majoribus suis coeptum, ita ulterius iverunt texere, ut jam nihil ultra addi posset. Ita mensuram, quae plena nondum fuit, ipsi impleverunt. *Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, et Sapientes, et Scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sangvis justus, qui effusus est super terram a sangvine Abel justi usque ad sangvinem Zachariae, filii Barachiae, quem occidistis inter templum, et altare. Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam.* V. 34. Jam solum etiam Christum occidendo tanto se crimine obstrinxerunt, cui par non fuit scelus illud omne collectum, et in unum cumulum comportatum, quod

eorum majores Prophetas occidendo perpetrarunt, et quantum reatum non habuit omnis sangvis injuste effusus ab Abelis sangvine incipiendo: attamen se se adhuc illis missurum esse Prophetas, Scribas, et Sapientes, (Scribarum, et Sapientum appellationem ab iis, qui istis nominibus fuerunt Judaeis, transtulit ad doctores, et Apostolicos viros, qui erant in Ecclesia) ut mensuram sui sceleris, quam cumulatissime possent explere. Zachariam, quem Christus memoravit inter templum, et altare occisum, eum fuisse, qui inter minores Prophetas ordine undecimus est, demonstratum est a me Herm. Instit. V. T. *tom.* 2. *c.* 44.

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Templum hoc intelligitur, quod deinde per Romanos eversum, desolatum huc usque manet, et manebit in perpetuum. Dan. 9. v. 27. *Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.* V. 39. Antecessit V. 37. *Quoties volui congregare filios tuos* (ad Jerusalem autem versus fuit Christi sermo) *quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* His igitur denunciat, se se illis faciem suam subducturum, et qui sic in suae infidelitatis caecitate permansuri sint, donec dicerent: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Caecitas vero haec Judaeorum durabit usque ad finem mundi: ante cujus consummationem, ubi plenitudo gentium intraverit, omnis Israel salvus fiet. *Rom.* 11. *v.* 25. Tunc ergo hi gratiam a Deo consecuti, Christum laeti suscipient, atque sua ora in ejus laudes reserabunt.

CAPVT XXIV.

Et egressus Jesus de templo ibat. Ab eo die, quo quasi triumphans inter populi festivas acclamationes, per stratas vestibus vias, praelatisque sibi arborum ramis asino vectus Jerosolymam intravit, quotidie donec caperetur, sub vesperam ad montem Oliveti exibat, mane vero ad templum revertebatur. Luc. 21. v. 37. *Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei aedificationes templi. Ipse autem respondens, dixit illis: Videtis haec omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes: Dic nobis, quando haec erunt? et quod signum adventus tui, et consummationis seculi?* V. 1 — 3. Nullam prior Christus mentionem consummationis seculi fecerat: sed discipuli, quod a Christo audiverunt de templi destructione, et eversione, hoc non opinabantur futurum, nisi cum fine ipsius etiam mundi. Idcirco hoc quoque, quod signum esset ejus adventus, consummationisque seculi, ex eo quaesiverunt. Christus, quemadmodum haec duo, de templi destructione, et seculi consummatione conjunctim ei fuerunt a discipulis proposita; ita pariter ad utrumque respondit, jam unum, jam alterum declarans; aut etiam utrumque inter se copulans, si res utrique communis esset.

Et respondens Jesus dixit eis. Hujus sermonis Christi ponam omnia verba ordine, et declarabo: quo deinde certius fieri judicium possit, num iste totus tantum ad eversionem templi Jero-

solymitani pertinuerit, et nihilne in eo dictum de extremo mundi tempore, reque, quae tum futura est, dictum a Christo sit, quemadmodum interpretes volunt neoterici. *Videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, et multos seducent. Audituri enim estis praelia, et opiniones praeliorum. Videte, ne turbemini. Oportet enim haec fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiae, et fames, et terrae motus per loca. Haec autem omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos, et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem. Et multi pseudoprophetae surgent, et seducent multos: et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* V. 4 — 14. De consummatione seculi, quando futura esset, a discipulis Christo facta interrogatio est. Quare haec etiam, quam respondit venturam, ipsius mundi intelligenda est consummatio. At neque Evangelii praedicatio facta jam fuit per universum orbem, quando Jerosolyma eversa per Romanos est, neque haec ad omnes gentes pervenerat: id, quod ante hanc consummationem oportere fieri, est Marc 13. v. 10. Pseudochristi, et pseudodoctores, itemque ceterae adversitates bellorum, terrae motuum, famis fuerunt tam aetate Apostolorum, quam etiam postea. Hinc itaque perspicuum fit, Christum, quod huc usque responsum dedit, tempus complexum esse

omne ab exordio pradicati Evangelii per Apostolos usque ad finem mundi.

Cum ergo videritis abominationem, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Tunc, qui in Judaea sunt, fugiant ad montes; et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua; et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam. Vae autem praegnantibus, et nutrientibus in illis diebus! Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro (nullus salvus perstitisset, et exitium evasisset) *sed propter electos breviabuntur dies illi.* V. 15 — 22. Abominatio desolationis, abstractum nomen positum pro iis est, qui facturi erant abominandam, tamque tetram hanc desolationem. Iste Romanorum exercitus fuit, admotus urbi, atque templo. Sic enim idem hoc expressum est apud Lucam: „Cum autem videritis „circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote, „quia adpropinquavit desolatio ejus: “ *Luc.* 21. *v.* 20. Hoc autem, quod eo pertineat, quod Christus prius dixerat de templo, cujus nullus lapis super lapidem relinquendus esset, qui non ex loco suo moveatur, et cujus eventus scire tempus discipuli volebant, clarum est. Nec tamen tempus Christus dixit definite, sed tantum ea memoravit, ex quibus posset, et deberet adverti iste, qui Jerosolymae instabat interitus. Quemadmodum hieme propter anni tempus, minus ad iter commodum, ita sabbato etiam difficilior erat Judaeis fuga, quod hi ultra id, quod ipsis sabbati esset iter, sibi religionem facerent, iter longius, etiam urgente periculo, instituere. Judaei sub finem

mundi convertentur ad Christum, quemadmodum in fine superioris capitis fuit. Quorum vero, ad numerum Electorum pertinentium, praecisa nativitas in eorum majoribus fuisset; si isti in illa Jerosolymitana clade periissent. Horum itaque Electorum gratia, qui ex Judaeis credituri in Christum in fine mundi sunt, aut etiam, qui eousque convertuntur, dies illi imminuti sunt: ne si calamitas diutius durasset, sique Judaei omnes fuissent excisi, hi etiam electi ex Judaeorum illorum posteris nulli esse possent.

Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae, et dabunt signa magna, et prodigia; ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce praedixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, (ἐν τοῖς ταμείοις, *in conclavibus*, intra domum) *nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem, ita erit adventus Filii hominis. Vbicumqve fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur. Et tunc parebit signum Filii hominis in caelo, et tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa, et majestate. Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum. Ab arbore autem fici discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata; scitis, quia prope est aestas: ita et vos, cum*

videritis haec omnia, scitote, quia prope est in januis. Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant. Caelum, et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt, V. 23 — 35. Hoc vero totum de illo tempore est, quod propinquum erit adventui Christi ad judicium in fine mundi habendum. Nam de prodigiis Antichristi etiam apud S. Paulum est: „ Cujus, inquit, adventus est se„ cundum operationem Satanae in omni virtute „ et signis, et prodigiis mendacibus. „ 2. *Thess.* 2. *v.* 9. De signis autem, et prodigiis, ejusmodi praesertim, quibus in errorem inducerentur, si fieri posset, etiam electi, nullum vestigium in Scriptura, vel alibi uspiam est, quae facta essent a pseudochristis aetate Apostolorum usque ad eversam per Romanos Jerosolymam. Nihil miserabilius esse potest, quomodo etiam cetera hic de Christi adventu ad judicium in fine mundi supremum, tam clara, et manifesta, trahant tantum ad Jerosolymitanam cladem Neoterici. Dicunt, Christi hunc sermonem esse tantum pictum coloribus poeticis. Nam, quod dicitur futurum, ut sol, et luna obscurentur, stellae de caelo cadant, atque omnia in caelo moveantur, et perturbentur; istud tantum intelligendum esse, quatenus sic hoc factum sit per ingentem pavorem, atque terrorem in eorum oculis, qui metu impendentium malorum exanimati erant. Signum Filii hominis, quod Christus dixit appariturum in caelo, interpretantur, vexilla, et signa militaria Romanorum fuisse, per quos cum ultionem in Judaeos exercuerit, in his quasi ipse Christus pugnans, imperatorque fuerit. Angelos cum tuba, ad electos Christi congregandos a quatuor ventis ab una extremitate caelorum ad alteram, atque adeo ex universo terrarum orbe ponunt, nuncios

fuisse, qui Christi fideles admonuerint, ut dum appropinquassent Romani cum exercitu, et priusquam cinxissent Jerosolymam, hinc fugerent, Pellamque se se reciperent: id, quod sic factum esse a Christianis, qui Jerosolymae habitarunt, etiam Eusebius testetur. Denique ista omnia luculentissime pertinere ad Jerosolymitanae urbis excidium putant, quasi confectum ex eo, quod Christus dixerit, non praeterituram generationem hanc, donec omnia haec facta essent.

Verum est, in magno metu, et terrore tenebras offundi oculis: qua ratione dies, qua Deus venturus in Chaldaeis erat ad vastandam Jerosolymam, dies nubis, atque turbinis, et a facie Chaldaeorum caeli dicuntur moti esse, sol, et luna obducta tenebris, stellaeque retraxisse lumen, atque splendorem suum, etiam ab Joele C. 2. v. 2, 10. At vero hic in Evangelio non tum, cum metus imminentium malorum homines premeret, neque dum hi jam in istis essent; solis atque lunae lumen dicitur obscurandum, sed *post tribulationem dierum illorum*. Ergo haec solis, et lunae obscuratio non potest intelligi ea, quae tantum in oculis constiterit, atque visu eorum per metum hebetato. — Signum deinde Filii hominis Christus dixit ante suum adventum apparitūrum in caelo. Num vexilla, et signa Romani exercitus prius apparuerunt, quam ipse comparuit Romanorum exercitus, atque haec fueruntne constituta in caelo? *Et videbunt*, est etiam dictum a Christo, *Filium hominis venientem in nubibus caeli.* Ergone in nubibus caeli advolavit exercitus Romanorum? Hi iidem Neoterici carpunt, et traducunt Patrum, et veterum Interpretum Scripturae expositiones eo nomine, quasi allegoricum tantum sensum consectati essent. Quis vero unquam vel somniare potuisset tam ab usitato sen-

su verborum deflexas, et contortas interpretationes, quam hae Neotericorum sunt? — Omnino autem Christiani, qui Jerosolymae habitarunt, memores istius praedictionis Christi de Jerosolymae clade, atque interitu Pellam, quod in Peraea trans Jordanem situm fuit exiguum oppidum, se se receperunt auctore Eusebio. At istudne est, Christum per Angelos suos cum tuba, et voce magna congregaturum electos suos a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum? Aliter Paulus de hac Domini voce, et tuba loquitur. „Dominus, inquit, in jussu, et „in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet „de caelo, et mortui, qui in Christo sunt, resur„gent primi: deinde nos, qui vivimus, qui re„linquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus „obviam Christo in aera, et sic semper cum Do„mino erimus.„ 1. *Thess.* 4. *v.* 15. Iterumque idem Paulus: „Canet enim, inquit, tuba, et mor„tui resurgent incorrupti.„ 1. *Cor.* 15. *v.* 52. Haec itaque est illa tuba, atque vox, et haec est electorum ex quatuor ventis mundi, ejusqe finibus convocatio in Christi adventu ad judicium: non isti possunt intelligi, qui unius urbis Jerusalem incolae Pellam confugerunt. Tunc signum Filii hominis apparebit in caelo, id est, Crux, tanquam tropaeum Christi, in qua perfecit redemptionem nostram, et de morte, atque illo, qui mortis habebat imperium, triumphavit. Nam etiam Ecclesiae iste sensus est de Cruce, quae sit apparitura in caelo, quae sic canit in festo inventae, et exaltatae Crucis: „Hoc signum Crucis erit in caelo, „cum Dominus ad judicandum venerit.„ — At vero Christus declaravit, non praeterituram illam, quae tum praesens erat, generationem, donec omnia haec fierent, quae discipulis monstraverat

futura. Generatio (דור , תולדה תולדות) solet in Scriptura sumi jam pro hominibus, qui certo tempore vivunt, ut supra C. 16. v. 4. fuit: „ Generatio mala, et adultera signum quaerit; „ jam pro certo temporis spatio, ut est Gen. 15. v. 16. de Israelitis: „ Generatione autem quarta revertentur huc; „ jam pro re quacunque producta, ipsius etiam mundi per creationem: quemadmodum est Gen. 2. v. 4. „ Istae sunt generationes „ caeli, et terrae, quando creata sunt, in die, „ qua fecit Dominus caelum, et terram. „ Hocce modo hic generationem esse sumptam a Christo pro mundi constitutione, qualis facta est per creationem Divinam, quae desitura non prius esset, quam ea omnia, quae modo praedicta per Christum fuerunt, evenissent, subsequentia Christi ostendunt haec verba, de ea mundi constitutione continuata: *Caelum, et terra transibunt: verba autem mea non praeteribunt.*

Movent vero Neoterici hic illam etiam quaestionem, quomodo vel fieri posset, stellae super terram ut cadant, siquidem hanc sua magnitudine tantopere superent, et quae proinde nec jacendi super terram locum sufficientem habere possent. Casurae vero tantum dicuntur stellae, non casurae super terram. Deinde, quod de hoc stellarum casu est; idem deinde aliis verbis dicitur, virtutes caelorum commovendas esse. Itaque stellarum casus idem intelligendus est, qui harum perturbatus motus Quae dum contra eam, quam antehac tenuerunt, motus sui legem, praecipiti, perturbatoque cursu ferentur in caelo; speciem praebebunt quasi ruentium e stationibus suis, atque orbitis siderum.

Hujus: *Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae*, sensus aperitur ex Lu-

ca. Is, priusquam haec Christi verba retulisset, memoravit Christum dixisse, futuros tunc duos in lecto uno, totidemque in agro, et mola, quorum alter his omnibus in locis assumendus sit, alter derelinquendus: cumque discipuli ex Christo quaesivissent, *Vbi Domine?* hoc ab eo responsum accepisse: „ Vbicunque fuerit corpus, illuc con„ gregabuntur et aquilae. „ Nec illud quaesitum a discipulis fuit ex Christo, ubi hi futuri essent, quos assumendos esse Christus dixit, dum assumentur, hoc enim clare erat dictum a Christo, nempe alium futurum in lecto, alium in agro, alium in mola, quemque cum socio: sed ubinam futuri essent, postquam assumpti fuerint. Dum ergo respondit, aquilas illic congregandas esse, ubi corpus fuerit; perspicuum fit, aquilarum nomine a Christo designatos esse, qui assumentur: quod quemadmodum hae ad praedam pernicitate summa advolant; ita futurum tunc, ut Electi ad Christum, et ad praemium sibi ab eo in caelo praeparatum evolent. „ Rapiemur, ait S. Paulus, „ in nubibus obviam Christo in aera, et sic sem„ per cum Domino erimus. „ 1. *Thess.* 4. *v.* 17.

De die autem illa, et hora nemo scit, neque Angeli caelorum, nisi solus Pater. V. 36. Hoc apud Marcum 13. v. 32. adhuc expressius etiam de Filio sic est: „De die autem illo, vel ho„ ra nemo scit, neque Angeli in caelo, neque Fi„ lius, nisi Pater. „ Hinc Ariani sibi argumentum sumpserunt adversus Filii divinitatem, in qua non sit aequalis Patri: siquidem ignorans diem judicii, non eamdem scientiam habeat cum Patre. S. Chrysostomus *homil.* 77. *in Matth.* diem judicii non fuisse Christo ignotum probavit ex eo, quod omnes thesauri sapientiae sint in Christo absconditi, *Colos.* 2. *v.* 3. et quod per eum facta sint secula. *Hebr.* 1. *v.* 2. „ Nam, qui, in-

„ quit, secula fecit, sane fecit et tempora; si „ tempora, etiam diem. Quomodo ergo quam fe- „ cit, ignorat? „ Cur ergo sibi ignotam hanc esse dixit? et quomodo se hanc ignorare dicere potuit? Jam olim, et modo quoque sunt Interpretes, qui ad hoc dissolvendum, hanc ignorantiam, Christique confessionem istius ignorantiae ad humanam Christi naturam referant. Verum est, humanam naturam non esse permixtam, aut confusam cum divina in Christo, nec esse perfectionis, ac scientiae infinitae, alioquin verti in divinitatem debuisset, quod fieri non potuit. Illa ergo anima humana, quae in Christo est, infinitam scientiam, quam Deus, non habet. At vero Christus dixit, Filium nescire diem judicii. In Christo autem una persona, atque haec divina Filii est, unusque Filius est Christus; non duo filii, Deus, et homo, sed idem Filius, Deus et homo. Et quamvis de divina Christi persona ea etiam praedicentur, quae sunt naturae humanae, et quam secundum hanc confitemur in tempore natam, passam, atque mortuam; hoc tamen in loco cum Christus sic de se Filio loquatur; ut habet relationem ad Patrem, inter hunc, atque se Filium quid differentiae esset, docens; relatio autem quae Filii ad Patrem est, ad divinam Christi personam spectet, et quod ex relatione divinae personae Filii ad personam Patris de Christo praedicatur, oporteat etiam esse divinum; sequitur, Christum quoque hic de se locutum esse, ut Deo. Ergone Christus, qua Deus, nescivit diem, qua futurum est judicium? Ostendetur adhuc nec, quatenus homo fuit, hunc nescivisse: eo minus hoc cogitari potest de eo, ut Deo. Sed Christus etiam pluribus locis alibi negat, suum esse, sed Patris, quod a Patre habet per suam ab illo divinam processionem, non negando istud se habe-

re; sed tantum indicando, se hoc non habere a se. Hac ratione dixit: „ Mea doctrina non est „ mea, sed ejus, qui misit me. „ *Joan.* 7. *v.* 16. Rursum: „ Non potest Filius a se facere quid„ quam, nisi quod viderit Patrem facientem „ *Joan.* 5. *v.* 19. de ea potestate loquens, de qua prius dixerat: „ Pater meus usque modo opera„ tur, et ego operor. „ V. 17. Nam quod Pater operatur; id profecto divinum opus est. „ Quid „ tam tuum, quam tu? (sunt verba S. Augustini „ *Tract.* 29. *in Joan.*) et quid tam non tuum, „ quam tu; si alicujus es, quod es? „ Nihil ergo aliud sic de se loquendo Christus docere voluit; quam a Patre se procedere, et quamvis omnia etiam, quae Patris sunt, ipsius essent, cujus verba sunt ad Patrem: „ Et mea omnia tua sunt, et „ tua mea sunt„ *Joan.* 17. *v.* 10 tamen non se, sed Patrem ista habere sic, ut ab alio non acceperit. Siquidem solus Pater absque principio, unde procedat, sit. Sicut autem sustineri non potest de Christo, Deum non esse passum, et mortuum, dum ille passus, mortuusque est, propter unitatem personae in Christo; tametsi non passus, et mortuus secundum Divinam naturam sit; ita aeque dici non potest, eumdem Christum, cujus persona Divina diem judicii scivit, hanc nescivisse secundum humanam naturam propter unitatem ejusdem Divinae personae, cui scientia haec fuit. Nam dum filius dicitur, diem judicii nesciisse, Persona intelligitur: quae cum sola Divina in Christo fuerit; defectus istius scientiae Divinae personae tribueretur, quo ipsa etiam divinitas Christi negaretur.

Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes, et bibentes; nubentes, et nuptui tradentes usque ad

eum diem, quo intravit Noe ad arcam, et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes; ita erit et adventus Filii hominis. Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, unus relinquetur; duae molentes in mola, una assumetur, et una relinquetur. V. 37. — 41. Huc usque durat Christi sermo, quo discipulis respondit ad duo illa, quae percontabantur de tempore, quo sic vastandum sit templum, ut lapis non relinquatur supra lapidem, et quo consummatio futura sit mundi. *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset; vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Ideo et vos estote parati, quia qua nescitis hora, Filius hominis venturus est.* V. 42 — 44. In memoria habendum est, de adventu Filii hominis, de quo jam fuit, continuari sermonem, et quem Christi adventum volunt tantum intelligendum esse Neoterici de Romanis vastaturis, et eversuris Jerosolymam: quam recte, jam demonstratum est, et statim iterum se praebebit videndum ex eo, ubi parati ut essent, quandocunque adveniret, monitos esse voluit Christus discipulos. Id, quod sequetur.

Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem; (ut familiae cui praepositus est, cibum praebeat in tempore) *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.* V. 45 — 47. Si iste Christi adventus, de quo nunc loquitur, non adventus illius est ad judicium, in fine mundi habendum, sed quando venit, ut per Romanos ultionem expeteret ab Judaeis va-

stando Jerosolymam, et evertendo ejus templum, ad praemiane etiam tribuenda tunc venit iis, quos familiae suae, id est, Ecclesiae suae, praefecerat? Per Romanosne, vastatores Jerosolymae aliquid favoris, aut beneficii praestitum est praepositis Christianorum, aut horum cuipiam alteri? Hine istos, quemadmodum dictum est a Christo, super omnia bona sua constituerunt? *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, et coeperit percutere conservos suos, manducet autem, et bibat cum ebriosis; veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora, qua ignorat, et dividet eum, partemque illius ponet cum hypocritis. Illic erit fletus, et stridor dentium.* V. 48 — 51. „Quod dicit: *Di-„videt eum*, non quo gladio eum dissecet, sed „quo a Sanctorum consortio eum separet" ait S. Hieronymus commentans in hunc locum. Partem ejus ponet cum hypocritis, hoc est, eandem subiturus est sortem, quae servorum hypocritarum est, dominis suis tantum in speciem servientium, fidelitatemque mentientium. Etiam hic iterum illius interpretationis, qua Christi adventus, qui in hoc sermone Christi praedictus est, de Romanis, Jerosolymam vastaturis intelligitur, futilitas se exhibet. Nam Christusne, cum ad sumendas de Judaeis poenas Romanorum manibus, atque armis venisset, judicium tunc exercuit de iis, quos suae familiae, hoc est Ecclesiae, praefecerat, et ab hisne eo tempore rationes officii exegerat? quos tamen vigiles jussit esse, et paratos ad diem, atque horam sui adventus, cui tunc daturi rationem administrationis suae, et a quo pro hac bona, vel mala, praemium, vel supplicium recepturi essent. Etiam subsequens caput totum tractat de hoc Christi adventu ad judicium in fine mundi

mundi universale, et confirmabit interpretationem nostram. Qui omnia in Scriptura conantur ex ordinaria Dei providentia, rerumque cursu naturali explicare; his non satis commodum est, etiam hunc Christi adventum ad judicium illud generale cum sua interpretatione conciliare. Hoc est, quod hunc aliter de Jerosolymae, et Judaeorum vastatione per Romanos explicent, qua in re nihil etiam fuisse velint praeter ordinariam Dei providentiam, et rerum in mundo cursum naturalem. Fortasse etiam admittere nolunt praedictionem, quae hac ratione de judicio, in fine mundi futuro, fieri non potuisset praevisione naturali, et in qua proinde praedictione prophetia divina esset agnoscenda: quibus vero prophetiis bene affecti nostri Neoterici non sunt. Nam ex eo statu rerum, qui tum apud Judaeos fuit, quique nec tunc quieti sub Romanis erant, nihil etiam ponunt in Christo fuisse ultra prudentem conjecturam, quo praeviderit solo intellectus naturali lumine et Judaeorum adversum Romanos rebellationem, et eam, quam ideo per eosdem Romanos subierunt cladem, et depopulationem. Deinde illud extremum judicium instituetur, ut praemia Justis aeterna Christus tribuat, impios ad sempiterna supplicia mittat. Vidimus vero jam ista dogmata de aeterna sorte esse talia, quae sua exegesi Neoterici elevare, et sufferre conentur ex Evangelio. a) Hoc itaque est, quod etiam iidem insurgant adversum hoc in mundi fine judicium.

---

a) Supra Tom. I. Prolegom. §. 12.

CAPVT XXV.

Tunc simile erit regnum caelorum decem Virginibus, quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, et sponsae. V. 1. Vocula *tunc* (τοτε) clare indicat esse sermonis Christi continuationem de suo adventu ad habendum judicium, de quo fuit superiore capite, et quod universale, a Christo in fine mundi celebrandum, debere intelligi, et haec iterum praesens parabola, et subsequens confirmabit, omniumque luculentissime conclusio totius istius sermonis deinde facta per Christum. Quis scopus parabolae hujus sit, ex verbis, quibus eam Christus conclusit, planum fit: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* V. 13. Diesque, et hora intelligitur adventus Christi ad judicium. Est parabola haec coloribus picta rerum, quae apud Hebraeos, et alios quoque Orientales obtinebant in splendidioribus nuptiis. Est dictum a Christo: „Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.“ *Matth.* 5 *v* 16 Pariter sic Petrus hortatur: „Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis.“ 2. *Petr.* 1. *v.* 10. Vnde perspicuum fit, quid sit accensis, et ardentibus lampadibus praestolari advenientem Christum, ne ob luminis defectum ex Christi nuptiali excludamur convivio.

Sic enim homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua, et uni dedit quinque talenta, alii autem duo,

alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim. V. 14. Cum eo, quod proxime antecessit: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam,* hoc nectitur, quod modo per alteram hanc docetur parabolam, et cum superior expresserit, quemadmodum ad Christi improvisum adventum quemque paratum, atque vigilem esse oporteret; modo per hanc declaratur futurum, ut Christo, ubi advenerit, factorum suorum rationem reddere quisque debeat, paremque meritis suis vicem ab eo recipiat.

Tollite itaque ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem, qui non habet, et quod videtur habere (καὶ ὃ ἔχει, *et quod habet*) *auferetur ab eo.* V. 28. De servo hoc est illo inerte, et pigro, qui ex commisso sibi talento ad negotiandum nihil emolumenti attulit domino suo. Quod servus iste non habuit, intelligitur lucrum ex talento, quod habuit sibi datum ad negotiandum: huicque lucrum hoc non habenti ablatum etiam est talentum, quod habuit sibi datum. Id, quod explicatum jam etiam est supra C. 13. v. 10. ets.

Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes. V. 31. Cum autem venerit Filius hominis, estne iste, et intelligitur alius, et distinctus adventus ab eo, de quo adhuc Christus hoc, et antecedente capite locutus est? Annon dicendo: *Cum autem venerit Filius hominis*, ille idem designatur adventus, de quo jam fuerit sermo anterior? David Michaelis, qui usque ad hunc V. 31. et hoc, et superiore capite Christi adventum sumpsit pro Romanis vastaturis Jerosolymam; hic jam, conclu-

sus evidentia verborum, concedere coactus est, sermonem esse de Christi adventu ad judicium in mundi fine habendum. Quae autem ars Hermenevtica eum docuit, si obscurum esset, quid per adventum Christi prius semper in hoc sermone Christi significatum sit, quod non esse obscurum, ei, qui oculos adhibere velit, credo, satis apparere, non hinc ex contextu, et subsequentibus ejusdem sermonis lumen petere, et non eumdem ibi, quem hic positum agnovit, adventum Christi intelligere?

Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare. — Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare. — — Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam. V. 34. Christus in judicio Justis praemia, impiis supplicia decernens, in illis bona opera laudat; in istos damnationis fert sententiam, quod eadem pia opera non fecerint. De fide, habuerintne hanc, necne, nulla mentio fit. Nec in parabola de Virginibus decem, harumque aliis prudentibus, aliis fatuis, et de servis, quibus dominus talenta commisit ad negotiandum, quemadmodum antecessit, res, quae per has parabolas significabatur, de aliis fuit, quam qui jam per fidem inserti erant Ecclesiae. Nam regnum caelorum, decem illis Virginibus assimilatum, profecto non aliud est, quam Ecclesia, constituta in hoc mundo: et servi quoque, quibus dominus dedit talenta ad negotiandum, certe etiam pertinebant ad hujus domini familiam. Cum ergo per hunc dominum Christus intelligatur, hujusque

familia sit eadem iterum Ecclesia; nec per hos servos alii designantur, quam ii, qui sunt in Ecclesia. Perinde ergo hic docendo, qualis in utrosque, pios et impios, ferenda sit sententia, Christus de solis etiam illis loquitur, qui sunt in Ecclesia, ad ostendendum, neque his, quamvis credidissent, et per fidem Ecclesiam intrassent, nisi ad fidem pietatis etiam opera adjunxissent, in judicio sperandam esse bonam sortem. De infidelibus, et Christo incredulis, est dictum a Christo: „Qui autem non credit, jam judicatus est." *Joan.* 3. *v.* 18.

Quemadmodum autem justos Christus testatus est, ituros in vitam aeternam, ita e contrario impios subituros declaravit aeternum supplicium. Ecclesia in Concilio quinto, sexto, et septimo oecumenico, nec non in Lateranensi quarto pariter generali docuit, et definivit, poenas damnatorum futuras aeternas. Deistae, qui nihil revelatae Religionis admittunt, Sociniani, pluresque ex aliis etiam heterodoxis, et jam olim Origenes docendo ἀποκατάστασιν, quae vox *Restitutionem* significat, qua omnia aliquando ad primum suum statum redeant, in quo fuerunt posita per creationem; aeternitatem poenarum, quibus impii in extremo judicio addicendi sint, negarunt. Nec inter Catholicos quidem desunt, qui hanc aeternitatem poenarum credere nolint: si tamen manere possunt Catholici, qui Ecclesiam, quae hanc aeternitatem poenarum docet, non audiunt. Cogitatio, et poenarum, quae finem habiturae non sint, metus nimis importunus est hominibus, qui mersi pravis suis cupiditatibus sunt, et emergere nolunt. Hoc est, quod hi poenas istas damnatorum inter vana terriculamenta relegent. Ratiunculae, quas isti contra aeternitatem harum poenarum, quibus impii plectentur, conquirunt, sunt

hae: Nec bonitatis, nec justitiae Divinae esse, tantam severitatem exercere, idque in eos, quos ideo creaverit, ut beneficus in eos esset, atque propter ejusmodi rem, ex qua perpetrata nihil Deus molestiae senserit, utpote qui ita beatus sit, et perfectus, ut nequidem cadere in hunc possit quidpiam, quod eum in beatitate turbet. Pertinere deinde poenam eo, ut is, qui hac afficitur, emendetur, bonusque fiat. Quod vero in illis, qui ad supplicia aeterna damnarentur, locum habere non posset. Et ne homines, qui tamen volunt videri deferre Evangelio, huic videantur contrarium asserere, negando hanc aeternitatem poenarum; addunt, nec in Scriptura semper aeternum significare finis expertem durationem. Itaque neque haec supplicia, quae Evangelium impiis interminatur, esse sic aeterna; ut finem habitura nunquam sint.

Quemadmodum Deus infinitae bonitatis est, ita aeque infinitam habet justitiam. Per bonitatem suam bonis, et justis praemia aeterna donat. Ergo nec alienum ab ejus justitia est, ut malis aeternas poenas irroget. Amat autem omnino opus suum, quod creavit: attamen etiam odio ei est impius, et impietas ejus. *Sap.* 14. *v.* 9. Nec ideo malos punit, quasi dolorem, quem ex offensa cepit, illius supplicio, a quo offensus est, vellet lenire, atque ultionis quaereret solatium, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, et vivat: *Ezech.* 33. *v.* 11. verum ideo, quod amet judicium, *Psal.* 36. *v.* 38. atque vi sanctitatis suae, infinitaeque perfectionis ferre malum, et impietatem non possit. Quam vero ferret, et cui conniveret, si non debitas ab eo expeteret poenas, qui has peccando commeruit. At, inquiunt, non has tamen sempiternas, non fine carituras. Si contra justitiam sunt; hae ne-

quidem infligi a Deo possunt. Ergo Deum habent injustum, qui has infligat. Justus vero est Deus: non ergo injustae sunt poenae, quas aeternas peccatoribus irrogat. Aut forte impietas nulla talis esse potest, cui debeatur a Deo, vi justitiae, poena aeterna? Ad expianda nostra peccata Deus Christi sangvine sibi satisfieri voluit. Cogita, quantum hoc pretium sit, ac ita metire, annon peccatum, homini per seipsum inexpiabile sit, et ideo nulla etiam poena, quantumcunque longa, elui possit. Hinc intelliges, dum iis, qui in peccato, quo se Dei inimicos constituerunt, ex hac vita decedunt, jam Christi sangvis non suffragatur; istos debitum habere poenarum, quas persolvere nulla temporis longinquitate possint. — Quod dicunt, poenas tantum pertinere ad ejus, qui deliquit, emendationem, non autem ad solam etiam facinoris ultionem, falsissimum est. Nam etiam in ipsis humanis judiciis is, cui capitis poena irrogatur, supplicio melior non fit: cui jam ipsa etiam facultas sive bene, sive male agendi aufertur. Sed justitiae est, vindicare facinus, etiamsi nulla emendatio sequatur. — Quod aeternum, non semper in Scriptura significet fine carentem durationem, verum est. Hinc tamen nondum sequitur, etiam hic, ubi de poenis damnatorum in extremo judicio hocce vocabulum usurpatur, non eam significare aeternitatem, quae finem habitura non sit. Quod ut sit, semper deberet aeternum in Scriptura significare tantum durationem ad definitum tempus, et nullibi interminatam. Quod si esset, ne Deus quidem, quem Scriptura toties praedicat aeternum, posset aliter intelligi, quam aliquando desiturus. Ergo saltem dubium manebit, annon haec aeternitas, quae non fine carens, sed tantum longinqui temporis est, sit de damnandorum in extremo judicio suppliciis intel-

ligenda? Non. Nam, quemadmodum in hoc praesenti loco vita, ad quam Justi ituri sunt, dicitur aeterna; ita aeque supplicium, quod impii subituri sunt, vocatur aeternum. Nullum vero finem vita Justorum habitura est: ergo neque impiorum unquam terminabuntur snpplicia. Deinde, quae tam hic, quam in pluribus aliis Scripturae locis praedicatur aeternitas de impiorum suppliciis, haec ita etiam expressa est, ut his finis denegetur. Sic enim Daniel. 12. v. 2. est: „ Multi de „ his, qui dormiunt in terrae pulvere, evigila„ bunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium, „ ut videant semper. „ Pariter Isa. 66. v. 24. et Marc. 9. v. 43. est: „ Vermis eorum non morie„ tur, et ignis eorum non exstingvetur. „ Cumque hanc aeternitatem fides Catholica doceat, tot conciliorum generalium, quemadmodum jam demonstratum est, stabilita decretis, et decisionibus, et Scriptura juxta analogiam fidei accipienda sit, non contra possit accipi; sequitur, ut quae aeternitas praedicatur poenarum, in quas impii a Christo mittentur in extremo judicio, non alia etiam intelligenda sit, quam fine carens, et interminata.

CAPVT. XXVI.

Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Tunc congregati sunt Principes sacerdotum, et seniores populi in atrium Principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, et occiderent. Dicebant autem, non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. V. 1. Attamen in eodem festo die Paschatis Christus occisus est, cum Judas hujus perficiendae rei ad id tempus opportunitatem praebuisset.

Cum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier, habens alabastrum ungventi pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis. V. 6. Haec coena sex diebus ante Pascha facta est: in qua Lazarus etiam unus ex recumbentibus fuit, Martha autem ministravit. Mulier, quae Jesum unxit, Maria fuit soror Marthae. Joan. 12. v. 2. *Videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio haec? Potuit enim istud venumdari multo, et dari pauperibus.* V. 8. Solus Judas fuit, qui ideo indignatus sit, idque sui compendii gratia. „ Dixit enim hoc, „ non quia de egenis ad eum pertinebat, sed quia „ fur erat, et loculos habens ea, quae mittebantur, portabat. „ *Joan.* 12. *v.* 6. Dum Judam Matthaeus nominatim non expressisset, numero

plurali usus est. Mulieris hujus hoc factum etiam Christus laudavit. *Mittens enim haec* (dicebat) *unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicunque praedicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, et quod haec fecit in memoriam ejus*, εἰς μνημόσυνον ἀυτῆς. V. 12. Pronomen in genere feminino est, ad feminamque refertur, quae Christum unxit.

Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Vbi vis, paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis, Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha. V. 17. Quod suum tempus prope esse Christus dixit, tempus passionis intelligitur, de quo, cum nondum adesset, similiter dictum sit: „ Nondum venit hora ejus. „ *Joan.* 7. *v.* 30. et rursus: „ Ante diem festum „ Paschae, sciens Jeus, quia venit hora ejus, ut „ transeat ex hoc mundo ad Patrem. „ *Joan.* 13. *v.* 1. Discipuli, Petrus, et Joannes nominatim missi sunt ad parandam paschalem coenam. His Christus domum quoque designaverat, ad quam ire deberent, per hominem, quem in ingressu suo in urbem vidissent aquam ferentem in amphora ad domum. *Luc.* 22. *v.* 8. Primum hunc fuisse diem azymorum, qua Christus pascha celebravit, et quo istud etiam celebrari debuit ab aliis, die decima quarta post novilunium mensis primi, ex ceteris etiam omnibus Evangelistis patescit. *Marc* 14. *v.* 12. *Luc.* 22. *v.* 7. *Joan.* 13. *v.* 1. Haec observatio eo pertinet; ut advertatur, ritusne azymi panis, vel fermentati (quoad rem enim idem est, cum uterque verus panis sit) cum

pane conveniat, in quo ipse Christus epulum Eucharisticum celebravit.

Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine? At ille respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: vae autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: tu dixisti. V. 21. Componendo rem, ut eam refert Joannes C. 13. v. 21. et ceteri Evangelistae, haec sic se habuit. Dum Christus dixisset, se proditum iri ab uno eorum, hi se invicem adspexerunt; deinde ex Christo quisque illorum quaesivit, num ipse is esset? Christus respondit, ab eo, qui secum manum intingeret in paropside, prodendum se esse. Erant videlicet in mensa paropsides, et patinae plures, neque omnes ex eadem patina cibum capiebant. Judas vero fuit ad eamdem patinam cum Christo, sed non solus. Hinc obscurum tamen adhuc manserat, quis illum proditurus esset. Petrus deinde innuit Joanni, ut quis iste esset, Christum interrogaret. Huic Christus respondit, eum esse, cui intinctam panis buccellam porrecturus esset: hancque deinde Judae dedit. Qui vero amoliendae a se suspicionis causa, adhuc impudentissime quaerere ex Christo ausus est, num ipse ille esset: statimque se a mensa proripuit, et discessit; cui abeunti Christus dixit, ut quod faceret, faceret citius. „ Quae vox „ (sunt verba S. Leonis *de Pass. Dom.*) non ju- „ bentis est, sed sinentis; nec trepidi, sed pa- „ rati. „

Coenantibus autem eis accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: Hoc est corpus meum, et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sangvis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis: Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. V. 26. Verba Christi, *Hoc est corpus meum, Hic est sangvis meus*, semper Ecclesia Catholica, inde ab aetate Apostolorum, intellexit de vera Christi praesentia in Eucharistia. Primus Joannes Erigena Scotus, seculo nono, vellicare dogma hoc ausus est. Post hunc seculo undecimo idem attentavit Berengarius, Gallus Turonensis, Christi solam imaginem, et figuram adstruens in Eucharistia sub speciebus panis, et vini. Hos Wicleffus secutus est seculo decimo quarto, et decimo sexto Calvinus. Augustanae Confessionis sectatores, quamvis veram Christi praesentiam in Eucharistia credant; tamen in eo etiam hi recesserunt a dogmate Catholicae Ecclesiae, quod panis, et vini conversionem in corpus, et sangvinem Christi non admittant; sed ista manere asserant, et tantum sub his praesentem fieri Christum.

Christus autem panem, et vinum in manibus suis habuit, et de his asseveravit, corpus, et sangvinem suum esse. Inestne veritas verbis Christi? Concedunt Calvini asseclae, verum esse, quod Christus dixit, neque enim negare possunt: sed negant, verba, quibus Christus panem, et vinum pronunciavit suum corpus, et sangvinem esse, proprie debere intelligi. Namque Christum etiam dixisse, se vitem esse, *Joan.* 15. *v.* 1. eumdem-

que in Scriptura agnum, leonem, petram, lapidem angularem appellari. Itaque sicut ista non proprie de Christo, sed tantum per similitudinem dicerentur; ita pariter esse intelligenda haec Christi verba: *Hoc est corpus meum, hic est sangvis meus.* Et rectene hoc concluditur? Ex eone, quod vitis et cetera, quae memorata sunt, sint improprie dicta de Christo; sequitur, istud quoque: *Hoc est corpus meum, hic est sangvis meus*, esse aeque improprie dictum? Nondum enim inde, quod plures exstent in Scriptura impropriae de Christo enunciationes; valet conclusio, talem debere esse etiam in his verbis: *Hoc est corpus meum, hic est sangvis meus.* Generale enim deberet esse, unde fiat ad particulare conclusio: non haec aliqua esse potest legitime ex quotcunque particularibus ad aliud aliquod particulare. Directe ergo, necesse est, probent, haec Christi verba: *Hoc est corpus meum, hic est sangvis meus*, non esse proprie sumenda. Est illa regula interpretandi, ut si quae controversia oriatur de certo Scripturae loco, quomodo is intelligendus sit, sique de re hujus loci existat sermo in aliis Scripturae locis, cum istis collatio fiat, atque veri sensus indagatio: utpote quem determinent, dum vel aliis verbis, vel cum pluribus clarioribus adjunctis res eadem proponitur. Rem hanc de Eucharistiae institutione referunt etiam Marcus C. 14. v. 22. Lucas C. 22. v. 19. et Paulus 1. Cor. 11. v. 24. et tametsi varient in verbis; in eo tamen quod panem, et vinum Christus suum corpus, et sangvinem asseveraverit esse, omnes hi tres cum Matthaeo adcuratissime conveniunt. Paulus insuper adjunxit, et cavit; ut unusquisque manducaturus hunc panem, et calicem Domini bibiturus, seipsum probet, et sic de pane illo edat, et de calice bibat: nam

quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reum futurum corporis, et sangvinis Domini, atque judicium sibi manducare, et bibere non dijudicantem corpus Domini. Qui manna in deserto manducaverunt Hebraei, et aquam de petra biberunt, quae figurarunt Christum, *Joan.* 6. *v.* 50. 1. *Cor.* 10. *v.* 4. num probare se prius debuerunt; ne fortasse indigne illa sumerent, dum ex illa aqua, e petra data, ipsa etiam jumenta illorum bibissent? *Num.* 20. *v.* 11. Deinde ipsiusne corporis, et sangvinis Christi rei fierent, atque judicium sibi manducarent, et biberent, indigne de pane hoc edentes, et de calice bibentes, ubi Christi corpus, et sangvis non essent? Dumque in Helvetica Confessione statuunt, positam in eo manducationem corporis, et potionem sangvinis Christi, quod is, qui Eucharisticum panem, et vinum sumeret, se per fidem copulet cum Christo, nec in conjungendo se, atque copulando cum Christo possit esse ullum crimen, sed semper deberet esse actus pius, et bonus; possetne esse ullus locus in sumptione Eucharistiae alicui delicto, nedum ut reus fiat corporis, et sangvinis Christi, atque judicium sibi, et damnationem Divinam consciscat? Ipse Christus Joan. 6. v. 52. dicens: „ Panis, quem „ ego dabo, caro mea est pro mundi vita „ non tantum panem, quem tunc daturum se promisit, in ultima autem coena dedit, etiam carnem suam esse dixit; sed sic insuper de hoc eodem pane locutus est, ut veram carnem intellexisse evidentissimum sit. Nam cum multi ex ejus discipulis, audientes Christum docentem, quod ut vitam habeant, carnem ejus deberent comedere, murmurassent, dixissentque: „ Durus est hic sermo, „ et quis potest eum audire „ *Joan.* 6 *v.* 61. tantum abest, ut hunc istorum sensum de vera car-

ne correxerit; sed hunc etiam confirmaverit. De quo sic testatur Joannes citato loco: „ Sciens au-„ tem Jesus apud semetipsum, quia murmura-„ rent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos „ scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis „ adscendentem, ubi erat prius? „ Annon ad discipulorum murmurationem sic respondit, ut huic etiam postea institerit, quod et ipse prius dixerat de manducatione suae carnis, et discipuli intellexerunt de vera ejus carne? Hocne Christus facere potuisset, si haec vere, et proprie caro ipsius non fuisset; quam tunc, Joannis citato loco, daturum se dixit, in ultima autem coena sub speciebus panis, et vini etiam dedit?

Nec esse Christum in Eucharistia tantum ea ratione, qua censet Augustana Confessio, sub pane, et vino, quaeque remaneant, sequitur etiam ex verbis iisdem Christi: *Hoc est corpus meum, hic est sangvis meus*, et probatur evidenter. Dum enim haec Christus verba protulisset, panem, et vinum servabat in manibus, atque de his asseveravit, suum esse corpus, et sangvinem. Quod vere de his affirmare, et asseverare non potuisset, nisi cum verborum prolatione, quibus facta haec affirmatio, et asseveratio est, panis, et vinum in ejus corpus, et sangvinem mutata fuissent. Nam panis, et vinum, sub quibus tantum corpus, et sangvis Christi fuissent; nondum dici corpus, et sangvis Christi recte potuissent. Neque enim, quod sub, vel cum alio est, illud ipsum adhuc est, sub quo, vel cum quo est. Ex quo veritas dogmatis Catholici de transubstantiatione panis, et vini in Corpus, et sangvinem Christi luculenter comprobatur.

Est vero eadem Eucharistia sic etiam instituta a Christo, ut sit novae Legis verum sacrificium. Nam Christus est sacerdos secundum ordinem, ut

similitudinem Melchisedech. *Psal.* 109. *v.* 4. *Hebr.* 5. *v.* 6. C. 7. *v.* 15. Si sacerdos est, ergo ejus etiam sacrificium quodpiam oportet esse juxta ordinem, et similitudinem ejusdem Melchisedechi. Non hoc fuit, quod Christus in cruce obtulit sacrificium. Nam hoc non fuit secundum ordinem, et similitudinem Melchisedech, qui panem obtulit, et vinum. *Gen.* 14. *v.* 18. At vero in hac paschali coena, pridie mortis suae, sic Christus panem, et vinum sumenda discipulis suis dedit, ut hunc panem, atque hoc vinum in illud corpus suum mutaverit, quod pro ipsis erat tradendum, et in illum suum sangvinem, qui pro multis in remissionem peccatorum erat fundendus: et quo proinde Christi corpore, et sangvine, dato discipulis ad sumendum sub speciebus panis, et vini, illud exhiberetur, sumentibusque applicaretur; quod deinde postera die actum, et oblatum a Christo, in remissionem peccatorum nostrorum, cruentum in cruce sacrificium est: in quo situm est hoc Christi secundum ordinem Melchisedech sub speciebus panis, et vini sacrificium, quemadmodum docet Concilium Tridentinum, *Sess.* 22. *C.* 1. „Quo cruentum illud, semel in cruce peragen„dum, repraesentaretur, ejusque memoria in fi„nem usque seculi permaneret, atque illius salu„taris virtus in remissionem eorum, quae a nobis „quotidie committuntur, peccatorum, applicare„tur.“ Atque hoc est, quod Christus surrexerit sacerdos non secundum ordinem Aaron, sed Melchisedech, ut his verbis utitur ipse etiam Paulus ad Hebr. 7. v. 11. quod hoc sacrificium, quod Christus fecit in ultima coena, et faciendum tradidit discipulis in sui commemorationem, pro nova Lege, cujus auctor est, sanxerit, cum illud cruentum tantum semel oblatum a Christo esset, et cujus virtus per sacrificium corporis, et sangvinis

Christi

Christi sub speciebus panis, et vini incruentum, identidem nobis applicaretur. — Sacrificium in Eucharistia nec Helvetica, nec Augustana Confessio recognoscit. Idcirco nec Christum habent pro vero sacerdote, verba Scripturae, quibus sacerdos praedicatur secundum ordinem Melchisedech, aliter juxta suum placitum interpretantes. Quomodo recentius e Protestantibus David Michaelis docuerit, Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, ejus ponendo sacerdotium ad revehendam eam solam legem naturalem, qualis fuerit, antequam lex Divina per Moysem data esset, tempore quo Melchisedech vixit, demonstratum est a me in Institutionibus Herm. V. T. tom. 3. num. 22.

Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti. Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. V. 30. Scandalum istud erat, quod ex Christi indignissima comprehensione, sicque tractato, quasi homine ex infima faece, titubare coeperint Apostoli, verene esset Messias, et Dei Filius, quem didicerant, et agnoverant ex confessione Petri. Propheta, cujus vaticinium productum est, Zacharias est Cap. 13. v. 7. De quo actum est in Instit. Herm. Vet. Test. tom. 3. num. 39.

Pater mi! si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. V. 39. In Christo, quemadmodum duae naturae sunt, divina, et humana; ita duae etiam sunt voluntates, naturis respondentes. Secundum humanam naturam Christus oravit Patrem, ut calix ab eo transiret, illum sensum in se exprimens, quo homo quisque naturali aversione refugit dolorem, et mortem: quatenus ve-

ro etiam adversus hanc aversionem Patris se se subjecit voluntati per eamdem humanam voluntatem ex rationis imperio, non ex sensu tantum, qui oritur ex affectione corporis, dixit: *Verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Nullatenus enim etiam haec, qua se Christus Patris subjecit voluntati, illius divina voluntas fuit: secundum quam, quemadmodum idem fuit cum Patre; ita neque se potuit subjicere eidem Patri.

At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribae, et seniores convenerant. V. 57. Primum ad Annam socerum Caiphae ductus fuit Jesus. Joan. 18. v. 13. *Petrus autem sequebatur eum a longe usque in atrium principis sacerdotum* V. 58. ejusdem Annae, quemadmodum hoc iterum apparet ex Joannis citato loco. *Petrus vero sedebat foris in atrio, et accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jesu Galilaeo eras. At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio, quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt, qui stabant, et dixerunt Petro: Vere et tu ex illis es. Nam et loquela tua manifestum te facit. Tunc coepit detestari, et jurare, quia non novisset hominem.* V. 69. Prima Christi abnegatio facta est a Petro apud Annam; altera cum ab Anna Christus ductus esset ad Caipham, et Petrus quoque ex atrio domus Annae egrediens, Christum sequi ad Caipham coepisset; tertia demum jam in atrio Caiphae. Id, quod planum fit ex collatione Joannis cum Matthaeo: qui Matthaeus, sicut praeteriit dicere Jesum ductum esse primo ad Annam, ita, ubi Petrus Christum negave-

rit, distincte etiam non exposuit. Lucas C. 22. v. 58. de secunda negatione Petri. „ Et post pu- „ sillum, inquit, alius videns eum dixit: „ Et tu de illis es „ cum haec juxta Matthaeum, et Joannem ancilla fuerit, et ne sexum quidem expressit. Scopus erat referre lapsum trinum Petri, quo documentum praeberetur; ne quis, quantumcunque firmus sibi videretur, in suis tamen viribus confideret. Adjuncta alia personarum, et loci, quae nihil ad scopum hunc conferrent, curae Evangelistis non fuit definite exprimere.

CAPVT XXVII.

Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. V. 9. Hoc testimonium non in Jeremia, sed Zacharia est C. 11. v. 12. Jam inde ab Origenis aetate agitabatur, quomodo Jeremias huc in locum Zachariae venerit, et maxime, si hunc ipse Matthaeus allegasset, ejusque nomen cum Zachariae nomine permutasset. E pluribus diversis modis, quibus tentata est hujus nodi solutio a compluribus, iste mihi videtur esse optimus: Matthaeum, nec Jeremiam, nec Zachariam nominasse; sed tantum sic posuisse: *Tunc impletum est, quod dictum est per Prophetam*

dicentem. Isto enim more saepe etiam alias citat prophetica testimonia, ut C. 1. v. 22. C. 2. v. 15. 23. C. 13. v. 35. C. 21. v. 4. C. 27. v. 35. Fit Jeremiae 32. v. 7. mentio agri cujuspiam ab Jeremia empti. Librarius itaque, aut quispiam alter, putans huc respexisse Matthaeum, atque hinc sumpsisse hoc testimonium, Jeremiae nomen adscripsit, et probabilius tantum primo ad marginem, unde irrepserit intro ad ipsum etiam textum. Nec hanc conjecturam non fundatam esse, illud pro argumento est, quod in pluribus codicibus Latinis, Graecis, Syriacis, Arabicis, et Persicis, in Matthaeo hoc testimonium sic sine nomine Jeremiae, vel Zachariae sit. De hoc fuit jam etiam Instit. Herm. V. T. tom. 3. num. 38. ubi demonstratum quoque est, vaticinium hoc fuisse vere de Christo.

Id ipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. V. 44. Vnus tantum latronum hoc fecit, quem alter idcirco etiam objurgavit, et impietatis arguit. *Luc.* 23. *v.* 39. Iste modus loquendi in numero plurali, etiamsi unus tantum sit, qui hoc fecerit quod refertur, dum expresse non dicitur, quis iste fuerit, etiam Capitis superioris. V. 8. fuit.

A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam. V. 45. Erat tum plenilunium, utpote in paschate, quod ab Judaeis celebrabatur. Solis vero eclipsis naturalis per lunam interpositam inter solem, nostramque tellurem, nunquam in plenilunio fit. Quare S. Hieronymo teste *in Comment.* jam primis Ecclesiae seculis Gentiles philosophi, qui Christianam Religionem scriptis suis impetierunt, Evangelistas etiam inscitiae arguerunt, quod hanc solis defectionem posuissent in suis Evangeliis in plenilunio. At enim vero dicuntne Evangelistae, hanc contigisse eclipsim, et

tenebras esse factas per interpositionem lunae? Si hoc non dicunt, nec ab interpositione lunae eam repetunt; non haec inscitia fuit, sed testimonium dicunt, fuisse hanc solis defectionem non naturalem, verum prodigiosam, neque tum lumen tantum solis, interjectu lunae, ne ad tellurem venire posset, impeditum esse; sed solem radios suos retraxisse, quod in naturali eclipsi non fit.

Origenes, commentans in Matthaeum, has tenebras, Christo pendente in cruce, statuit effectas esse per interpositionem cujusdam obscurissimae nubis, neque has tenebras fuisse obortas nisi in Palaestina, utpote tantum interjectu istius nubis. Quam ejus sententiam arripiunt, et brachiis excipiunt ii, qui nunc Scripturam sic interpretantur, ut miracula, quae in ea referuntur, sufferant. Vellent, ut, si per radiorum solis retractionem haec obscuratio facta esset in ipso sole, et quae tum necessario non solam Palaestinam, sed integrum hemisphaerium telluris, sibi obversum, affecisset, dumque sic observata etiam ab aliis plurimis nationibus extra Palaestinam esset, etiam ab istis habere de hac eclipsi testimonium, et inprimis ab astronomis: quod vero nullum dicunt suppetere. Tres itaque testes, Matthaeus, Marcus C. 15. v. 33. Lucas 23. C. v. 44. quamvis oculati etiam testes, istis ad fidem faciendam non sufficiunt. Argumentum a silentio petitum contra certam testificationem estne in Critica alicujus momenti? Evangelione credunt, qui id verum non habent, de quo Evangelistae testantur, nisi idem fultum etiam testimonio profanorum Scriptorum sit? At vero falsum etiam est, hanc solis defectionem, patiente Christo, non esse observatam, et adnotatam, atque literis proditam etiam ab aliis. Hujus enim me-

minit Phlegon Adriani Imp. libertus, et Thallus, qui Syriacam historiam composuit, apud Julium Africanum. Tertullianus quoque *Apologet. cap.* 21. Gentiles ad sua tabularia publica remittit, unde testimonium istius defectionis solis habere possint, ex hocce prodigio probans ipsis veritatem, et divinitatem Christianae Religionis. Etiam Rufinus *lib.* 9. *Hist. c.* 6. sic docet S. Lucianum Mart. iisdem Gentilibus esse locutum: „ Consu-„ lite, inquit, annales, ibique invenietis, cum „ Jesus Christus sub Pontio Pilato passus est, so-„ lem non dedisse lumen suum, ac diem miris, „ atque inauditis tenebris interruptum fuisse. „ Phlegon, hanc defectionem solis, quam etiam omnium, quae unquam visae sunt, maximam vocat, ita ut in meridie stellae factae conspicuae sint, refert accidisse Olympiadis 202. anno 4. Qui vero annus non omnium Chronologorum calculo convenit cum anno, quo Christus mortuus est. Perinde vero etiam hi in anno Christi natali non concordes sunt: quin tamen ideo verum non maneat, Christum natum esse. Etiam ipse Phlegon, qui tantum circa medium seculi secundi vixit, in anno errare potuit. Et, quomodocunque se hujus adnotatio habeat; non eo minus tabularia publica, et annales certum testimonium praebebunt semper, fuisse hanc solis defectionem observatam, et adnotatam etiam publice, idque extra Palaestinam quoque: ad quos annales, et ad quae tabularia provocatum est ab Luciano M. in Syria, et a Tertulliano in Africa. Quo etiam una cadit, fuisse has factas tenebras tantum in Palaestina.

CAPVT XXVIII.

Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria videre sepulcrum. V. 1. Vespere autem sabbati, ὀψὲ δὲ σαββάτων. Haec autem vox ὀψὲ, non semper Graecis significat vesperam, sed etiam generatim id, quod altero posterius est. Exempla e Graecis etiam Scriptoribus sunt jam de hoc producta supra *Tom. I. Introd. C.* 7. §. 32. Quare istud etiam Marcus expressit sic: „Cum „transiisset sabbatum.“ *Marc.* 16. v. 1. Prima sabbati est prima dies in sabbato, sive septimana. *Luc.* 18. *v.* 12. *Act.* 20. *v.* 7. Iverunt autem post transactum diem sabbati prima die sabbati, etiam hic per sabbatum intelligendo septimanam, summo mane, dumque adhuc tenebrae essent juxta Joannem C. 20. v. 1. juxta Marcum autem C. 16. v. 2. valde mane, orto jam sole. Quae scilicet mulieres domo discesserint in tenebris, pervenerint vero ad sepulcrum jam orto sole. Obsignatum vero sepulcrum fuit pridie, militesque sunt appositi, qui hoc custodirent in diem usque tertium, qui tunc tantummodo oriebatur. Custodia autem proculdubio continuata fuisset toto adhuc eo die, nisi custodes, metu Angeli, qui apparuit, dati in fugam essent: quae adhibita est, ne cum Christus se surrecturum tertia die a morte praedixisset, discipuli furando illum e sepulcro, ut Judaeorum sacerdotes, et Seniores causam praetexebant, cur custodiri voluerint sepulcrum, spargere falsum rumorem possent, Christum surrexisse a morte.

Quomodo ergo mulieres cum proposito ungendi Christum ire ad sepulcrum voluerunt, quod obsignatum fuit, et cui appositae erant vigiliae? Nempe haec sepulcri obsignatio, et militum ad sepulcrum custodiendum appositio, facta priore die, quod sabbatum erat, et quo se mulieres domi continuerunt, latuit easdem mulieres. *Luc.* 23. v. 56.

Et ecce terrae motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de caelo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum. V. 2. Pro causa istius terrae motus, dum ponitur Angeli descensus ad amovendum lapidem, intelligitur, hunc terrae motum nec fuisse fortuitum, nec ortum ex causa naturali; deinde neque jam Christum fuisse in sepulcro Qui si tunc tantum a morte surrexisset, et ex sepulcro exivisset, ista magis memoranda fuisset istius terrae motus causa, quam Angeli descensus ad solius lapidis amotionem. Eo itaque pertinebat tantum haec sepulcri apertio, ut appareret, Christum jam non esse in sepulcro. Clausis januis etiam postea intravit ad discipulos. *Joan.* 20. v. 19. Eadem igitur ratione exivit Christus per clausum sepulcrum. Triduum fuit Christus sepultus, non tamen hoc completum, et integrum. In parasceve mortuus est, et sepultus jam vergente ad finem die; sabbato toto fuit in sepulcro: sequentis vero diei mane, simul atque illucescere coepit, excitatus a morte est. *Marc.* 16. *v.* 9.

Erat autem adspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix. Prae timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos. Scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quaeritis. Non est hic. Surrexit enim, sicut di-

xit. Venite, et videte locum, ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit, et ecce praecedet vos in Galilaeam. Ibi eum videbitis. Ecce praedixi vobis. V. 3. Eadem adhuc illa die Christus se discipulis Jerosolymae in Judaea conspiciendum dedit. Non est tamen hoc ei, quod Angelus dixit, visuros Christum in Galilaea, contrarium. Nam et istud factum postea est. Eatenus tamen hoc in Galilaea futurum dixit Angelus, quatenus Christus per illos dies quadraginta, antequam adscendisset in caelum, in Galilaea deinde identidem se discipulis exhibuit, cumque his illic conversatus est. Act. 1. v. 3.

Et exierunt cito de monumento cum timore, et gaudio magno currentes nunciare discipulis ejus. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Illae autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere, ite, nunciate fratribus meis, ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt. V. 8. Joannes C. 20. v. 1. unam tantum memorat Mariam Magdalenam, quae summo mane venerit ad sepulcrum, et cum nuncio de Christo, sublato e sepulcro, quemadmodum putabat, cucurrit ad Petrum, et Joannem, et cui ad sepulcrum ploranti Christus deinde apparuerit. Nempe, neuter Evangelista, Matthaeus, et Joannes, sed neque ceteri plene, et cum omnibus adjunctis referunt Resurrectionis historiam. Quae proinde componenda est, et ordinanda ex narratione omnium quatuor Evangelistarum. Tali vero ratione: Maria Magdalena cum altera Maria, et pluribus aliis feminis, *Marc.* 16. v. 1. *Luc.* 24. v. 10. ivit ad sepulcrum. Dum hoc eminus vidisset apertum, putassetque violatum, atque Christi corpus ex eo sublatum, cucurrit ad Petrum, et Joannem

dicens: „Tulerunt Dominum de monumento, et „nescimus, ubi posuerunt eum" *Joan* 20. v. 2. Reliquae mulieres vero iverunt usque ad sepulcrum, ibique Angelum viderunt, qui illud ipsis dixit, quod fuit supra. Vbi hae discesserunt nuncium ferentes ad Apostolos, quemadmodum ipsis mandatum fuit ab Angelo, venit Petrus, et Joannes ad sepulcrum currendo: eosdemque secuta est etiam Magdalena. Cum vero hi, vacuo reperto sepulcro abivissent, Magdalena ibi mansit, cui soli ad sepulcrum ploranti, omniumque primo, Christus apparuit. *Marc.* 16. v. 9. Post id etiam ceteris mulieribus, dum adhuc redirent, atque in via essent, Christus se conspiciendum dedit: quae vero aliam tenuerint viam, quam qua Petrus cum Joanne, et Magdalena secundo iverat ad sepulcrum. Secus enim hi ex mulieribus revertentibus, edoctisque per Angelum de Christi resurrectione, hanc etiam ipsi intellexissent, nec illa admiratio de sepulcro a se reperto vacuo, locum apud eos habuisset, nec Magdalena Christum, velut sublatum, deplorare debuisset.

Hac eaedem mulieres cum timore, et gaudio magno dicuntur a Matthaeo ivisse ad Apostolos, ut nuncium de resurrectione Christi ferrent: at vero Marcus C. 16. v. 8. docet, has ob metum nemini quidquam dixisse. Nempe hi, quorum nemini quidpiam dixerint, intelliguntur Judaei, alieni a discipulis: quorum metu se se illis diebus etiam clausi tenuerunt Apostoli. *Joan.* 20. *v.* 19. — Etiam quoad Angelos, qui apparuerunt ad sepulcrum, opus est aliqua conciliatione. Nam Matthaeus unius Angeli mentionem facit, qui foris supra lapidem, ab sepulcri ostio amotum, sederit. Etiam Marcus C. 6 v. 5. de uno tantum Angelo loquitur, nec foris, sed intus in monumento sedente. Lucas vero C. 24. v. 4. duos memo-

rat Angelos, qui in forma juvenum prope mulieres constiterint, postquam ingressae sunt sepulcrum. Duo videlicet reipsa erant Angeli, qui apparuerunt mulieribus. Ex his vero Matthaeus, et Marcus illius tantum mentionem faciunt, qui mulieres allocutus est, Christumque a morte surrexisse testabatur. Angelus secundum Matthaeum supra lapidem sepulcralem sedit, amotum a monumenti ostio. Sic videlicet sedens se custodibus videndum dedit, et metu exanimatos in fugam conjecit. Vbi vero mulieres advenerunt; jam se idem Angelus intro ad sepulcrum receperat. Secus Magdalena hunc etiam vidisset, et non de solo aperto sepulcro, sed etiam de hoc Angelo, viso a se ad sepulcrum, nuncium ad Petrum, et Joannem tulisset. Angelus juxta Marcum intus in monumento sedit: secundum Lucam duo Angeli constiterunt prope mulieres. Nempe hae intrantes in monumentum primum Angelos sedentes viderunt (qua ratione Marcus unum tantum ex his memoret, jam est declaratum) qui vero Angeli illico assurrexerint, et ad mulieres accesserint, hasque intro vocaverint, dicendo „Venite, et videte locum, „ubi positus erat Dominus.“ Neque enim hae visis Angelis perterritae intrare aliter ausae fuissent. Quae sepulcri Christi structura, et forma fuerit, est demonstratum a me Instit. Herm. V. T. *tom. I. Cap.* 26. §. 78.

Vndecim autem discipuli abierunt in Galilaeam in montem, ubi constituerat illis Jesus, et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis. Et ecce ego vo-

biscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. V. 16. *Docete omnes gentes,* μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη. Hoc vero μαθητεύειν, cum accusativo constructum, semper eam habet significationem, quam Latinis verbum *docere*: solum vero et sine nomine, quod regat, positum significat *discipulum facere,* μαθητὴν ποιεῖν: quo modo usurpatum est etiam superioris Cap. V. 57. de Nicodemo, qui discipulus fuerit Jesu. Vix autem docere, et discipulum facere, aliquid inter se differunt. Nam qui ab aliquo docentur, hi etiam istius sunt discipuli. Dum vero Christus Apostolis mandavit, ut docerent omnes gentes, baptizantes eas; si docendi prius sunt, qui baptizantur, possuntne etiam infantes baptizari, qui doctrinam capere nondum possunt? Quare Petrobrusiani seculo duodecimo, et Anabaptistae, Servetusque nullius momenti habuerunt baptismum, infantibus ante usum rationis collatum. In adultis autem omnino fides, atque adeo instructio ad fidem antecedere baptismum debet. *Act.* 8. v. 37. Solet denominari totum ab eo, quod maximas partes complectitur: quae eorum, qui baptizabantur aetate Apostolorum, pars maxima erat ex adultis. Hoc ergo modo se hic etiam habet generalis enunciatio de docendis omnibus, antequam baptizentur. Vndenam istud constat sic esse accipiendum? ex Apostolica traditione, quae de infantibus etiam baptizandis semper obtinuit in Ecclesia, cujus testes sunt S. Irenaeus *lib.* 2. *contra haeres. cap.* 22. Origenes *lib.* 5. *in Epist. ad Rom.* S. Cyprianus *in Epist. ad Fidum*, quamque testatur perpetua etiam praxis Ecclesiae. Dum vero Christus se cum Apostolis futurum dixit usque ad consummationem seculi, „Non cum „ illis solum, (sunt verba S. Chrysostomi *homil.* „ 90. *in Matth.* se fore dixit, sed etiam cum

„omnibus, qui post illos credituri erant. Neque „enim Apostoli usque ad consummationem seculi „mansuri erant: sed fidelibus omnibus, quasi uni „corpori loquitur.“ In eamdem sententiam verba haec Christi exposuit S. Hieronymus *in Comment.* et res haec per seipsam etiam apparet. In quem vero finem, et ad quid Christus se cum Apostolis futurum promisit usque ad consummationem seculi? Hoc intelligi debet ex eo, quod ipsis negotium commisit, et injunxit abiturus, et abfuturus ab ipsis sua praesentia secundum corpus, et conspicua. Fuit vero munus hoc docendi, *Euntes* enim dicebat, *docete omnes gentes baptizantes eos — — docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis.* Ergo Christi etiam praesentia cum Apostolis ad mundi consummationem usque, intelligitur quoad munus docendi. Idem itaque hoc est, quod etiam apud Joannem C. 14. v. 16. Christus, dicens: „Ego rogabo Pa„trem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut ma„neat vobiscum in aeternum Spiritum veritatis“ Apostolis pollicitus est. Ex quibus sequitur, Ecclesiam non tantum, quamdiu rectores, et pastores habuit Apostolos, sed etiam in horum successoribus usque ad finem mundi ea esse virtute praeditam, atque instructam per Christum; ut in doctrina, quam a suis pastoribus, et rectoribus accepit etiam post Apostolos, et acceptura est usque ad consummationem seculi, falli, et errare non possit: nisi forte Christi virtutem, ad quam is tribuendam se semper affuturum, et praesentem fore dixit, desituram fuisse putemus.

EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

INTRODVCTIO.

Marcus discipulus, et interpres Petri, sunt verba S. Hieronymi de Viris Illust. Cap. 8. *juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus, breve scripsit Evangelium. Quod cum Petrus audisset, probavit, et Ecclesiis legendum sua auctoritate dedit, sicut Clemens in sexto ὑποτυπώσεων scribit.* — — *Assumpto igitur Evangelio, quod ipse confecerat, perrexit ad Aegyptum, et primus Alexandriae Christum annuncians, constituit Ecclesiam tanta doctrina, et vitae continentia; ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret.* Interpretem fuisse Petri, et hoc literis mandasse in Evangelio, quod ex Petro audivit, etiam testis est Papias Hierapolitanus Episcopus apud Eusebium *lib.* 2 *Hist. c.* 39. et ipse etiam Eusebius *lib.* 2. *Hist. c.* 15. *et lib.* 3. *c.* 24. nec non S. Irenaeus *lib.* 3. *adv. haeres cap.* 1. Tertullianus *adv. Marcion. lib.* 4. *c* 5. et S. Epiphanius *haer.* 51. quae est Alogorum. Nec ta-

men in tempore, et loco, quo Marcus suum scripserit Evangelium, omnes etiam hi consentiunt. Nam ex his Irenaeus, citato loco, diserte habet tantum post mortem Petri, et Pauli ea, quae praedicata sunt a Petro, inscripta nobis tradidisse, μετὰ τούτων ἔξοδον — — τὰ παρὰ Πέτρȣ κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε. Cumque, ut perhibent hi iidem, qui modo producti sunt Scriptores, Marcus Roma missus sit a Petro in Aegyptum, sequetur, non Romae etiam suum edidisse Evangelium, sed in Aegypto. Hoc itaque testimonium Irenaei nec certum relinquit, num Petrus vel viderit, nedum approbaverit Marci Evangelium: ex qua tamen approbatione Petri, inspirationem Divinam facere quosdam, qua Marcus suum hoc scripserit Evangelium, jam supra *Introduct. cap.* 2. et *Instit. mear. V. T. tom. II. pag.* 67. demonstratum est.

Omnium quatuor Evangeliorum est hoc Marci brevissimum, tamque in rebus, quae referuntur, cum Matthaei Evangelio conveniens, ut Marcus Matthaei tantum pedisequus, et breviator S. Augustino visus sit esse *lib.* 2. *de Cons. Evangel. c.* 2. Non tantum enim pleraque ex vita, et actionibus Christi refert, quae sunt relata jam etiam a Matthaeo; sed saepius in ipsis etiam verbis cum hoc convenit. Quia tamen habet quaepiam, quae non sunt apud Matthaeum, nec illius etiam ordinem servat in narrando, quaedam vero praetermittit, licet memoria, et cognitione valde digna, quin res statim, quae sunt primis duobus Matthaei capitibus comprehensae de Christi genealogia, et nativitate, praeterierit; Marci Evangelium Evangelii Matthaei epitome haberi non potest. Idem Marcus cum Luca quoque saepius tam in ordine rerum, quae narrantur, quam in ipsis etiam verbis convenit. Vnde istud sic factum sit,

est jam declaratum supra in Introductione ad Matthaeum. Lingva Graeca usum esse Marcum in scribendo, est aeque demonstratum tom. I. pag.236. Neronis, qui Claudio successit, anno octavo imperii, a. C. 54. esse martyrio affectum, tradit S. Hieronymus lib. de Vir. Illustr.

INTRODVCTIO, ET EXEGESIS.

CAPVT I.

Joannes praedicat baptismum poenitentiae, ipsumque Christum etiam baptizat. *Matth.* 3. *v.* 1. *Luc.* 3. *v.* 1. a) Christus quadraginta diebus jejunat, tentatur a diabolo, praedicat in Galilaea, et sibi aggregat discipulos. *Matth.* 4. *v.* 1. *Luc.* 4. *v.* 1. Capharnai docet in synagoga, daemoniacum a daemone liberat. b) Simonis socrum febri laborantem solo manus suae tactu, et plures alios aliis morbis affectos subito sanat. *Matth.* 8. *v.* 14. *Luc.* 4. *v.* 31. Pergit in alias civitates praedicaturus Evangelium. Leprosum curat. *Matth.* 8. *v.* 1. *Luc.* 5. *v.* 12.

a) *Initium Evangelii Jesu Christi filii Dei, sicut scriptum est in Isaia propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto. Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.* V. 1. Haec tantum verba:

verba: *Vox clamantis* etc. sunt ex Isaia. C. 4. v. 3. anteriora autem sunt in Malachia. C. 3. v. 1. Hinc jam sec. 3. Porphyrius ansam arripuit cavillandi Evangelistas, tam fuisse rudes, atque imperitos, ut ne auctores quidem, ex quibus sumserunt testimonia, recte sciverint citare. Hoc: *Sicut scriptum est in Isaia*, in permultis Graecis codicibus, quos nunc habemus, tam typo editis, quam Mss. sic legitur: *ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις*: *Sicut scriptum est in Prophetis*. At veteres codices eodem modo habuissse locum hunc expressum, quemadmodum est in nostra Vulgata, testis est S. Hieronymus *in lib. de Opt. Gen. interpret.* Etiam Syriaca, Coptica, et Armenica versio, quae fluxerunt ex Marci textu Graeco, congruunt cum eadem nostra Vulgata. Nec difficile est assequi, quomodo alia lectio in Graecis codicibus enata sit per eos, qui alibi etiam praeposteras emendationes fecerunt in textu Scripturae, quem vel mendose putabant esse scriptum, vel si difficultas in eo aliqua esset. Duo Marcus prolaturus erat testimonia, Malachiae, et Isaiae, in quibus suam testificationem fundaret de Joanne Baptista, qui sit oraculo Prophetarum praedictus. Ex his alterum Isaiae cum esset luculentius, quodque ipse Joannes etiam pro se adduxerit ad declarandum Judaeis, quis esset, *Joan.* 1. *v.* 23. sic produxit Marcus, ut ipsius etiam Isaiae nomen expresserit, Malachiam, ex quo sumpsit alterum testimonium, nominare praetermiserit, solius compendii in loquendo gratia, nec adversus veritatem ullo dispendio. Neque enim idcirco peccatum adversus veritatem est, quod cum testimonium, quod produxit, contexuisset e Prophetis duobus; horum alterum nominatim appellare praetermisserit.

b) *Et erat in synagoga homo in spiritu immundo, et exclamavit dicens: Quid nobis, et tibi Jesu Nazarene? Venisti perdere nos. Scio, quis sis Sanctus Dei. Et comminatus est ei Jesus, dicens: Obmutesce, et exi de homine. Et discerpens eum spiritus immundus, et exclamans voce magna exiit ab eo.* V. 23. *Discerpens eum*, σπαράξαν αὐτὸν: quod Graecum verbum non semper significat, quidpiam in frusta dilacerare, sed tantummodo etiam ciere, exagitare. Nam a Galeno lib. 1. ad Glauc. sumitur pro irritatione, et concitatione stomachi ad vomitum digitos, vel pennas immittendo ad fauces. Est Luc. 4. v. 35. diserte de hoc homine, quod daemonium, dum ex eo exiisset, nihil ei nocuerit.

CAPVT II.

Jesus sanat paralyticum. *Matth.* 9. *v.* 1. *Luc.* 5. *v.* 18. Vocat Levi Alphaei a telonio ad se sequendum. Ad cujus convivium cum ivisset, multique publicani una accubuissent, idque Pharisaeis inconveniens visum esset; docet, se ad vocandos peccatores, non justos venisse. Respondet quaestioni, quam ei moverant Pharisaei, et Joannis discipuli, cur non jejunarent sui etiam discipuli. *Matth.* 9. *v.* 9, 15. *Luc.* 5. *v.* 27, 35. Adversus eorumdem Pharisaeorum incusationem excusat eosdem discipulos suos, quod sabbato per sata iter facientes, spicas decerpsissent, dum esurivissent. *Matth.* 12. *v.* 1. *Luc.* 6. *v.* 1. a)

a) *Nunquam legistis, quid fecerit David, quando necessitatem habuit, et esuriit ipse, et qui cum eo erant, quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, et dedit eis, qui cum eo erant?* V. 24. Ad Achimelechum, principem sacerdotum, venisse Davidem, dum in fuga esset, a Saule quaesitus ad necem, et ab eo propositionis panes accepisse, est 1. Reg. 21. v. 1. Abiathar vero hujus filius fuit, qui patri in pontificatu successit, tantum ubi Saul illum iniquissime occidisset ob panes illos datos Davidi. Panes propositionis in Dei tabernaculo veteres amovere, et novos apponere, non summi sed aliorum erat officium sacerdotum: *Levit.* 21. *v.* 6. quem secundum gradum sacerdotii etiam Abiathar tenuit vivente patre. Quamvis ergo panes David ab Achimelecho petiisset; istos tamen Abiathar ex Dei tabernaculo accepit, Davidique dedit, sed ad jussionem patris Hinc intelligitur, quomodo de hoc utroque dictum sit, panes illos dedisse, Abiatharem manibus; Achimelechum jussione, et auctoritate. Summus vero sacerdos tum, cum panes dedisset, Abiathar nondum fuit: at vero jam fuit, dum Christus de eo loqueretur. Dignitatum nomina solent tribui personis, quae has gesserunt, etiamsi de his, et de tempore sit sermo, quod dignitate sit anterius. Ad personam enim dignitatis titulus refertur, non ad tempus. Hocce modo etiam est: *Jesse genuit David regem*: Matth. 1. v. 5. qui nondum rex fuit, dum nasceretur.

CAPVT III.

Christus cujusdam hominis manum aridam sanat. *Matth.* 12. *v.* 9. *Luc.* 6. *v.* 6. Pharisaei, et Herodiani consilium agitant de Christo perdendo. Secedit ad mare. Fit hominum ingens ad eum confluxus. Multos morbis affectos sanat. Duodecim eligit Apostolos. *Matth.* 10 *v.* 1. *Luc.* 6. *v.* 13. Docet in domo. Multi conveniunt ad eum audiendum. Sui illum pro furioso habent, et volunt ligare. Scribae daemoniacum esse dicunt, et daemonia ope Beelzebub ejicere. a) Hanc refellit calumniam. Eos, qui Dei voluntatem facerent, declarat, se habere pro suis fratribus, sororibus, et matre. *Matth.* 12. *v.* 24, 46. *Luc.* 8. *v.* 19.

a) *Et veniunt ad domum*, et *convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare. Et cum audissent sui, exierunt tenere eum. Dicebant enim: quoniam in furorem versus est.* V. 20. Quoniam in furorem versus est, in Graeco est: ὅτι ἐξέστη, *Quia extra se est*: id est: mente motus. Nam etiam Joan. 10. v. 20. de Christo sic convitiose loquebantur: *Daemonium habet, et insanit: quid eum auditis.* Isti vero sui, qui Christum amentem, et insanum dixerunt, erant ejus cognati: de quibus Joan. 7. v. 5. etiam est: *Neque enim fratres ejus credebant in eum.*

CAPVT IV.

Christus docet hominum turbam ex navicula in mari, hoc est, in lacu Genesareth, idque per parabolas primum de Semine, quod jactum ab agricola cum cecidisset partim ad viam, partim inter spinas, partim in loca petrosa, partim in terram bonam, fructum tantum in terra bona tulerit, infructuosum alibi fuerit; deinde de Semente, cui malum semen inimicus superseminaverit; tum de grano Sinapi, quod unum quidem e minimis seminibus, tamen in altitudinem excrescere soleat parem arbori. *Matth.* 13. *v.* 4. *Luc.* 8. *v.* 4. Idem mare dum postea Christus navi trajicit cum discipulis, tempestatem, quae coorta est ingens, navemque compleverat fluctibus, atque periculum teruisset omnes; verbo, atque imperio suo subito sedat. *Matth.* 8. *v.* 23. *Luc.* 8. *v.* 22.

CAPVT V.

In regione Gerasenorum, quo perventum fuit transfretando, ex homine, qui legione daemonum obsessus erat, daemones expellit, permittendo, ut in porcos intrare possint, et quorum deinde grex totus praeceps abiit in mare. *Matth.* 8. *v.* 28. *Luc.* 8. *v.* 26. Reversus autem in eam lacus partem, unde venerat, feminam a sangvinis profluvio, quo duodecim annos laboraverat, liberat, et Jairi, unius de principibus synagogae, filiam a morte excitat. *Matth.* 9. *v.* 18. *Luc.* 8. *v.* 41.

CAPVT VI.

In patriam suam, in civitatem Nazareth, pergit Christus cum discipulis suis, docetque ibi cum popularium suorum magna admiratione: pauca tamen patrat miracula, eo quod fuerint increduli. *Matth.* 13. *v.* 54. a) *Luc.* 4. *v.* 16. Mittit Apostolos ad praedicandum Evangelium, mandatis instructos, quomodo gerere se in hoc munere debeant. *Matth.* 10. *v.* 1. *Luc.* 9. *v.* 1. Interponitur narratio de Joanne Bapt. per Herodem Galilaeae tetrarcham interfecto. *Matth.* 14. *v.* 1. Revertuntur ad Christum Apostoli inde, quo missi erant ad praedicandum Evangelium. Cum his secedit ad desertum quemdam locum. Eo etiam sequitur ipsum multitudo hominum, quam docet, ac deinde reficit quinque panibus, et duobus piscibus per miraculum multiplicatis. *Matth.* 14. *v.* 14. *Luc.* 9. *v.* 10. Sub ejusdem diei, quo actum hoc est, vesperam cum discipulos jussisset navim conscendere, et transfretare; ad hos deinde noctu venit super mare ambulans, ventumque, qui remigantibus ex adverso flabat, et navigare, quo volebant, non sinebat, simul atque in navim intravit, repente sedat. *Matth.* 14. *v.* 22.

a) *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit.* V. 5. In Nazareth patria sua. Quod Matthaeus 13. v. 58. sic habet: *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.* Intelligitur itaque incredulitas Nazarethanorum obstitisse, cur Christus nullam apud eos virtutem facere potuerit, praeter paucos infirmos, quos impositis manibus curavit. Et incredulitas-

ne horum obicem Christo ponere poterat, si patrare plura apud illos prodigia voluisset? In Christo vis divina, qua patrabat prodigia, a nemine impediri ullo modo poterat. Attamen is fidem erga se ab iis, quibus conferebat beneficia curationum, vel etiam alia, requirebat, veluti conditionem. Nam etiam infra C. 9. v. 22. homini cuidam pro filio suo, quem daemon insederat, et afflixerat, deprecanti, respondit; *Si potes credere: omnia possibilia sunt credenti:* et apud Matth. 9. v. 28. caecis, qui ad eum venerant, ut lumen oculorum ipsis tribueret, *Creditis*, inquit, *quia hoc possum facere vobis?*

CAPVT VII.

Pharisaei, et Scribae culpaverant Christi discipulos, quod cibum caperent non ante lotis manibus, adversus traditionem seniorum. Quos sic Christus extra omnem posuit culpam; ut e contrario Pharisaeos, atque Scribas arguerit; quod traditiones suorum seniorum anteponerent divinis mandatis, et praevaricarentur, a) *Matth.* 15. v. 2. Mulieris Syrophoenissae filiam a daemonio liberat. *Matth.* 15 *v.* 21. Homini surdo, et muto auditum, et loquelam tribuit.

a) *Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt.* V. 2. Communes manus eaedem, quae non lotae essent, ut ipse etiam Evangelista declaravit, dicebantur

ab Judaeis, etiam ab ipso Petro: *Absit Domine, quia nunquam manducavi omne commune, et immundum.* Act. 10. v. 14. Distinctio animalium mundorum, et immundorum, aliarumque rerum, quae Judaeis fuit, aliis nationibus non fuit: sed promiscue comedebant omnia, quae apta ad cibum essent. Hinc idem promiscuum, et commune usurpari coepit ab Judaeis pro immundo, et impuro.

CAPVT VIII.

Septem panibus, et aliquot pisciculis Christus iterum in deserto pascit, et satiat quatuor millia hominum. *Matth.* 15. *v.* 32. Pharisaei signum ab eo petunt e caelo: quod se se illis daturum, negat. *Matth.* 16. *v.* 1. Monet discipulos, ut sibi a fermento Pharisaeorum, et Herodis caverent. *Matth.* 16. *v.* 5. *Luc.* 12. *v.* 1. a) Venit Bethsaidam, ubi cuidam caeco visum tribuit. Pergit per castella Caesareae Philippi, percontatur ex discipulis, quem ipsum homines esse dicerent: quorum opinionibus relatis ulterius quaerit, quem vero ipsi esse dicerent. Cui Petrus respondit: *Tu es Christus.* Cavet Christus, ne hoc cuipiam dicerent: praedicitque illis, quanta passurus sit Jerosolymae, seque ab Judaeis occisum iri, post dies vero tres se a morte surrecturum. Docet, omnibus, qui eum vellent sequi, necesse esse; ut seipsos abnegent, atque crucem ferant. *Matth.* 16. *v.* 13. *Luc.* 9. *v.* 18.

a) *Cavete a fermento Pharisaeorum, et fermento Herodis.* V. 15. Fermentum pro doctrina positum est. *Matth.* 16. *v.* 12. Metaphora in eo est, quod sicut istud massam, atque farinam, aqua subactam, celerrime pervadit, et inflat; ita doctrina in hominum mentibus, quibus aspergitur et adhaerescit, idem in utramvis partem efficiat. Apud Matthaeum citato loco est, Christum discipulis dixisse, ut sibi caverent a fermento Pharisaeorum, et Sadducaeorum. Pro Sadducaeis vero Marcus habet Herodem. Quod videlicet Matthaeus generaliter expressit, ponendo Sadducaeos, pro hoc Marcus determinate posuit Herodem, qui fuit secta Sadducaeus.

C A P V T IX.

Christus in monte se transfigurat coram Petro, Jacobo, et Joanne. *Matth.* 17. *v.* 1. *Luc.* 9. *v.* 28. Spiritum mutum, et qui ejus, quem obsederat, loquelam interceperat, e quopiam expellit, postquam hunc expellere conati essent discipuli, et perficere non potuissent. *Matth.* 17. *v.* 14. *Luc.* 9. *v* 38. Suam mortem denuo, et occisionem praedicit discipulis Isti cum inter se disceptassent de primatu; declarat Christus, eum qui vellet primus esse, debere fieri omnium ultimum, omniumque ministrum, et puero in eorum medio constituto, docet, qui unum ex hujusmodi pueris in ejus nomine recepisset, ab hoc seipsum receptum iri: qui vero ipsum recepisset, ab hoc eum esse recipiendum, a quo missus ipse esset. *Matth.* 18. *v.* 1. *Luc.* 9. *v.* 47. Joannes, is, qui

fuit unus ex Apostolis, refert Christo, a se quempiam visum esse, qui per ejus nomen ejiceret daemones, quin ejus sectator, et discipulus esset, et quem hoc facere ipsi prohibuerint. Quod ipsos facere non oportuisse, respondit Christus: siquidem se iste ipsis contrarium non exhibuisset: pro ipsis vero hunc esse, qui adversus ipsos non esset. Monita, et praecepta Christus dat de vitando scandalo, docetque in igcem inexstinguibilem iturum scandalum, atque offendiculum alteri praebentem. *Matth.* 18. *v.* 6. a)

a) *Quodsi oculus tuus scandalizat te, ejice eum. Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Vbi vermis eorum non moritur, et ignis non exstingvitur. Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur.* V. 46. Omnis igne salietur, nimirum qui in gehennam ignis mittetur, clarum est, eo pertinere; ut demonstraretur, eum, qui in hanc gehennam pergit, igne non esse consumendum, adeoque igne hoc urendum esse semper, similitudine sumpta a sale, cujus est conservare corpora arcendo tabem, et putredinem. Itaque dum isto igne gehennae saliendus dicitur, qui in gehennam mittitur, demonstratur futurum, ut ignis iste non tantum non comburat missos in gehennam; sed his, quos uret, et cruciabit, futurum instar salis, ut perstent semper eodem in igne, qui numquam exstingvetur. Satis ergo luculenter aeterna duratio poenarum, et supplicii, quod ferent impii in gehenna, expressa est. Gehenna quae fuerit, Instit. Herm. V. T. *tom. I. Cap.* 33. §. 99. explicatum a me est. Poenarum autem atrocitas, quas impii laturi sunt sempiternas, imagine istius ignis, qui fuit in gehenna, adumbrata est.

Hoc: *Omnis victima salietur*, est ex Levit. 2. v. 13. Vnde intelligitur, miseros illos, et infelices Deo cremandos esse instar victimae in vicem suorum peccatorum, quibus offenderunt Deum, utque ei pro offensa satisfaciant: quemadmodum de sangvine victimarum etiam Levit. 17. v. 11. est: *Et ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, et sangvis pro animae piaculo sit.* Hoc est, quod se Christus etiam Deo victimam pro nobis obtulerit in satisfactionem ejus; quod nobis luendum fuisset pro eo, quo offendimus Deum. Hinc vero se praebet ad videndum, in quo sita sit ratio sacrificii, quodque solus Christus praestare potuerit ad exhaurienda nostra peccata: *Hebr.* 9. *v.* 28. utpote, qui solus Deo pro offensa, qua a nobis affectus est, condignam dare satisfactionem potuerit, cum illud, quod dederat, ex dignitate ejus divinae personae, etiam sicut Dei est majestas infinita, pretii, atque meriti fuisset infiniti. Ex quo pariter illud perspici potest; cur damnati ad gehennam, poenis suis, ac suppliciis quantumcunque longis, tamen ad suae expiationis finem nunquam possint pertingere, atque ideo nec supplicia illorum finem aliquando habitura sint, dum in his ferendis, nihil jam ipsis opitulante satisfactione Christi, satisfactionem dignam Deo per seipsos pro suis peccatis nequeunt praestare.

Bonus est sal. Quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos. V. 49. Est continuatio metaphorae de sale, sed in contrariam partem, et ad quem proinde habendum Christus discipulos hortatus est. Quid sic per salem intelligatur, perspicuum fit ex Matth. 5. v. 13. ubi Christus ad Apostolos dixit: *Vos estis sal terrae*, et ex Apostolo: *Sermo vester semper in gra-*

tia sale sit conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere. Coloss. 4. v. 6. Doctrinae videlicet, atque sapientiae sal intelligitur.

CAPVT X.

Pharisaei ex Christo quaerunt, idque tentandi tantum causa, uxoremne liceret dimittere. Quos cum jussisset dicere, quid de hoc sibi constitutum haberent per Moysem; docet nonnisi ob duritiam cordis illorum permissum esse a Moyse, ut vir uxorem a se posset dimittere: Deum autem sic marem, et feminam fecisse, et inter se copulasse, ut duo essent in carne una. Quod ergo Deus conjunxit, homo ne separaret. *Matth.* 19. *v.* 1. Cuidam sciscitanti, quid agere deberet, ut vitam adipiscatur aeternam, respondit, Dei mandata debere ipsum observare: sin autem perfectus esse vellet, venderet omnia sua, pauperibusque distribueret, atque ita se sequeretur. Ad hoc cum tristis homo ille abivisset, Christus ad discipulos se vertens, quam difficulter, inquit, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. Docet deinde, quid remunerationis, et praemii accepturi sint, qui rebus suis omnibus posthabitis se sequuntur. *Matth.* 19. *v.* 16. *Luc.* 18. *v.* 18. Pergit Jerosolymam, praedicitque iterum discipulis, quid ibi passurus sit, suamque mortem. Jacobo, et Joanni, filiis Zebedaei, petentibus, ut uni eorum ad dextram suam, alteri ad sinistram tribueret sessionem in regno suo, respondit, nescire ipsos,

quid peterent: nec suum esse hoc dare, sed quibus paratum esset. *Matth.* 20. *v.* 20. Cum ceteri Apostoli his idcirco indignati essent, composuit Christus ipsorum animos, et instruxit, qua via quaerere deberent fieri majores, omnium se se ponendo servum. *Matth.* 20. *v.* 17. *Luc.* 22. *v.* 25. Cuidam caeco nomine Bartimaeo, in civitate Jericho oculos aperit, visumque largitur. *Matth.* 20. *v.* 29. *Luc.* 18. *v.* 25.

CAPVT. XI.

Jerosolymam Christus, asino vectus, inter circumfusam, ovantemque multitudinem populi ingreditur. *Matth.* 21. *v.* 1. *Luc.* 19. *v.* 29. Arefacit ficum, quod fructum, quem in ea esuriens quaesiverat, non invenisset. *Matth.* 21. *v.* 18. Ejicit vendentes, et ementes e templo. Interpellatus vero a sacerdotibus, scribis, et senioribus, qua istud potestate fecerit, his negat responsum. *Matth.* 21. *v.* 12. *Luc.* 20. *v.* 2.

CAPVT XII.

Per parabolam de homine, qui vineam suam locavit colonis, qui vero huic non tantum nihil ex fructu attulerint, sed servos etiam, atque ipsum filium quoque ad se missos, fructum exigendi causa, occiderint; docet Christus futurum, ut regnum Dei ab Judaeis auferatur, et alteri detur genti, quae fructum ferat. *Matth.* 21. *v.* 33. *Luc.* 20. *v.* 9. Pharisaeis, et Herodianis respondet, subdole quaerentibus, censumne solvere liceret Caesari: *Matth.* 22. *v.* 15. *Luc.* 20. *v.* 20. deinde Sadducaeis percontantibus, cujusnam in resurrectione uxor futura esset mulier, quae septem maritos habuit, alium post alium, cum mortui omnes essent ipsa superstite; *Matth.* 22. *v.* 23. *Luc.* 20. *v.* 27. item cuidam legisperito interroganti, quodnam omnium primum mandatum esset in Lege. *Matth.* 22. *v.* 35. Quaestionem ipse deinde proponit Pharisaeis, quanam ratione David Christum dominum suum vocet, qui ejus filius est. *Matth.* 22. *v.* 41. *Luc.* 20. *v.* 41. Laudat Christus viduam pauperem, duo minuta mittentem in gazophylacium templi, quae quamvis exiguum dando plus tamen omnibus aliis dederit, pecuniam copiosam jactantibus ad aerarium templi. *Luc.* 21. *v.* 1.

CAPVT XIII.

Christus Apostolis praedicit templi Jerosolymitani eversionem, pseudo-prophetarum adventum, et deceptiones, nec non adversitates, quas ipsi subituri Evangelii causa essent. Signa deinde describit, quae antecessura finem mundi sunt: jubet Christus unumquemque vigilem, atque paratum esse ad suum adventum. *Matth.* 23. *v.* 1. *Luc.* 21. *v.* 5.

CAPVT XIV.

Principes sacerdotum, et Seniores biduo ante festum Paschatis consultant de Christo occidendo. In Bethania inter coenandum mulier Christum pretioso ungvento ungit. Judas paciscitur cum sacerdotibus de Christo eis tradendo. Coenam Christus paschalem celebrat cum Apostolis. Comprehenditur in horto Gethsemani. Sacerdotes, et Seniores in concilio suo Christum pronunciant, reum esse mortis. Petrus ter illum negat. *Matth.* 26. *v.* 2. *Luc.* 22. *v.* 1. *Joan.* 18. *v.* 1.

CAPVT XV.

Sacerdotes, et concilium Judaeorum Christum tradunt Pilato, ejusque postulant damnationem ad mortem. Idem fit ab universa populi multitudine, concitata per eosdem sacerdotes. Cujus clamore, et importunitate victus Pilatus fert sententiam, et ad crucis supplicium Christum condemnat. Pendenti in cruce insultant Judaeorum seniores, et sacerdotes. Fiunt tenebrae. Jesus in cruce emittit spiritum. Joseph ab Arimathaea depositum e cruce ad sepulcrum condit. *Matth.* 27. *v.* 1. *Luc.* 23. *v.* 1. *Joan.* 18. *v.* 28. a)

a) *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.* V. 25. At vero Joannes dicit, horam fuisse quasi sextam, dum tantum adhuc Pilatus Christum ad Judaeos produxisset, et ad eorum pertinacissimam postulationem condemnavisset, cujus haec sunt verba: „Erat autem parasceve „Paschae hora quasi sexta, et dicit Judaeis: Ec-„ce Rex vester." *Joan.* 19. *v.* 14. Matthaeus pariter C. 27 v. 45. docet, tenebras esse factas ab hora sexta; Lucas C. 23. v. 44 ab hora fere sexta usque ad nonam. Id, quod factum est, ubi Christus appensus fuit ad crucem. Varias hic Interpretes iniverunt vias conciliandi Marcum cum Joanne, ceterisque Evangelistis. Omnium vero facillimam reperit Michaelisius in suis Annotat. dicendo, Marcum errasse: quippe, qui rem hanc ex Petro acceperit, et scripserit: qui vero Petrus ipse horam accurate non sciverit: siquidem non affuerit, dum Christus in crucem ageretur. Marcum enim, ut jam alibi demonstratum est, pro scriptore, divinitus inspirato, non habet: neque

mirum

mirum, qui Petrum quoque falsiloquum facere audeat in hac re Marco tradenda. Hora vero tertia inceperat hora nostra nona, et duravit usque ad nostram horam duodecimam, tumque hora coepit sexta esse, iterum complectens horas minores tres. Dum ergo hora sexta imminebat, Pilatus juxta Joannem in Christum, ad Judaeos productum, tulit sententiam, isque illico ad supplicium ductus, appensus ad crucem est eadem sexta hora inchoata: tumque tenebrae illae exortae sunt, obscurato sole. Hanc vero horam, qua Christum in crucem egerunt, Marcus dicit fuisse tertiam, videlicet jam tunc completam, dumque hora sexta nondum reipsa fuisset, utpote, quae tunc tantum adhuc fuerit inchoata. Itaque res tota posita est in horae aliter a Marco, aliter ab Joanne, ceterisque Evangelistis acceptione.

CAPVT XVI.

Mulieres, postquam sabbatum praeteriit, quod diem consecutum est, qua Christus mortuus, et sepultus est, veniunt ad monumentum, ut eum unguentis ungerent, in quo Angelum vident, qui eis indicat, in sepulcro jam Christum non esse, sed surrexisse a morte. Apparet deinde ipse Christus primum Magdalenae; deinde duobus discipulis pergentibus ad villam; postea undecim Apostolis, istisque mandatum dat eundi in universum mundum ad praedicandum Evangelium. Ascendit

in caelum. *Matth.* 28. *v.* 1. *Luc.* 24. *v.* 1. *Joan.* 20. *v.* 1. a)

a) *Novissime recumbentibus illis undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* V. 14. Ipso die, quo a morte surrexit, cum Christus Apostolis apparuisset absente Thoma, idque ei narratum deinde a ceteris esset, hoc credere ille noluit. Credidit autem, dum post octiduum iterum Christus Apostolis, Thoma etiam praesente, apparuisset. *Joan.* 20. *v.* 19, 26. Dum vero Apostoli se se Jerosolyma in Galilaeam, ut ipsis imperatum erat a Christo, contulissent, atque illic Christus in monte iis apparuisset; etiam tunc alii *videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt.* Matth. 28. *v.* 17. Hic ergo haec istis dubitantibus, num Christus vere a morte surrexerit, facta exprobratio a Christo est, cujus meminit Marcus. Siquidem res hic etiam reliqua, de missione Apostolorum in universum mundum ad praedicandum Evangelium inter se conveniat apud utrumque Evangelistam. Apparuit autem Christus Apostolis deinde adhuc in Galilaea saepius. *Act.* 1. *v.* 3. Neque ergo ista Christi apparitio, facta Apostolis, quamque novissime factam dicit Marcus juxta Latinum interpretem, fuit omnium ultima. Quod Latinus interpres dixit: *Novissime*, in Graeco est: ὕστερον: quod vero significat tantummodo etiam hoc: *Deinde, postea.*

Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. V. 15. Quod apud Matth. 28. v. 19. sic expressum est. *Euntes docete omnes gentes.* Per omnem itaque creaturam creatum omne genus hominum intelligitur.

Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemna-

bitur. V. 16. David Michaelis in Annotat. ad h. l. istud: *Qui non crediderit, condemnabitur*, docet, de iis tantum esse intelligendum incredulis, qui sibi habuissent praedicatum, et annunciatum Evangelium, huic tamen fidem adhibere noluissent; non vero de iis etiam, qui Evangelio non crediderunt: quia facultatem illius audiendi, et discendi nullam unquam habuerunt. Cum vero hinc deinde oriretur quaestio, quid igitur his alteris futurum esset, siquidem Christus eum, qui crediderit, et baptizatus fuerit, dixerit salvum futurum: neque vero isti credant, qui nequidem credere potuerint, dicente S. Paulo: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante?* Rom. 10. v. 14. eo Michaelisius devolutus est; ut assereret, istos alteros nec ad caelum, nec ad inferos ituros, sed annihilandos esse. α) Atqui Christus asseveravit eum, qui non crediderit, condemnandum esse. Etiam vero isti, quibus praedicatum Evangelium non fuit, qui nullam ejus notitiam capere potuerunt, non credunt. Christus duo haec posuit: salvum fieri, vel condemnari. Quod ergo inter haec duo Michaelisius interseruit, annihilari, quo nec salus percipiatur, nec condemnatio, de suo tantum apposuit, verbisque Evangelii affinxit, quod in illis non est. Deinde, si isti in nihilum suum in morte relabuntur; ergo nec anima hi praediti sunt immortali. Suffert ergo etiam dogma Christianae religionis de animae humanae immortalitate. Vel

---

α) Idem hoc docet, in libro: Gedanken über die Lehre der h. Schrift von Sünde, und Genugthuung. pag. 407. et in Dogmatica sua. §. 157.

quia istorum tantum animas vult interire, qui non crediderint, quia nec credere potuerint, aliis vero omnibus relinquit animas immortales; animae in aliis hominibus erunt immortales, in aliis mortales. Habebimus ergo per Michaelisium etiam duplicis generis, et naturae homines. Huc autem devenit, negando transmissionem peccati ab Adamo in omnes ejus posteros, aut si verbis fateatur, ut passim fit a Neotericis, non tamen admittit esse peccatum, quod proprie, et vere sit peccatum, cui juste ira Dei, et poena debeatur. Atque hoc est etiam, cur infideles ii quoque condemnandi sint; qui sine culpa sua non credunt, eo, quod nihil audire potuerint de Evangelio. Habent enim jam aliunde in se ex peccato Originali, ut condemnatione digni sint, utpote natura filii irae, *Eph.* 2. *v.* 3. et obnoxii damnationi, *Rom.* 5 *v.* 16. quaeque ira Dei manet super omnem, qui non per Christum liberatur: quodque nonnisi per fidem fit in eumdem Christum. *Joan.* 3. *v.* 15. Dat, et confitetur Michaelisius, eos, qui non credunt, si potuerunt credere, condemnandos esse, quodque, etiamsi ille negaret, scimus ex S. Paulo, testante eos, *qui non obediunt Evangelio, poenas daturos in interitu aeternas*, 2. Thess. 1. v. 8. Immunesne ergo ii manebunt, qui etiam pervertunt Evangelium?

Istud: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*, sic expressum ab eodem Christo est Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Ergone etiam infantes, sine baptismo ex hac vita decedentes, salvi fieri nequeunt? Trahunt hi, aeque ut omnes alii, originale peccatum ab Adamo: quod nisi haberent, veraci-

ter in remissionem peccatorum baptizari non possent, ut hoc assertum est a concilio Tridentino *Sess. 5. in decr. de Origin. pecc.* Quod si pecto obstricti tenentur, sique hoc verum est peccatum, quemadmodum fides Catholica docet, aliudne etiam consectarium esse potest, quam ut reatum habeant aeternae damnationis? Jam Pelagiani exemptos a peccato infantes esse voluerunt: et nunc iterum multi proni feruntur in idem Pelagianum dogma, causam in infantibus, propter quam damnari a Deo mererentur, justam non agnoscere volentes. *Numquid* autem *iniquus est Deus, qui infert iram?* Rom. 3. v. 5. Omnis, qui non confitetur in infantibus meritum poenae, et damnationis; idem neque agnoscit reatum peccati: quod nisi sit peccatum, neque ullus locus juste esse potest poenae, et damnationi. Tollitur itaque dogma de Originali peccato. Qui volunt Deum eo, quod bonus sit, adhuc post hanc vitam miserturum parvulorum, atque his largiturum id sine baptismo, quod est alligatum eidem baptismo, sic Deum praedicant bonum, ut non sinant veracem. Siquidem infantes, quamvis non renatos ex aqua, et Spiritu sancto, asserant intraturos in regnum caelorum, contra quam de hoc locutus sit Christus Sed et sic argutando ex bonitate Divina, licebit asserere perinde ipsorum etiam daemonum, atque omnium impiorum, ad inferos damnatorum, supplicia aliquando desitura. Quid opus multis? quando de iis, qui in solo originali peccato mortui sunt, quales sunt utique parvuli ante usum rationis, Florentinum generale concilium in *decret. Vnion.* sic, rem definiendo, pronunciavit: *Definimus — — illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* Creden-

dum est, quod Scriptura habet, quod fides Catholica docet, non argutandum.

Post verba haec: *Exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* V. 14. in quibusdam codicibus exstitit antiquitus hoc, quasi responsum Apostolorum ad hanc exprobrationem: *Et illi satisfaciebant dicentes: Seculum istud iniquitatis substantia est, quae non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem. Idcirco jam nunc revela justitiam tuam.* A Manichaeis hunc floccum esse assutum, in oculos incurrit illico, quorum ista merx fuit. Testatur S. Hieronymus *Dial.* 2. *cont. Pelagian.* integrum hocce caput a reliquo Evangelio Marci esse resectum, et repudiatum, idque ob illam, Manichaeismum aperte redolentem, laciniam. Cujus vero authentia vindicata est fide aliorum plurimorum codicum, et consensione versionum antiquarum omnium. Basis, et fundamentum praedicationis Evangelicae est Christi a morte surrectio, dicente S. Paulo: *Si autem Christus non resurrexit; inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est et fides vestra.* 1. Cor. 15. v. 14. Hanc ergo nec Marcus praetermisit praedicare in suo Evangelio. Quod vero fecisset, si Evangelium suum ante hoc caput decimum sextum abrupisset.

Nihilominus tamen etiam adhuc Michaelisio, non quidem caput hoc totum, sed tamen illius pars a V. 9. usque finem habita est dubia, atque incerta. Cur autem? narrationem Marci de mulierum adventu ad Christi sepulcrum dicit, dissonam esse a narratione de hoc aliorum Evangelistarum, et repugnantem. Quod ita non esse demonstratum est a multis aliis interpretibus, et fortasse a me etiam supra in Matthaeo. Quod si Michaelisius ista inter se componere, et conciliare

nescivit; credo, nemo adhuc hinc concludendum existimabit, ideo hoc, quod in Marco est, non debere esse authenticum.

EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM

INTRODVCTIO.

Lucas fuit Pauli discipulus, comes, et adjutor in praedicando Evangelio, cujus is 2. Cor. 8. v. 18. Coloss. 4. v. 14. 2. Timoth. 4. v. 11. et in epistola ad Philemon. cum laude meminit. Fuit natione Syrus Antiochenus. professione medicus. Duos libros scripsit, Evangelium, et Acta Apostolorum: quos ambos Theophilo inscripsit, viro cuidam illustri, quem honoris causa Optimum appellat, qui ea aetate titulus ipsis provinciarum Praesidibus tribui consveverat. *Act.* 24. *v.* 3. *C.* 26. *v.* 29. Graece, ut jam alias dictum est, scripsit, stilo inter omnes scriptores Canonicorum librorum N. T. maxime puro, et terso: quod indicat ejus nativam lingvam fuisse Graecam.

Evangelium, in ejus exordio, sic se profitetur scripsisse, quemadmodum hoc acceperit ab iis, qui initio viderunt, et ministri fuerunt sermonis, hoc est, qui fuerunt Apostoli, et oculati testes omnium, quae Christus egit. Ex quo conjicere licet, Lucam non fuisse ex iis discipulis

Christi, quos habuit, antequam in caelos ascendisset. Nam si cum illo fuisset, eumque vidisset, et docentem audivisset; multo magis hoc de se testatus fuisset. Illius Evangelio in acceptis debemus, quod Christi incunabula, et primae aetatis res descriptas habeamus: cujus nativitatem Matthaeus tantum breviter attigit: duo reliqui penitus praetermiserunt. *Vixit*, ut inquit S. Hieronymus lib. de Script. Eccl. *octoginta, et quatuor annos, uxorem non habens. Sepultus est Constantinopoli, ad quam urbem vigesimo Constantini anno ossa ejus cum reliquiis Andreae apostoli translata sunt de Achaja.*

R E S,

QVAE CONTINENTVR EVANGELIO SECVNDVM LVCAM.

Cap. 1. Gabriel angelus Zachariae sacerdoti, dum thymiama in templo offert, apparet, eique praedicit futurum, ut ex Elisabetha uxore sua filium in senectute suscipiat. Fit mutus, donec ei filius iste natus fuisset, eo, quod nuncio, sibi ab Angelo allato, credere addubitaverit. Post id mense sexto idem Gabriel angelus ad Mariam virginem, desponsatam Joseph, in civitatem Nazareth a Deo missus est, atque ei, *Ecce, inquit, concipies, et paries filium, et vocabis nomen*

ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis. Pergit Maria propere ad montana Judaeae ad suam cognatam Elisabeth: ad cujus salutationem infans exilit prae gaudio in Elisabethae utero. Elisabeth quoque non se capiens prae gaudio, Mariamque salutans, exclamavit: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui! Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Virgo Deipara cantico celebrat Dei laudes. Nascitur Joannes. Nomen Zacharias, quod infanti in circumcisione imponi voluit, dum adscripsisset, quod mutus ore exprimere non poterat, repente soluta ei lingva est, atque Spiritu S. repletus canit Dei laudes. Joannes in deserto habitat, donec tempus ei venisset prodeundi ad praedicandum, et Christi adventum annunciandum.

Cap. 2. Edicto Caesaris Augusti census fuit imperatus, et descriptio totius imperii Romani. Hac de causa Joseph quoque, et Maria Nazaretho pergunt Bethlehemum: ubi Maria Christum enititur. Pastoribus, in vicinia pascentibus gregem, apparent Angeli, natumque Christum annunciant. Pergunt festinanter ad eum videndum: quem pannis involutum in stabulo, et positum in praesepi reperiunt. Die octavo a nativitate circumciditur infantulus, et nomen Jesus ei imponitur: die vero quadragesima portatur. Jerosolymam ad templum ab Josepho, et Maria, ut juxta legem Moysis sisterent eum Domino. Simeon Dei Spiritu instinctus complectitur infantem ulnis suis, et benedicit, laudatque Deum. Anna etiam prophetis, grandaeva vidua, admodum pia femina,

omnibus in templo de illo loquebatur, qui exspectabant redemptionem Israel. Postquam omnia juxta Legem Maria, et Joseph perfecissent in templo, revertuntur in Galilaeam in civitatem Nazareth. Cum juxta morem iidem singulis annis Jerosolymam irent in die solenni Paschatis, idemque fecissent eo anno, quo Jesus duodecim annos natus erat; illis deinde redeuntibus puer Jesus mansit in Jerusalem. Post triduum invenerunt in templo sedentem in medio doctorum, audientem, et interrogantem illos.

Cap. 3. *Anno autem quinto decimo imperii Tiberii Caesaris procurante Pontio Pilato Judaeam, tetrarcha autem Galilaeae Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituraeae, et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinae tetrarcha sub principibus sacerdotum, Anna, et Caipha factum est verbum Domini super Joannem Zachariae filium in deserto, et venit in omnem regionem Jordanis praedicans baptismum poenitentiae.* Ad Joannem ipse etiam venit Christus, atque ab eo baptizatur, cum inciperet esse quasi annorum triginta. Cujus deinde genealogia texitur, sed quemadmodum etiam a Matthaeo factum est, Josephi progenitores, et majores recensendo, idque ab Josepho adscendendo usque ad Adamum primum hominem.

Cap. 4. Jesus, postquam baptizatus ab Joanne esset, secedit in desertum, ubi quadraginta dies jejunat, hisque transactis, tentatur a diabolo. *Matth.* 4. *v.* 2. Venit deinde in Galilaeam, et docet in synagogis cum magna famae celebritate. Idem cum fecisset Nazarethi, et sui populares primum suspicere, et admirari coepissent; deinde non tantum contempserunt, dicentes:

Nonne hic est filius Joseph? sed etiam e civitate sua ejecerunt, atque ex monte, in quo sita erat eorum civitas, praecipitem dare voluerunt. At Jesus per eorum medium transivit, et Capharnaum concessit. Hic in synagoga hominem a maligno spiritu liberavit: hinc ad domum Simonis Petri pergens ejus socrum a febri, qua laborabat, liberam reddidit. Afferuntur ad eum undique aegri, variisque morbis affecti, nec non daemoniaci: quibus omnibus subvenit, et manum suarum impositione opitulatus est.

Cap. 5. Ibidem Capharnai ad lacum Genesareth turbam docet e Petri navicula. Jubet deinde Petrum rete jacere: qui ingentem piscium multitudinem subito comprehendit. Petrus, ejusque socii in piscatione, Jacobus, et Joannes filii Zebedaei sequuntur Christum. *Matth.* 4. *v.* 18. Leprosum solo manus suae tactu sanat. *Matth.* 8. *v.* 4. In domo dum docet, nec propter multitudinem hominum, quae docentem audierat, aditus ad domum per portam relictus esset; quidam paralyticum per foramen, factum in tecto, una cum lecto demittunt, et constituunt ante Jesum. Cui is, *Homo*, inquit, *remittuntur tibi peccata tua.* Scribae, et Pharisaei idcirco Christum in mente, et cogitatione sua reum agunt blasphemiae. Quibus is, *Quid cogitatis*, inquit, *in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.* Exiliit homo, et cum lecto suo discessit laudans Deum. *Matth.* 9. *v.* 2. Publicanum nomine Levi, a telonio vocat, seque jubet sequi. Qui cum postea Christo, ejusque disci-

pulis convivium fecisset, in quo publicani multi una discubuerant, Christique hanc cum publicanis conversationem Pharisaei carpsissent, respondit, et docuit, non ad justos, sed ad peccatores vocandos ad poenitentiam se venisse. *Matth.* 9. *v.* 9. Iisdem responsum dat eo quoque, cur ejus discipuli non jejunia instituerent, donec ipse cum illis esset, facturos autem ipsos etiam hoc, sed postea. *Matth.* 9. *v.* 14.

Cap. 6. Dum sabbato Christus iter cum discipulis fecisset per sata, atque hi esurientes spicas carpsissent, et earum grana, manibus extrita, edissent, ipsosque propterea Pharisaei culpassent, quasi rem facerent vetitam sabbato; Christus ipsos adversus hanc Pharisaeorum incusationem defendit, et factum hoc eorum innocuum esse ostendit. *Matth.* 12. *v.* 1. Alio iterum sabbato cum in synagoga hominis cujusdam manum aridam sanasset, idque factum ob sabbatum iterum Pharisaei, et Scribae reprehendissent, et criminis arguissent; istorum pariter malignam accusationem redarguit, et refellit. *Matth.* 12. *v.* 9. Ad montem quempiam pergit cum discipulis suis: ubi cum precando pernoctasset, mane ex omni discipulorum numero duodecim deligit, quos suos facit Apostolos. Ex monte descendens, et in campestri, planioreque loco consistens, ad discipulos, et circumfusam multitudinem, quae ingens ex Judaea, et Jerusalem, maritima Tyri, et Sidonis ad eum confluxerat, sermonem facit, conversis oculis in discipulos, beatos ipsos ob paupertatem praedicans, quoniam ipsorum esset regnum caelorum. Est idem iste sermo, qui fuit Matthaei C. 5, 6, 7.

Cap. 7. Revertens Capharnaum centurionis servum paralysi affectum ad ejusdem centurionis

preces sanitati reddit, ejus etiam fide vehementer laudata. *Matth.* 8. *v.* 5. Venit in civitatem Naim: quo intraturus cum in funus incidisset, quo filius unicus cujusdam viduae ad sepulturam efferebatur; jubet matrem cessare a fletu, cumque tetigisset loculum, mortuumque adolescentem inclamasset, ut surgeret, confestim is rediit ad vitam. Cujus prodigii fama cum exiisset per universam Judaeam, et ad Joannem etiam perlata per ejus discipulos esset, mittit ex his duos interrogatum, ipsene esset ille Venturus, vel alium exspectare deberent? Quos jubet Joanni renunciare, et referre, quae audivissent, et vidissent fecisse ipsum, dum eo ipso etiam tempore, multos partim morbis affectos, partim obsessos a daemonibus incolumitati reddidisset. *Matth.* 11. *v.* 2. Joanni vero Christus testimonium coram tota multitudine, quae eum circumstabat, dedit, inter natos mulierum non surrexisse Joanne majorem prophetam. Arguit Scribas, et Pharisaeos, quod nec ad Joannis, nec suam praedicationem poenitentiam egissent, pueris eos assimilans ludentibus in foro. *Matth.* 11. *v.* 16. Apud Simonem Pharisaeum coenavit Christus. Mulier in civitate peccatrix, hoc est, famosa a peccandi licentia, inter coenandum venit, et ad Christi pedes se abjiciens, multis lacrymis deflevit errata vitae. Pharisaeus existimabat, nescire Christum, qualis haec esset, et qui si propheta esset; hanc mulierem non admisisset, nec se ab ea tangi permisisset. At Christus etiam ad id, quod Pharisaeus tantum in mente tacite volvebat, respondens, per parabolam de duobus debitoribus, quorum alter foeneratori denarios quingentos, alter quinquaginta debebat, quibusque ambobus creditor debitum condonaverit, et ex quibus is, qui plus debebat, ma-

jorem etiam causam haberet amandi eum, a quo debitum ei fuit remisssum, docuit, huic etiam mulieri, quae tanta amoris ei exhibuisset indicia, jam remissa esse peccata, adeoque, dum ab hac se tangi sivisset, non se tactum esse ab immunda.

Cap. 8. Cum iter per civitates faceret Evangelium praedicans, et hominum iterum ad eum concursus magnus factus esset; docet multitudinem hanc, sed per parabolas, Verbumque Dei assimilavit semini, quod jactum in terram, dum dispar solum nactum esset, non ubique fructum attulerit. E Galilaea navigat cum discipulis per mare Tiberiadis in regionem Gerasenorum. Eo dormiente in navicula cooritur tempestas ingens: quam excitatus e somno verbo, atque imperio suo repente sedat. Vbi egressus e navi est, hominem a legione daemonum obsessum liberat, sinendo, ut daemones in porcos, quorum ingens grex in vicino pascebatur, intrare possent: qui vero grex, a daemonibus correptus, praecipitem se dedit ad lacum. *Matth.* 8. *v.* 28. A Gerasenis rogatus, ut ex eorum finibus abscederet, redit in eam, unde venerat, partem. Vbi a turba cum exceptus esset cupidissime, venit ad eum Jairus princeps synagogae, rogans, uti ad ejus filiam veniret, sic jacentem, ut animam ageret. Dum pergit, mulier vestem solummodo illius attingens, a sangvinis fluxu, quo jam duodecim annis laboravit, liberatur. Venit nuncius ad Jairum, jam etiam mortuam esse ejus filiam. At Christus hunc bene sperare jubens, cum pervenisset in ejus domum; solis, Petro, Jacobo; et Joanne, parentibusque puellae assumptis, ceteris vero omnibus exclusis, conclave, in quo puella jacebat, intrat,

eamqe inclamans, ut surgeret, eodem momento a morte excitavit. *Matth.* 9. *v.* 18.

Cap. 9. Christus duodecim Apostolos ad praedicandum Evangelium mittit, data ipsis virtute curandi aegros, et expellendi daemonia. *Matth.* 10. *v.* 1. Vbi reversi sunt Apostoli, cum his secedit in desertum Bethsaidae. Hic turbam quinque fere millium, quae secuta eum erat, quinque panibus, et duobus piscibus ita reficit, et satiat; ut ejusdem panis reliquiis impleti duodecim cophini sint. *Matth.* 14. *v.* 15. Apostolos cum percunctatus esset, quem se esse, homines existimarent, ac deinde quid etiam ipsi de se sentirent, exquisivisset, *Respondens Simon Petrus dixit, Christum Dei.* Praecepit vero his, ne cui hoc dicerent: iisdemque demonstrat, quid passurus sit Jerosolymae, tertia vero die, ubi mortuus fuerit, ad vitam se rediturum. *Matth.* 16. *v.* 13. Octo diebus post cum Petro, Jacobo, et Joanne adscendit in quemdam montem, ibique transfiguratur coram eis. *Matth.* 17. *v.* 1. Vbi ex monte descendit, filium quidam suum attulit obsessum a daemone, postquam hunc jam ejus discipulis obtulisset, sed quibus daemon non cesserit. Hunc is expulit. *Matth.* 17. *v.* 14. Inter Apostolos aemulationem de primatu componit. *Matth.* 18. *v.* 4. Dum ultimum Christus iter fecisset Jerosolymam, et receptus ad hospitium non esset in quadam civitate Samaritanorum, et Jacobus, ejusque frater Joannes, voluissent ignem e caelo demitti ad perdendam hanc civitatem, *Nescitis*, inquit, *cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Quemdam a se rejicit, dicens, Vulpibus esse foveas, et volucribus caeli nidos: Filium autem hominis, non habere, ubi caput reclinet: alium ipse vocat, et

illam saltem moram petenti, ut prius mortuum patrem suum sepelire posset, *Sine*, inquit, *ut mortui sepeliant mortuos suos. Tu autem vade, et annuncia regnum Dei.* Alteri se tradenti in ejus disciplinam, sed petenti, ut prius redire domum posset, rebusque suis renunciare, pariter negavit, dicens, neminem manum suam mittentem ad aratrum, et respicientem, aptum esse regno Dei.

Cap. 10. Praeter duodecim Apostolos alios deligit duos, et septuaginta, quos praemitteret binos ante se in omnem civitatem, et locum, quo erat venturus. Dum hi rediissent, et retulissent cum gaudio, sibi etiam daemones subjici, *In hoc nolite*, inquit, *gaudere: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in caelis. In ipsa hora exultavit Spiritu sancto, et dixit: Confiteor tibi Pater, Domine caeli, et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Etiam Pater: quoniam sic placuit ante te. Matth. 11. v.* 25. Et vertens se ad discipulos, beatos praedicavit, qui viderent, et audirent, quae multi prophetae, et reges desideraverint videre, et audire, quin hoc assecuti sint. Ad Christum accesserat quidam legisperitus, tantumque, ut tentaret, quaerens, quid facere eum oporteret, ut vitam aeternam adipiscatur. Christus autem vicissim, *Quid*, inquit, *scriptum in Lege est? quomodo legis?* Cumque is mandatum recitasset de diligendo Deo, et proximo, Christus, *Recte*, inquit, *respondisti. Hoc fac, et vives*: ulteriusque quaerenti, quisnam ejus esset proximus, per parabolam hominis iter Jerosolyma Jerichuntem facientis, a latronibus spoliati, et vulneribus saucii, quem sacerdos, et Levita praeterierit, Samaritanus

nus vero cui subvenerit, docuit, hunc Samaritanum fuisse, qui amoris officium, quod proximo debetur, expleverit. Intrat Jesus in quoddam castellum, ubi a Martha exceptus hospitio est. Dum autem haec occupata esset in ei ministrando, nec a sorore Maria, sedente ad pedes Christi, atque eum studiose audiente, adjuvaretur, atque ideo interpellatus etiam Christus a Martha esset; *Martha, Martha*, respondit, *sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea.*

Cap. 11. Cum Christus quodam in loco Deum precatus esset, unus discipulorum rogavit, ut ipsos etiam doceret, Deum orare, sicut Joannes docuit discipulos suos. Itaque non tantum formulam precandi illis tradidit, sed docuit etiam quali studio, et perseverantia oporteret Deum obsecrare. *Matth.* 6. *v.* 13. *C.* 7. *v.* 8. Ejecerat Christus e quodam daemonium, quod erat mutum. Hoc cum apud alios admirationem excitavisset, alii virtute Beelzebub principis daemoniorum factum maligne dicebant; alii vero signum e caelo a Christo petebant. Calumniam suae cum Beelzebub collusionis refutavit Christus: neque enim hunc acturum adversus seipsum: signum vero de caelo denegavit. *Matth.* 12. *v.* 24, 39. Mulier quaepiam e turba tunc sustulit vocem, et *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti*, exclamavit. At Christus huc respondens, *Quin imo beati*, inquit, *qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Ad prandium cujusdam Pharisaei invitatus cum ivisset, isque miratus fuisset, quod ante cibum manus non lavisset; monet, et docet eumdem Pharisaeum, non in manuum, et utensilium lotione, et munditia, quem-

admodum Pharisaeis mos esset facere, sed in animi, ac mentis puritate sitam esse vitae sanctimoniam. Iisdem vae comminatur, quod inanem speciem consectantes virtutis intus in animo scaterent omnibus vitiis. *Matth.* 23. *v*. 4.

Cap. 12. Discipulos Christus doctrina, atque monitis instruit, ut sibi caverent a fermento Pharisaeorum; *Matth.* 16. *v*. 6. ne eos timerent, qui insectati ipsos fuerint, et morte affecturi sunt: siquidem corpus tantum, non animam possint perimere. Spondet se se illum confessurum in caelo coram Patre suo, qui se confessus esset coram hominibus; contra, hunc se negaturum, a quo negatus fuisset. *Et omnis*, inquit, *qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur. Matth.* 12. *v*. 32. Dum autem in Synagogas, ad magistratus, et habentes potestatem ducerentur, dicit, ne solliciti essent de eo, quod respondendum esset, nam Spiritum sanctum daturum ipsis, quid ipsos dicere oporteret. Interpellatus a quopiam, cui controversia fuit cum fratre in causa haereditatis, *Homo*, inquit, *quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Attamen utrique, *Videte*, inquit, *et cavete ab omni avaritia*, ἀπὸ τῆς πλεονεξίας, quod proprie studium, et cupiditatem habendi plus significat: *quia non in abundantia cujusdam vita ejus est ex his, quae possidet.* Id, quod deinde parabola etiam illustravit de quodam divite, qui postquam multas divitias congessisset, atque his deinde frui voluisset; insequente nocte evocatus a Deo ex vita sit, dicens, *Sic esse, qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.* Hortatusque est, ut velut vigiles servi, lumbis praecinctis cum facibus accensis in manu, se dominum suum exspectarent. Redarguit turbam, quod cum scirent

ex caeli, aerisque statu prospicere futuras tempestates; tempus tamen sui adventus in mundum non intelligerent, non adverterent.

Cap. 13. Galilaeos quosdam, dum victimas Jerosolymae immolarent, Pilatus, repente immissa militum manu, interfecerat. Cum hoc deinde quidam Christo retulissent, *Putatis*, inquit, *quod hi Galilaei prae omnibus Galilaeis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non dico vobis: sed nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Sicut illi decem, et octo, supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos, putatis, quia et ipsi debitores fuerint praeter omnes homines habitantes in Jerusalem? Non dico vobis: sed si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.* Idem declaravit similitudine ficus, quam in tertium annum non ferentem fructus is, cujus erat, voluit exscindere: distulit autem hoc facere adhuc in annum subsequentem, si circumfossa, atque fimo sibi dato, tamen fructum non reddidisset. In synagoga mulierem, jam octo, et decem annis corpore sic contractam, et inclinatam, ut erigere se se non posset, Christus dicendo: *Mulier dimissa es ab infirmitate tua*, sanitati subito reddidit. Fremebat archisynagogus, et sabbati religionem obtenderat adversus hanc benignitatem mulieri praestitam a Christo. Cui vero is, *Hypocritae*, inquit, *unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a praesepio, et ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahae, quam alligavit satanas ecce decem, et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?* Assimilabat deinde regnum caelorum grano sinapis, et fermento massae farinae immixto. *Matth.* 13. *v.* 31. Quidam Christo pro-

posuit quaestionem, paucine essent, qui adepturi salutem sint. Respondit: *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt*, insuper declarans ab Oriente, et ex omnibus mundi partibus venturos, qui cum Abraham, Isaac, et Jacob accumbant in regno caelorum, ipsis exclusis atque expulsis: ad Judaeos autem iste fuit versus sermo: futurosque novissimos, qui erant primi; et primos, qui fuere novissimi. *Matth.* 20. *v.* 26. Eodem tempore quidam e Pharisaeis Christo suaserunt, ut ex Galilaea se se subduceret, eo quod Herodes quaereret eum occidere. Quibus ille, *Ite*, inquit, *et dicite vulpi illi: Ecce ejicio daemonia, et sanitates perficio hodie, et cras, et tertia die consummor. Verum tamen oportet me hodie, et cras, et sequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem.* Eidem Jerusalem poenas deinde, et exitium comminatur, quod Prophetas, ad se a Deo missos occiderit, et quam protegere voluerit, quemadmodum gallina pullos suos sub alas congregat, quae vero contumax, Deoque refractaria fuerit. *Matth.* 23. v. 37.

Cap. 14. Apud quemdam Pharisaeum, unum e primariis, Christus coenaverat, ubi homo hydropicus erat. Pharisaei, et legis periti, una accumbentes ad mensam, intentos in Christum habebant oculos, quid facturus cum illo hydropico esset. Is ex illis quaerit, liceretne sabbato curare. Cumque illi tacuissent, hominem apprehendit, et sanum facit, ad Pharisaeosque se vertens, *Cujus*, inquit, *vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati*? Eorumdem deinde Pharisaeorum ambitionem notavit, prima, et digniora loca in conviviis appe-

tentium. Illi autem Pharisaeo, a quo illud factum est convivium, dicebat, ut pauperes potius vocaret ad sua prandia, et coenas, non divites, non amicos, non propinquos, *Et beatus eris*, inquit, *quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione Justorum.* Quidam tunc ex convivis suspirans, beatum dicebat, qui manducaturus esset panem in regno Dei. Christus parabolam subnexuit de homine patre familias, qui cum coenam instituisset magnam, multosque invitasset, hique emansissent, varias praetexentes causas, in horum deinde locum alios ex plateis collectos, et sepibus pauperes, caecos, claudos induci jusserit ad convivium, docens, eos, qui panem in regno caelorum comedent, futuros ex Gentilibus, exclusis Judaeis, qui invitati recusassent venire. Turbae, quae Christum sequebatur abeuntem ex domo Pharisaei, ubi modo erat, vel nunc, vel alio tempore (clare enim positum ab Evangelista non est) declarat, qua ratione ipsum deberent sequi; sic videlicet ei adhaerendo, ut parentes, propinquos, uxorem, filios, suam etiam propriam animam, atque vitam minoris ducerent obsequio in Christum, suamque crucem bajulantes sequerentur ipsum: nec secus posse esse ejus discipulos.

Cap. 15. Ad Christum accesserant etiam publicani, et peccatores, docentem audiendi causa. Quod istos ad se admiserit, murmurarunt Scribae, et Pharisaei. Quos ille per parabolas de ove una perdita ex centum, et postea cum gaudio reperta; de drachma pariter ex decem una amissa, et recuperata; nec non de filio prodigo, quem pater, postquam ab eo desertus fuisset, postquam haereditatem dissipasset, postquam vitam vixisset luxuriosam, ad se revertentem amantissime exceperit, atque in gratiam receperit; instruxit, illo-

rumque injustum esse murmur ostendit, docendo per has parabolas, quanta Dei benignitas esset erga peccatores poenitentiam agentes; ita ut majus gaudium sit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, non indigentibus poenitentia.

Cap. 16. Hunc cum ad Pharisaeos, et Scribas sermonem Christus habuisset, vertit se postea ad discipulos, et istos docuit istam afferendo parabolam: Fuisse quemdam villicum, qui cum diffamatus esset apud dominum suum (διεβλήθη αὐτῷ, *delatus illi*) quod ejus bona dissipasset, vidissetque, se ab officio amotum iri; debitoribus sui domini debitorum partem remiserit, syngraphis etiam novis confectis, et anterioribus substitutis, idque eum in finem, ut ubi excidisset e suo servitio, receptaculum apud istos reperiret: quemque dominus laudaverit, *Quia prudenter fecisset: quia filii hujus seculi prudentiores*, inquit, *filiis lucis in generatione sua sunt.* Itaque ipsi etiam amicos sibi facerent de mammona iniquitatis, ut cum defecissent, recipiantur in aeterna tabernacula. *Qui fidelis est*, inquit, *in minimo, et in majori fidelis est: et qui in modico iniquus est; et in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis; quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Neminem vero posse duobus dominis servire, Deo, et mammonae. Haec Christum dicentem Pharisaei, et avari deriserunt. Quibus ille, *Vos estis*, inquit, *qui justificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Lex, et Prophetae usque ad Joannem. Ex eo regnum Dei evange-*

lizatur, et omnis in illud vim facit. Ac deinde narrationem subjunxit de divite epulone, et paupere, ulcerosoque Lazaro: quorum alter mortuus cum esset, sepultus sit in inferno, alter deportatus ad sinum Abrahae.

Cap. 17. Cum sermonem deinde iterum vertisset ad discipulos, vae iis interminatur, qui scandalum, et offendiculum praeberent alteri. *Matth.* 18. *v.* 7. Dat praeceptum de admonendo eo, qui peccavit, et tribuenda venia, etiamsi quis eadem die septies lapsus in peccatum esset, dummodo sui eum peccati poeniteret. *Matth.* 18. *v.* 5. Docet, quod quemadmodum ipsi servo suo gratiam non deberent habere, si officium suum omne executus esset: ita de se ipsis etiam sentirent, et quamvis omnia erga Deum fecissent, tamen dicerent: *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Jerosolymam iter facienti per Samariam, et Galilaeam decem occurrerunt leprosi, suppliciter petentes, ut eos sanaret. Is ad sacerdotes eos misit, ut se his ostenderent. Dumque irent, mundati sunt. Horum unus, isque natione Samaritanus rediit, et in genua provolutus gratias ei egit. Ad quem Christus, *Nonne*, inquit, *decem mundati sunt, et novem ubi sunt? Non est inventus, qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Ex Christo percontati sunt Pharisaei, quando venturum esset regnum Dei. Respondit: *Non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. Et ait ad discipulos suos: Venient dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis.* Praedicit deinde suum adventum ad celebrandum judicium, huncque declarat futurum subitum, et inexspectatum hominibus, qui tum victuri sunt. *Matth.* 24. *v.* 13.

Cap. 18. Docet Christus discipulos, orandum esse Deum instanter, et perseveranter, idque per parabolam de judice, qui cum diu viduae, a qua assidue interpellabatur, jus dicere neglexisset, nec Deum timens, nec homines reverens; tamen ut se ab ejus importunitate liberaret, causam illius dijudicaverit. *Deus autem*, subjecit deinde Christus, *non faciet vindictam electorum suorum, clamantium ad se die, ac nocte, et patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Aliam deinde parabolam dixit ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur ceteros, de Pharisaeo, et publicano: qui cum ambo oratum ivissent ad templum, Pharisaeusque sua tantum bona opera jactasset coram Deo, publicanus vero pectus percutiens, et oculos non audens in caelum levare, diceret, *Deus propitius esto mihi peccatori!* attamen hunc prae illo justificatum reversum esse in domum suam. Omnem enim, qui seipsum efferret, depressum iri; contra extollendum, qui humiliter de se, ac demisse sentiret. Benedicit parvulis sibi oblatis. *Matth.* 19. *v.* 13. Quidam cum sciscitatus e Christo esset, quid se facere oporteret, ut vitam aeternam adipiscatur, isque respondisset, mandata Dei observanda esse: sin autem perfectus vellet esse, rebus suis ut venditis, et in pauperes erogatis, se sequeretur, tristis abiit. *Matth.* 19. *v.* 16. Interrogat Christum Petrus, quid praemii ipse, et ceteri, qui secuti eum sunt, percepturi essent. *Matth.* 19. *v.* 27. Caeco in vicinia urbis Jericho lumen oculorum impertit. *Matth.* 20. *v.* 29.

Cap. 19. Civitatem Jericho ingressus apud Zachaeum publicanorum principem, quique ut Christum videre posset, sycomorum conscenderat, desiderio ejus videndi, ultro hospitium capit. Cum vero murmur ideo omnium exortum esset, quod ad hominem peccatorem divertisset; docet, Filium hominis venisse ad quaerendum id, et servandum, quod perierat. Cum vero iidem hi credidissent futurum, ut protinus Christi incipiat regnum, docet per parabolam de servis, quibus dominus, peregre abiturus ad capessendum regnum, pecuniam dederat ad negotiandum, et a quibus, cum reversus esset, rationes exegerat, aliisque praemium tribuit, alios poena mulctaverat; non de hoc mundo suum esse regnum, sed omnem praesentem vitam adhuc habere laborem, et tantum in futura exspectanda esse praemia laborum. Jerosolymam asino vectus ingreditur inter festivas populi eum comitantis acclamationes, *Matth.* 21. *v.* 1. postquam casui illius illacrymasset, quem subitura per Romanos erat. E templo ejicit vendentes, et ementes, dicens: *Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

Cap. 20. In templo cum publice doceret, principes sacerdotum, scribae, et seniores, quaestionem ei moverunt, qua istud auctoritate faceret: dixit, se hoc illis dicturum, si prius ipsi huc respondissent, Joannis baptismus a Deone fuisset, vel ab hominibus: quo cum respondere noluissent, ne suo responso in utramvis partem dato, irretirentur; *Neque ego*, inquit, *dico vobis, in qua potestate hoc facio. Matth.* 21. *v.* 23. Per parabolam deinde de vinitoribus, qui ex locata sibi vinea non tantum nullum fructum ejus domino attulerunt, verum etiam ejus servos,

ipsumque filium, fructus exigendi causa missos, occiderunt, docet, Judaeos reprobatum iri a Deo, aliosque ab eo assumptum iri, a quibus colatur. *Matth.* 21. *v.* 40. Principes sacerdotum, et Scribae cum advertissent, in se hanc dictam esse parabolam, injecturi manus in Christum erant, nisi populum timuissent. Subornarunt deinde quosdam, qui quaestionem ei proponerent, liceretne censum dare Caesari, opinantes, in utramvis partem responsum dedisset, habituros ansam ejus accusandi, et perdendi. *Matth.* 22. *v.* 15. Sic responso dato, ut omnis illorum techna in irritum mitteretur, cum Sadducaei quoque Christum adgressi essent tentare, quaestionem proponendo, quam insolubilem putarent iis, qui surrecturum humanum genus a morte crederent, atque his etiam ita respondisset, ut muti fierent; *Matth.* 22. *v.* 23. Pharisaeis deinde ipse quaestionem posuit, quomodo David Christum suum filium, tamen vocet dominum suum. *Matth.* 22. *v.* 41.

Cap. 21. In templo cum vidisset offerentes munera, istaque multi largiter, et copiose dedissent; tamen his omnibus viduam pauperem Christus in magnitudine oblationis anteposuit, duo tantum aeris minuta offerentem: quod ceteri omnes ex superfluo, haec totum, quod habuit obtulisset. *Marc.* 12. *v.* 41. Cum quidam templi structuram Christo ostendissent; dicit futurum, ut in eo nec lapis super lapidem maneat. Praedicit suum adventum ad celebrandum judicium. Hortatur ad vigilantiam, ne quem imparatum in adventu suo offendat. *Matth.* 24. *v.* 1.

Cap. 22. Coenam paschalem Christus sumit cum Apostolis. *Matth.* 26. *v.* 2. Inter hos contentionem componit de primatu. *Matth.* 20. *v.* 24. Petro dicit: *Simon, Simon, ecce sata-*

nas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Eidem praedicit, se ab eo ter subsequente nocte negatum iri. Interrogat Apostolos, num aliquid ipsis defuerit, dum eos misisset sine sacculo, sine pera, et sine calceamentis. Illis respondentibus, sibi defuisse nihil, *Sed nunc,* inquit, *qui habet sacculum, tollat similiter et peram: et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quae sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est.* Finita coena cum Apostolis exit ad montem Olivarum. Positis genibus in terram orat: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me! Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Matth.* 26. *v.* 39. *Apparuit autem illi Angelus de caelo, confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.* Comprehenditur, vinctusque ad summum sacerdotem ducitur. Petrus eum negat. At postea factum suum amare deflet. Postero die mane Judaei concilium celebrant, atque Christum mortis reum esse judicant. *Matth.* 26. *v.* 47. *C.* 27. *v.* 1.

Cap. 23. Christum Judaei ad Pilatum ducunt, et urgent, ut mortis in eum ferat sententiam. Is hunc ad Herodem mittit; qui Christo illudit, eumque ad Pilatum remittit. Judaeis Christi condemnationem ad crucis supplicium pertinacissime petentibus fert Pilatus in eum sententiam. In crucem agitur, mortuusque sepelitur. *Matth.* 26. *et* 27.

Cap. 24. Prima sabbati, id est, septimanae, veniunt mulieres summo mane ad monumentum, volentes Christum ungere. Vident Angelos in sepulcro, qui docent, Christum a morte surrexisse. Eadem die Christus apparet duobus discipulis euntibus in castellum Emmaus, iterumque undecim Apostolis, ac pluribus aliis, qui una erant: his manus etiam suas, et pedes ostendit, utque tangerent, iis offert, cum territi putassent, se spiritum videre, quin assum etiam piscem, et mellis favum coram eis comedit. *Et dixit ad eos: Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, dixitque eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Jerosolyma.* Educit eos in Bethaniam, et manus super eos extendens, ipsisque benedicens adscendit in caelum. *Matth. Cap.* 28. *Marc. Cap.* 16.

EXEGESIS

EVANGELII SECVNDVM LVCAM.

CAPVT. I.

Apparuit autem illi (Zachariae) *Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi.* V. 11. Paulusius quomodo sua interpretatione adornaverit hanc Angeli apparitionem, et eam tantum Zachariae phantasma fecerit, est a me demonstratum Instit. Herm. V. T. *tom.* 1. *Cap.* 8. §. 21.

Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum, et ipse praecedet ante illum in spiritu, et virtute Eliae, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum parare Domino plebem perfectam. V. 16. Sunt verba Gabrielis angeli de Joanne ad Zachariam. *Et ipse praecedet ante illum.* Quis ille, quem praecedet Jones? Dominus Deus filiorum Israel. Nam ad hunc subsequens refertur pronomen *illum.* Christum vero Joannes praeivit, et praecurrit, illum adesse annuncians. *Joan.* 3. v. 28. Ergo Dominus Deus filiorum Israel ipse Christus est, praedicatus

ore Angeli. Praecedet autem illum in spiritu, et virtute Eliae: quod hunc eumdem in finem Joannes Christum in primo adventu praecurrerit, ut converteret corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam; in quem Elias Christum praecursurus est in ejus adventu secundo. *Mal.* 4. *v.* 5. Quorum vero patrum corda convertit in filios Joannes, et conversurus est Elias? Dicit Apostolus: „ Non omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Is„ raelitae: neque qui semen sunt Abrahae, omnes „ filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, „ non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii „ sunt promissionis, aestimantur in semine. „ *Rom.* 6. *v.* 9. Iterum: „ Cognoscite ergo, quia „ qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae. „ *Gal.* 3. *v.* 7. Ad hos etiam Abrahae filios, et posteros spectabat promissio, quae a Deo facta est Abrahae, et quos idcirco Paulus, modo citato loco, vocat promisssionis filios: id quod jam demonstratum etiam a me est Inst. Herm. V. T. *tom.* 1. *C.* 4. §. 11. Dum ergo multos filiorum Israel Joannes ad Deum convertit, ut ita ex filiis carnis fierent etiam filii Dei, et promissionis; factum est, ut Abraham, Isaac, et Jacob cor suum erga hos verterent, atque in numero filiorum suorum haberent, qui se parentibus digni, divinarumque promissionum haeredes essent. Increduli deinde dicuntur per Joannem convertendi ad prudentiam justorum. Qui increduli fuerunt, et conversi sunt; ad fidem conversi sunt. Ergo et fides est prudentia justorum, et incredulum esse, est laborare impietatis stultitia. Et revera quid tam stultum esse potest, quam non credere ea, quae a Deo revelata sunt, eo, quod captum tuum superent? Tune id, quod divinum est, vis intellectu tuo comprehendere? Deus, et omne, quod in eo est,

infinitum, atque immensum est. Idem vi infinita praeditus est, qua agit, quidquid agit. Ergo tibi arrogas id, et sumis, quod divinum, atque infinitum est. Istane vero est prudentia?

Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis. V. 31. Sunt ejusdem Gabrielis angeli verba ad Mariam virginem. Filius Altissimi idem est, qui Filius Dei. Domus Jacob eadem est, quae familia, stirps, et progenies descendens ab Jacob. Hujus familiae, quae in integrum regnum excrevit, rex factus est David: cui Deus promisit fore, ut ex ipso Christus descendat, in ejusque throno sedeat, atque hunc in sempiternum teneat. 2. *Reg.* 7. *v.* 12. *Psal.* 88. *v.* 36. *Psal.* 131. *v.* 11. Liberatio hujus Israelitici populi ex Aegypto, traductio per mare Rubrum, collocatio in terra Promissionis, omnisque illius ordinatio per legem, quam illi Deus dedit, et jam ipsius etiam formatio ex Isaaco, Abrahami secundum Dei promissionem filio, pertinebat sub illius veteris Israelis imagine ad eam domum Jacob, et eum Israeliticum populum designandum, qui per fidem sunt filii Abrahae. Ergo nec domus Jacob alia est, quam Ecclesia; nec thronus Davidis, in hac domo Jacob, quem daturum Deum Christo Angelus dixit Mariae alius; quam quod regnum Christus habet, quod est Ecclesia, adumbratum throno Davidis, sicut ipse Israeliticus populus etiam, cujus rex David fuit, typus fuit, et forma Ecclesiae. „ Jerusalem terrena, verba sunt S. Augustini *Enarrat. in Psal.* 119. umbra erat regni caelestis, et regnum terrenum umbra erat regni caelorum. „ Hinc ipsa

theocratia etiam instituta in illo veteri Israelitico populo divinitus est ad exprimendum typice regem Christum ejus Israelitici populi, quae est Ecclesia, quae in hoc mundo per fidem ambulat, ut verbis utar Pauli 2. *Cor.* 5. *v.* 7. et in statu peregrinationis est, in caelo autem adipiscetur statum perennis felicitatis, et gloriae. Si solium, et thronus Davidis non fuit typus regni Christi, quae est Ecclesia, cum Christus declaraverit, regnum suum non esse de hoc mundo; *Joan.* 18. *v.* 36. demonstrent ergo Neoterici, ubi impletum, vel implendum sit; quod Angelus dixit Mariae, Deum Christo daturum sedem David patris ejus, et regnaturum in domo Jacob in aeternum. Obmutescunt, aut si quid conantur dicere, ineptissimum est. Id quod jam etiam in Instit. Herm. V.T. *tom.I. C.*5. §. 12,13. ubi de Theocratia a me actum est, observavimus.

Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. V. 34. Haec Mariae verba: *Quoniam virum non cognosco*, tractata jam sunt ad Matth. 1. v. 24. Dum vero Angelus respondit, etsi virum non cognosceret; tamen concepturam esse, eo, quod Spiritus sanctus venturus super eam esset, cujus virtute conciperet; clarum est, Mariam expertem viri, atque illibata virginitate sua concepisse, et edidisse Christum. Iste ergo conceptus, et partus non est factus vi, et ratione naturali. Itaque juxta narrationem Evangelistae in eo debet agnosci miraculum. Neoterici vero sic interpretantur Scripturam sacram, ut miracula, ubi ubi possunt, sufferant, eo, quod testimonium dicant pro di-

vina

vina revelatione. Fuitne vero alicui eorum tantum audaciae, ut tentaret, Christi partum, sua interpretatione, naturalem facere? Talem dicebant jam Ebionitae, Cerinthiani, pluresque alii haeretici: sed iidem nec veram Evangelistarum narrationem habuerunt, et Christum esse conceptum a Maria ex commercio cum Josepho effutiverunt. At Paulusius ex Neotericis relicta integre Lucae narratione ostendit, quomodo Maria, incognito Josepho, ex Spiritu sancto tamen naturaliter conceperit, et ediderit Christum. Tantum fuit in homine ingenium, tanta ars, atque dexteritas interpretandi.

Jam primum, Angelum, qui vere Mariae apparuerit, atque nuncium hunc ei attulerit, suffert sua interpretatione. Quomodo vero etiam hoc? Dicit Mariam, piam virgunculam, valde in votis habuisse, uti ex ipsa Messias nasceretur: cumque istud in ea desiderium, quodam tempore, fuisset vehementissime accensum; tunc totum hoc esse tantum in ejus imaginatione, atque phantasia actum, quod Lucas habet de Angelo ei apparente, et cum ea sermocinante. Itaque ex tota re, quam ut vere actam refert Lucas, Paulusius facit tantum phantasma, et rem, quam Maria solummodo imaginata sit. Suum ergo figmentum, atque commentum substituit Evangelistae narrationi. Nondum vero etiam vi istius imaginationis concipere prolem potuit: quod jam sic expedit. Juvenem venisse ad Mariam, ejus captum amore, cognito illius desiderio de pariendo Messia, Angelum se se fingentem, qui ei persvaserit, fore omnino, ut pariat Messiam, non tamen aliter, quam si se ipsi ad notitiam praebuisset. Itaque Mariam, ratam esse Angelum, paruisse: cumque Angeli spiritus sint, hunc etiam dici Spiritum sanctum, quem Maria crediderit esse, ex quo conceperit.

Nec hanc Paulusius rem tantum per seipsum adstruit, verum argumentis etiam probat, et confirmat. Nam sic etiam Paulinam Sentii Saturnini uxorem esse Romae sub initium principatus Tiberii, per Isidis sacerdotes, pecunia corruptos, deceptam, ut putans Anubim esse, qui potiri ea voluerit, in Isidis templo copiam sui fecerit cuidam, qui eam deperibat, Mundus nomine, nec tentata ab eo consentire voluisset. Sic Laudicen quoque matrem Antiochi, pluresque alias feminas, quarum exempla referunt Josephus *Ant. lib.* 15. *c.* 2, 6. *lib.* 18. *c.* 4. Justinus *l.* 15. *c.* 4. cum somniassent, sibi rem fuisse cum Apolline, vel aliis diis, foetus, quos in utero gerebant, vel postea conceperunt, credidisse, ab istis se habere diis. Ita homo impudentissimus ausus est non tantum dehonestare Deiparam Virginem, sed in ipsum etiam Christum illegitimos conferre natales.

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae, et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui: sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt, Prophetarum ejus ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti: jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi. V. 68. Est hoc a Zacharia canticum post natum Joannem pronunciatum. Nondum vero tum peracta fuit per Christum, redemptio. Hanc enim habemus per sangvinem illius. *Eph.* 1. *v.* 7. Attamen jam erat inchoata, dum in utero materno tunc gestaretur Christus, qui ad hoc in mundum venit, ut nos redimeret. Ita Christus cum tantum adhuc iturus esset ad hortum, ubi comprehensus est, tamen dicebat: „Et jam non sum in mundo."

Joan. 17. *v.* 11. sic illud habens, quo ibat, quasi jam perfectum esset. Cornu vero salutis Deus erexit in domo Davidis, utpote ex qua Davidis domo, et stirpe fuit Christus, qui pariturus erat nobis salutem. Cornu salutis, sumpta metaphora a cornutis animantibus, quae in cornibus et vires suas, et venustatem habent, significat salutem, cujus firmitas, robur, et gloria futura sit summa. Hoc cornu salutis cecinit Zacharias erectum esse in domo Davidis ad salutem nobis tribuendam per Christum ex inimicis nostris, et de manu omnium, qui oderunt nos. Quinam vero intelliguntur hi inimici, et odio accensi in nos? Incidimus in peccatum, et per peccatum in mortem. *Rom.* 5. *v.* 12. Christus vero „dedit semetipsum pro nobis, „ut nos redimeret ab omni iniquitate“ *Tit.* 2. *v.* 14. et „per mortem destruxit eum, qui habe„bat mortis imperium, id est, diabolum.“ *Hebr.* 2. *v.* 14. a) Ista ergo etiam fuit captivitas, servitus, hi inimici nostri, unde liberati per Christum sumus. Et quis est Christianus, qui hoc nesciat? non hoc profiteatur? de hoc dubitet? Sic creditum est ad hoc tempus. At Neoterici aliam per Christum venientem redemptionem sua interpretandi arte detexerunt, quam cecinerit Zacharias Dei Spiritu afflatus. Asserunt illam fuisse adversitatem, illudque hostile jugum, quod tum Judaei ferebant per Romanos, istudque esse, quod depulsum iri per Christum, Spiritu prophetico cecinerit Zacharias. Non est autem hoc factum: quin potius per Romanos graviora Judaei sunt passi, et calamitatem subierunt, cui parem nunquam antea experti sunt. Hacce ergo Neotericorum interpretatione illud falsum fuisset; quod facturum

a) Vide meas etiam Instit. Herm. V. T. tom. 1. Cap. 26. §. 77.

Christum cecinit Spiritu prophetico Zacharias. Ne falsum fieret Michaelisius in Adnotat. ad h. l. opportune subvenit, dicens, tempus, quo hoc implendum sit Zachariae vaticinium, nondum venisse, sed adhuc futurum esse omnino hoc, ut Judaeis modo per universum orbem terrarum dispersis, salutem ferat Christus, illosque in libertatem assertos ad suum, quod olim habuerunt, Palaestinae regnum, reponat. In fine mundi somniavit hoc futurum, quando, postquam plenitudo gentium intraverit, omnis Israel salvus fiet. *Rom.* 11. *v.* 25. At vero Daniel 9. v. 26, 27. dicit: „Post finem belli (illius, quod a Romanis „pertulerunt) statuta desolatio — — — et us„que ad consummationem, et finem persevera„bit desolatio.„ a) — — — *Per viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto.* Viscera misericordiae significant talem commiserationis affectum, ut ob dolorem ex aliena miseria viscera moveantur. 3. Reg. 3. v. 26. *Oriens* ἀνατολὴ non est participium, sed nomen substantivum, et stellam, quae lucifer vocatur, lucemque oriente sole refulgentem significat: cui matutinae luci Christus assimilatur, qui mundo, posito in tenebris ita illuxerit, sicut tenebrae fugantur nocturnae oriente sole.

---

a) Vide jam supra citatum locum Instit. mear. Herm. V. T. tom. 1. C. 5. pag. 109, 112.

CAPVT II.

Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis. Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino, et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem. V. 1. Imperata est ab Augusto descriptio universi orbis. Romani vero universum orbem in sua ditione non habuerunt. Quia tamen suam in orbe potentiam sciebant esse maximam, atque hanc etiam extensam habebant latissime in partes omnes, qua notus erat tum orbis; orbis terrarum dominos se esse duxerunt. Natalis Christi annus incidit in annum Herodis penultimum, vel juxta quosdam in ultimum. Quintilius Varus praeses Syriae fuit eo anno, quo Herodes decessit, ut constat ex Tacito *lib.* 5. *Annal.* Ante hunc vero Sentius Saturninus fuit in eodem munere Syriae praesidis teste Josepho *lib.* 16. *Ant. c.* 13. et cujus successor Quintilius Varus praeses Syriae mansit usque ad Archelaum tetrarchia exutum, atque in Gallias missum testimonio ejusdem Josephi *lib.* 17. *Ant. c.* 13. Quo demum tempore Publius Sulpitius Quirinus, sive molliore pronunciatione Cyrinus factus Syriae praeses est. Duos census egit iste Cyrinus, anteriorem, dum Augustus, victis Homonadensibus esset in Cilicia, ut est apud Tacitum *lib.* 3. *Annal.* extraordinaria potestate, posteriorem ordinaria, jam ut Syriae praeses. Hoc est, quod Lucas descriptionem, quam memorat, primam vocet: siquidem per hunc Cyrinum facta adhuc postea sit altera. Quia vero dum Lucas scripsis-

set Evangelium, Cyrinus jam fuerit praeses Syriae; dignitatis ei nomen tribuit, quod ejus personae conveniens erat, quamvis hanc tum nondum gesserit. Deinde praesidis nomen, et appellatio consveverat iis etiam tribui, qui munere, quod ad Praesidem spectabat, fungebantur extraordinario: quemadmodum Volumnio etiam, qui Saturnino adjutor erat datus, constat ex Josepho *lib.* 16. *Ant. c.* 13. hanc praesidis appellationem esse tributam. Qualis haec fuerit descriptio, intelligitur ex Cicerone *lib.* 3. *de Legib.* „ Censo„ res, inquit, populi aevitates, soboles, famili„ as, pecuniasque censento. „ Vbi, Archelao relegato, Judaea in Romanam provinciam conversa est, census quoque pecuniarius exigebatur. Quae res turbis apud Judaeos occasionem dedit concitatore Juda Galilaeo teste Josepho *lib.* 18. *Ant. c.* 1. cum multis persvasisset, Judaeis, qui Dei populus essent, nefas esse censum, et tributum praestare extraneo Principi. Id, quod ex quaestione, Christo etiam mota, censum liceretne Caesari dare, necne, *Matth.* 22. *v.* 17. intelligitur.

Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. V. 14. Juxta Graecum presse: *Et in terra pax, in hominibus beneplacitum*, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία: de Deo autem sicut gloria, ita etiam haec pax, quae terrae, et mundo data ab eo sit, atque hoc beneplacitum, haec voluntas bene affecta erga homines praedicata est. „ Sic enim De„ us dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum „ daret, ut omnis, qui credit in eum, non per„ eat, sed habeat vitam aeternam, " *Joan.* 3. *v,* 16. et pro quo tanto beneficio Deo deberetur gloria.

Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth. V. 39. Est sermo de Christi infantis portatione ad templum quadragesimo a partu die. Quomodo hoc sit conciliandum cum ejus fuga, et portatione in Aegyptum, est jam declaratum supra ad Matth. 2. v. 13.

Et Jesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum, et homines. V. 52. Divinae naturae cum humana natura hypostatica in Christo conjunctio, quae eodem puncto temporis coepit, quo conceptus est in materno utero, gratiae, et sapientiae augmento locum in Christo non reliquit: cum natura divina, quae conjuncta est cum humana, jam nihil possit esse majus, atque amplius. Ergo tantum, quatenus Christi sapientia, et gratia, qua esset apud Deum (nam apud homines crescere potuit) cum progressu ejus in aetate, magis aperiebatur, et manifestior facta est in hominum oculis; Christus in sapientia, et gratia apud Deum profecit, et processit. „ Sapi„ entia apud Deum, et apud homines proficiebat „ (sunt verba S. Gregorii Naz. *Orat.* 20. *in laud.* „ *S. Basilii*) non ut augmentum aliquod accipe„ ret, cum ab initio gratia, sapientiaque absolu„ tus esset; sed quod haec hominibus ignaris „ paulatim apparerent.„

CAPVT III.

Anno autem quinto decimo imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Judaeam, tetrarcha autem Galilaeae Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinae tetrarcha sub principibus sacerdotum Anna, et Caipha, factum est verbum Domini super Joannem, Zachariae filium in deserto. V. 1. Non semper idem statui solet initium imperii Tiberii: sed vel a morte Augusti, vel cum biennio citius, consors imperii ejusdem Augusti factus est. *Supra ad Matth. cap.* 3. Hinc anni hi quindecim usque ad initium praedicationis Joannis numerantur etiam ab Luca. Alii vero numerant annos imperii Tiberii a morte Augusti. Quod observandum est, ut anni hi quindecim, positi a Luca, cohaereant cum verbis aliorum Scriptorum quoad annos.

Herodes, cognomento Magnus, qui innocentes infantes occidit, tres reliquit filios, Archelaum, Herodem Antipam, et Philippum. Herodes alteris tabulis testamenti sui regnum Archelao destinaverat, Galilaeam, et Peraeam Herodi Antipae, Gaulanitidem vero, Trachonitidem, et Batanaeam Philippo.. At Augustus hoc mutavit, et ejus regnum divisit in partes quatuor. Quarum unam, quae Judaeam complexa est, Archelao dedit tetrarchiae nomine; alteram, quae Galilaea fuit, Herodi Antipae; tertiam, qua Ituraea, et Trachonitis continebatur, utraque in ulteriore parte Jordanis, Philippo; quartam demum, quae

Abilene fuit in Coelesyria ad radices montis Libani, Lysaniae: idque his quoque tetrarchiarum nomine, quod significat quartam principatus partem. Lysanias non fuit e stirpe Herodis. Sed ejus pater cum privatus esset ab Antonio sua ditione, hanc Augustus filio ejus restituit. Vbi vero Archelaus, delatus Augusto ob saevitiem, quam exercuit, relegatus fuisset in Galliam; Judaea in provinciam Romanorum redacta, procuratores accepit, per quos administrabatur. Ab Josepho *lib.* 15. *et subss. Ant.* haec descripta habetur rerum in Judaea vicissitudo. — Annas, et Caiphas non simul eodem tempore erant summi sacerdotes. Nam Annas, ut est apud eundem Josephum *lib.* 15. *Ant.* factus est summus sacerdos sub Cyrino Syriae praeside: cumque annos undecim munus hoc gessisset, a Grato, Judaeae praefecturam obtinente, qui Pilatum antecessit, privatus administratione sacerdotii est, in Caiphamque translatus pontificatus, solo titulo, honoris causa, Annae remanente.

Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta. V. 23. Is annus aetatis Christi dicitur a Luca, quo Christus baptizatus est ab Joanne. Hinc vero devenitur etiam ad annum, quo Christus suae aetatis anno mortuus est. Nam dum Christus, quando baptizatus est, annum quasi tricesimum inceperit; hinc vero usque ad ejus mortem paschata quatuor intercesserint, quae ex Evangelio Joannis colliguntur, primum C. 2. v. 13. alterum C. 5. v. 1. tertium C. 6. v. 4. quartum denique C. 13. v. 1. sequitur, Christum anno aetatis suae tertio, et tricesimo mortem opetiisse. Hoc modo annus mortis Christi incidit in annum, quo Rubellius, et Fufius fuerunt Consules uterque Geminus, quo anno Christum fuisse mortuum Tertullianus *lib. cont. Judaeos C.* 8.

S. Augustinus *lib.* 18. *de Civ. Dei C.* 54. aliique veteres Scriptores, necnon Chronica, et antiqua Martyrologia perhibent. In Interpretationis meae Opere annum, quo Christus baptizatus sit, posui tricesimum aetatis completum errore. Vnde annus etiam quartus, et tricesimus prodiit, pariter errando, quo mortuus sit.

Vt putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat etc. V. 16. Genealogiae Christi, scriptae per Lucam, cum genealogia, scripta per Matthaeum, facta conciliatio est ad Matth. 1. v. 16.

Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad. V. 35. Quomodo se Cainan, positus inter Sale, et Arphaxad habeat tam in hoc Lucae loco, quam etiam apud Septvaginta *Gen.* 11. *v.* 12. demonstratum est a me Herm. Instit. V. T. *tom.* 3. *pag.* 73.

CAPVT IV.

Et traditus est illi liber Isaiae prophetae: et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem, et caecis visum, dimittere confractos in remissionem, praedicare annum Domini acceptum, et diem retributionis. — — Coepit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris. V. 17. Nazarethi in synagoga hoc actum est. Locus vero iste est ex Isa. 61. v. 1. Dum Christus asseveravit se legente hanc esse impletam scripturam, editam per Isaiam; consequens est, ut quod lectum fuit, scriptum fuerit de Christo. In prima vero persona hoc enunciatum est ab Isaia. Ergo cum hoc nihilominus de Christo sit, sequitur insuper hoc Isaiam dixisse non in sua, sed in persona Christi. Hoc modo David quoque verba illa: *Deus, Deus meus, respice in me! quare me dereliquisti?* Psal 21 v. 1. imo totum hunc Psalmum pronunciavit in persona ejusdem Christi. A Spiritu Domini se Christus dixit unctum esse. Ipse vero etiam Spiritus sanctus est, quo Christus unctus fuit. *Act.* 10. *v* 38. „ Intelligendusque est unctus „ tunc, (sunt verba S. Augustini *lib.* 15. *de Trin.* „ *c.* 26.) quando Verbum Dei caro factum est, id „ est, quando humana natura Dei Verbo est in „ utero Virginis copulata, ita ut cum illo fieret „ una persona. Ob hoc eum confitemur natum

„ de Spiritu sancto, et Virgine Maria. „ Atque hoc etiam ex verbis intelligitur Angeli ad eamdem Virginem: „ Spiritus sanctus superveniet in „ te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideo- „ que et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur „ Filius Dei. „ *Luc.* 1. *v.* 35. Incarnatio Filii Dei est opus divinae bonitatis: ideo Spiritui sancto tribuitur, ea ratione, qua quaepiam uni Personae divinae solent tribui, quamvis omnibus tribus sint communia, idque ad indicandam processionem, quae est in iisdem Personis divinis, et juxta quod amor Dei, quo misertus est humani generis, Spiritui sancto tribuitur, sicut sapientia Dei filio: quamvis et sapientia, et bonitas, et justitia, et omnia Dei attributa sint ita unius, sicut alterius personae divinae propter unitatem naturae. Neque enim ex nobis est quidpiam, quod Deum moverit ad benignitatem exercendam in nos: sed est pura, et gratuita Dei bonitas, qua misertus est. „ In hoc est charitas, non quasi „ nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior „ dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem „ pro peccatis nostris. „ 1. *Joan.* 4. *v.* 10. Dum ergo Christus se dicit unctum, ut ad evangelizandos pauperes, et contritos veniret; declaratur, cujus rei gratia Dei filius sit homo factus, et in mundum venerit: paupertatis autem, captivitatis, caecitatis, contritionis, ac confractionis nomine omnis illa miseria designatur; ad quam per peccatum incidimus, et unde per Christum liberamur. Quo annus etiam Domini acceptus, et dies retributionis pertinet ad significandam reparationem nostram, qua illud nobis reddatur per Christum; quod peccando perdidimus, sumpta phrasi ab anno jubilaeo Hebraeorum, quo et servi ad libertatem pristinam, et haereditarii fundi venditi, vel oppignorati ad eos, quorum prius

erant, redibant. *Levit.* 15. *v.* 10. Cum ergo haec beneficia Christus jam tum offerret iis, quibus Evangelium suum praedicabat, de quo vaticinatus Isaias esset; hoc vaticinium jam coeperat impleri in iis, quibus annunciatio Evangelii per Christum facta est.

CAPVT VI.

Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quae gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant aequalia. Verum tamen (πλὴν, *quin potius*) *diligite inimicos vestros, benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes: et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, et malos.* V. 34. Quomodo hoc: *Mutuum date, nihil inde sperantes* accipiendum est? sicne, ut mutuum dantes, nullum foenus, nullam usuram exigamus? vel ut illud demus, etiamsi spes non sit sortis recipiendae? hocce altero modo. Est enim hoc contrapositum ei, quod antecessit, peccatores peccatoribus foenerari, ut recipiant aequalia. Neque enim aequale est usura, verum ipsa sors. Deinde Christus non imperfectiora praecepit per suum Evangelium iis, quae habuit Lex vetus. Atqui per hanc constitutum fuit; ut pauperi suae nationis homini mutuum darent, etiam dum annus septimus remissionis instaret, qui illum a debito solvendo liberaret, ita ut impia etiam dicatur cogitatio, hanc ob causam instantis gratuitae remis-

sionis mutuum denegare, et ei, a quo mutuum peteretur, terror incutiatur, ne si mutuum non daret, is, qui hoc petiit, clamet ad Dominum, et fiat ei in peccatum. *Deut.* 15. *v.* 7. Tanto magis ergo Christus docuit, sic mutuum esse dandum absque spe sortis recuperandae. Atque hoc docuit faciendum erga ipsos etiam inimicos nostros. Namque hoc: *Mutuum date, nihil inde sperantes,* dictum erga hos est, de quibus proxime antecessit, ut hos diligeremus; deinde quod Christus dixerit, imitatione Patris caelestis esse faciendum hoc, qui super ingratos, et malos benignus est.

Hocne ergo Christus docuit, et hoc praecepit; ut mutuum demus, etiam ubi spes non est recipiendae sortis, idque erga homines ingratos nobis, et inimicos? Antecessit V. 29. *Et qui te percutit in maxillam, praebe et alteram: et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te tribue, et qui aufert, quae tua sunt, ne repetas.* Sicut ergo ista, ita illud quoque de dando mutuo sine spe sortis recipiendae, idque etiam homini inimico, est tantummodo doctrina, et institutio; qua Christus discipulos suos formabat ad Christianam perfectionem, cujus est offerre se etiam, atque ultro praebere ad damna, et injurias, atque beneficia pro malefactis reddere.

Hinc vero, quod si cum sortis dispendio Christus docuit, dandum esse mutuum, sequitur, eo minus usuram esse quaerendam ex mutuo. Quae vero abstinentia usurae non jam solius perfectionis est; sed obligat jure naturali, si id, quod ultra sortem est, exigatur praecise titulo dati mutui, non pro se causam habeat aliam. Nam „Omne „lucrum (sunt verba Benedicti XIV. *lib.* 10. *de Synod. Dioec. c.* 4) ex mutuo, praecise ratione

„mutui, uti loquuntur Theologi, hoc est, lucri „cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco „titulo remoto usurarium, atque omni jure, na- „turali scilicet, Divino, et Ecclesiastico illicitum „esse, perpetua fuit, et est Catholicae Ecclesiae „doctrina, omnium Conciliorum, Patrum, et Theo- „logorum unanimi consensione firmata.“ Extrinsecum titulum idem Benedictus ejusdem libri C. 5. vocat „Titulum ejus, quod interest.“ Ex quo intelligitur, dum publicae utilitatis causa ad promovenda commercia rerum publica potestate permissum est, capere quidpiam ex mutuo ultra sortem; jam hunc solum etiam sufficere titulum ad istud accipiendum ex mutuo ultra sortem.

CAPVT VII.

Et factum est, deinceps ibat (Jesus) *in civitatem, quae vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa. Cum autem appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae.* V. 11. In hoc etiam adolescente, quem refert Lucas defunctum, et funere elatum, Paulusius tantum valuit ingenio, ut explicare sciverit, quomodo iste defunctus, et mortuus, tamen non fuerit mortuus, nec proinde revocatus sit per Christum ad vitam, nec in hac re, quam Lucas narrat de hoc adolescente, aliquod factum sit miraculum. Jam vidimus plura exempla istius tanti ingenii. Etiam hic illud mire effulgebit. Jacebat in loculo, erat involutus linteis, etiam facies ipsius erat ligata, et involuta sudario, quemadmodum mos fuit Judaeis sepelire. *Joan* 11. *v.* 44. *C.* 19. *v.* 40. Christus, aliunde veniens, incidit in funus: qui hoc comitabantur, deplorabant adolescentem ut mortuum. Hunc tamen Christus inclamat, ut snrgat. Vidit ipse Paulusius, fuisse hoc ejusmodi, ut si successum non habuisset, suam in periculum conjicere existimationem Christus coram multitudine potuisset. Quid igitur? Dicit, Christo cogitationem esse obortam de hoc adolescente, qui fortasse tamen non sit mortuus. Itaque concepta fiducia in Deum rem attentasse, atque maxima voce juvenem inclamasse: hunc autem revera non fuisse mortuum, sed lethargo sopitum, et tantummodo pro mortuo habitum, sicque elatum. Ad hanc ergo validissimam Christi vocem adolescen-

tem

temi esse ex suo sopore excitatum. Ita demonstrat, nullum fuisse miraculum in hoc Christi facto hominis mortui suscitati ad vitam. Et unde probat Paulusius, hunc adolescentem non fuisse vere mortuum? Nam non sufficit tantum dicere, non fuisse mortuum, sed probandum etiam est, si vult efficere, ut suscitatus a morte non sit. Hoc autem nec probat, nec probare potest. Ibi enim non fuit, hunc adolescentem non vidit, ut aliqua indicia proferre posset ejus non mortui; nec testem ullum ex iis habet, qui circa illum fuerunt. At vero dicit, Christum alicunde advertisse, adolescentem non fuisse mortuum. Nempe hoc tantum etiam ipse dicit: non autem quidpiam profert, unde hoc, si fuisset, potuerit ab eo naturaliter adverti. Sed quid opus pluribus? Lucas Evangelista est, qui rem hanc refert, et cujus fide narrationis veritas nititur. At vero is testatur fuisse mortuum, dicens: *Ecce defunctus efferebatur*, et rursus: *Resedit, qui erat mortuus.* Nisi ergo fecerit Paulusius, ut vita perfunctum, et mortuum esse, non significet mortuum, aut ostenderit, id falsum esse, quod Lucas refert, semper eousque ineptum, et insulsum manebit; quod adversus veritatem istius prodigii garrit. Paulusio aliquantulo circumspectior fuit Michaelisius in Adnotat. suis ad h. l. dicens, num juvenis iste reipsa mortuus fuerit, vel tantum in profundo deliquio pro mortuo habitus sit, se non posse definire. Et cur non? dum hoc de morte istius adolescentis Evangelium testatur, nec mors secundum usum loquendi, quem is semper crepat in interpretando, sed non observat, est deliquium. Si Evangelium homini Christiano certam fidem non debet facere, qualem, credo, Michaelisius se voluit haberi, quid igitur erit, in quo Christianus suam fundet fidem? Dum videt, se non posse veritatem miraculi nega-

re, quaerit tamen ambages, ne hoc cogatur agnoscere, et confiteri.

Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset (*Jesus*) *in domo Pharisaei, attulit alabastrum ungventi, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis coepit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et ungvento ungebat.* Hujus mulieris proprium nomen expositum non est. Subsequentis capitis V. 2. memoratur inter alias feminas, Christo ministrantes de suis facultatibus „Maria Magdalene, de qua septem exierint daemonia. Maria Magdalene fuit etiam, quae cruci Christi adstitit, sepulturae ejus affuit, ad eum ungendum ivit, et in sepulcro quaesivit, cum jam a morte surrexisset, primaque illum videre meruit, postquam a morte surrexerat. *Matth.* 27. *v.* 56, 61. *C.* 28. *v.* 1. *Marc.* 15. *v.* 40, 47. *C.* 16. *v.* 1, 9. *Luc.* 24. *v.* 10. *Joan.* 19. *v.* 25. *C.* 20. *v.* 1, 18. Hanc Magdalenam esse eamdem, quae mulier peccatrix appellatur in hocce loco, quem nunc tractamus, sententia est Patrum, et interpretum plerorumque, praesertim Graecorum. Estne vero eadem haec cum Maria sorore Marthae, et Lazari? Sic ego etiam docueram in Opere meae Interpretationis secutus S. Gregorium M. *homil.* 25. *in Evangelia*, deinde, quod sit Joannis 11. v. 2. „ Erat autem quidam langvens Lazarus a Betha- „ nia de castello Mariae, et Marthae sororis ejus. „ Maria autem erat, quae unxit Dominum un- „ gvento, et extersit pedes ejus capillis suis, cu- „ jus frater Lazarus infirmabatur „ dumque istud positum esset ante eam coenam, quae subsequentis tantum capitis 12. v. 1. ab eodem Joanne refertur facta Christo in Bethania, et ubi iterum est, Christum a Maria sorore Lazari, et Marthae

unctum esse pretioso ungvento. At re perpensa melius, et considerata, censeo nunc, Magdalenam non esse eamdem Mariam cum Maria sorore Marthae, et Lazari. Illa enim in civitate dicitur fuisse peccatrix, quaeque probabilissime fuit, proprio nomine Naim, ad quam Christum ivisse antecessit hujus Cap. 7. v. 11. Maria vero soror Marthae fuit ex castello Bethaniae, atque hic etiam habitabat. Deinde, quod illius cognomentum sit Magdalenae, quod sumptum est ab loco Magdala, cujus etiam Josephus meminit in libro de Vita sua: ubicunque vero de Maria sermo fit sorore Marthae, nunquam ei cognomen Magdalenae tributum est, sed neque uspiam de ea dicitur, fusisse antea peccatricem, et famosam feminam, verum ejus potius pietas, atque summus in Christum affectus ubique laudatur. Dum vero Joannes scriberet Evangelium, utique longissime post actam illam in Bethania coenam, etsi juxta seriem narrationis historicae capite undecimo nondum haec fuisset peracta coena; tamen, ut quae haec esset Maria, intelligi apertius posset, jam hic etiam illud de ea memoratum est, quod tantum postea egit, tanquam character ad ejus distincte designandam personam.

CAPVT IX.

At ille increpans illos, praecepit, ne cui dicerent hoc. V. 21. Hoc fecisse Christum erga Apostolos, dicit Lucas, ubi Petrus confessus erat, esse Christum Dei. Tantum vero abest, ut Christus ideo, quod eum Petrus confessus sit Filium Dei, voluerit Apostolos increpare, et reprehendere; ut potius Petrum idcirco beatum praedicaverit, et praemium ei tribuerit. Hoc Latine versum: *Increpans*, est in Graeco: ἐπιτιμήσας: quod vero significat tantum etiam interdicere quidpiam alicui graviter. Christus se Messiam, et Dei filium, Deo Patri suo aequalem saepius coram Judaeis professus erat, non quidem clare, et aperte; ea tamen ratione, ut hoc adverterint, et intellexerint iidem ipsi etiam Judaei, adeo; ut illum propterea etiam lapidare voluerint. *Joan.* 10. *v.* 33. Cum ergo Christus ipse abstinuerit adhuc a manifesta praedicatione divinitatis suae, hancque distulerit ad tempus, quo post ejus mortem, et Spiritus sancti missionem jam in clara luce collocandum erat, et exponendum omnium oculis Evangelium; idem nec per Apostolos adhuc fieri voluit.

Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. V. 62. Hoc Christus ei respondit, qui vocatus ab eo, antequam eum sequeretur, domum ire volebat, ut suis rebus renunciaret. Qui arat, oculos intentos habere debet ad aratrum, ne sulci oblique ducantur, utque aratio bene fiat. Vt ergo arator oculos unice ad aratrum gerere defixos debet; sic docebat Christus, eum, qui se vellet

sequi, debere etiam omnem mentem, et cogitationem ad ea, quae Christi sunt, conferre, omniumque aliarum rerum curam infra hoc ducere.

CAPVT X.

Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in caelis. V. 20. Ad discipulos est hoc a Christo dictum. Eosdem vero etiam metu casus, qui eis contingere possit, terruerat, dicens: *Videbam satanam, sicut fulgur, de caelo cadentem.* V. 18. monendi causa, ut quod satanae accidit, tam in sublimi collocato; idem cogitarent, sibi quoque posse accidere, quamvis tanta potestate instructis in ipsos etiam daemones, qua gloriabantur. Si ergo in metu esse debebant, ne casum subirent, quem subiit satan; nec per hoc, quod nomina eorum adscripta essent in caelo, certo obtinenda salus ipsis promissa per Christum, sed tantum ejus spes data est. „ Spe salvi facti sumus „ ait S. Paulus *Rom.* 8. *v.* 24. et idem de seipso: „ Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, „ ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. „ 1. *Cor.* 9. *v.* 27.

CAPVT XI.

Factum est autem, cum haec diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti. At ille dixit: Quin imo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. V. 27. Qui verbum Dei audiverint, atque custodiverint; fuerunt et Apostoli, et alii quovis tempore innumeri in Ecclesia, suntque etiam nunc. Ergone hi omnes beatiores essent Matre Christi? Aut indene tantum haec etiam beata; quia et ipsa verbum Dei audierit, et custodierit; non inde etiam, idque singulariter, quod mater Dei effecta sit? Quod ergo mater Dei facta sit Maria, non tantum nihil singulare habebit; sed inferius etiam eo erit, quod tam multis commune est, ut Dei verbum audiant, et custodiant. At vero ipsa etiam hac de causa, quod mater Dei facta sit, sic de se praedicavit, atque magnitudinem istius rei, sibi praestitae a Deo, celebravit: „ Ecce enim ex hoc beatam me di„ cent omnes generationes, quia fecit mihi ma„ gna, qui potens est! „ *Luc.* 1. *v.* 48.

Advertendum est, quid haec mulier, quae exclamavit: *Beatus venter* etc. voluerit, et quorsum hoc dixerit. Nempe in Christi laudem hoc dixerat, cum summam ejus existimationem concepisset ex rebus, quas viderat ab eo fieri: nec aliter de matre Christi locuta est; quam quod in hanc etiam ex tali filio reflueret decus, et gloria, felixque, et fortunata esset hunc habendo filium. Quodsi ergo hoc mulieris praeconium deprimere

Christus voluisset, non haec tam maternae, quam suae propriae dignitatis, et excelsitatis depressio, atque imminutio fuisset. Quid igitur? videlicet mulier haec una ex iis erat de turba, qui Christum admirabantur, videntes prodigia, quae patrabat, illumque idcirco laudibus celebrarunt, nec tamen in illum crediderunt. Huic itaque praedicationi mulieris, qua contentus non erat, et ex qua illud magis requisiverat, ut in eum crederet, idque perseveranter, dum multi quoque essent, qui a fide in eum resilirent; *Joan.* 6. *v.* 67. illam beatitatem verbi Dei auditi, et custoditi Christus anteposuit. Sic etiam *Joan.* 6. *v.* 64. Christus de sua carne dixit: „ Spiritus est, qui „ vivificat, caro non prodest quidquam: „ sed qua ratione carnem, quam se Christus daturum dixerat ad manducandum, sumpserant Judaei, quibus loquebatur: videlicet prout carnes eduntur occisorum animalium assae, vel elixae. Nam aliter num caro Christi non prodest, cujus oblatione redempti sumus? cujus manducatio vitam tribuit aeternam? *Joan.* 6. *v.* 55. *Hebr.* 10. *v.* 10. Quemadmodum ergo in hoc: Caro non prodest quidquam, quomodo non prosit, ex adjunctis dijudicandum est; ita aeque in hoc: *Quin imo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud,* faciendum, et quo hoc pertinuerit Christi dictum, dispiciendum est.

Verumtamen quod superest, date eleemosynam: et ecce omnia munda sunt vobis. V. 41. Hoc Christus subjecit, cum prandisset apud quemdam Pharisaeum, et ab hoc temere judicatus fuisset, quod se ante prandendum non abluisset more Pharisaeorum, atque hunc se, et utensilia extrinsecus lavandi morem inanitatis arguisset, animique munditiam esse curandam docuisset. Quod vero pressius juxta Graecam sic est:

πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην: *sed quae praesto sunt, date eleemosynam*, ita ut sensus sit, darent eleemosynam ex rebus, quae ipsis essent, non autem ex solo superfluo. „Quomodo poteris, ita „esto misericors. Si multum tibi fuerit, abun„danter tribue: si exiguum tibi fuerit; etiam exi„guum libenter impertiri stude.„ *Tob.* 4. *v.* 8. Omniane vero etiam munda tribuentibus eleemosynam? Dicit S. Paulus: „Si distribuero in „cibos pauperum omnes facultates meas, chari„tatem autem non habuero, nihil mihi prodest.„ 1. *Cor.* 13. *v.* 3. Potest enim eleemosynam dare etiam is, qui caret fide, et multi tales eam dant, dederuntque: attamen sine fide impossibile est placere Deo. *Hebr.* 11. *v.* 6. Christus dum dixit, ut darent eleemosynam, ita futura omnia munda ipsis, ad charitatem erga proximum prae illa cura, et studio externae munditiae Pharisaeos hortatus est, eleemosynam speciatim ponendo pro omni genere misericordiae. Cum enim S Paulus dicat: „Qui diligit proximum, legem implevit, „et Plenitudo legis dilectio„ *Rom.* 13. *v.* 8, 10. sequitur, sic futura ipsis etiam fuisse omnia munda. Nam in his duobus, in diligendo Deo, et proximo, universa lex pendet, et Prophetae. *Matth.* 22. *v.* 40. Haec autem duo, Deum diligere, et proximum, ita inter se sunt copulata; ut mendacem eum dicat S. Joannes 1. *Ep.* 4. *v.* 20. qui se dicit Deum diligere, dum odit proximum: cumque charitas proximi, ut salutifera sit, exercenda ex amore erga Deum sit; intelligitur, in hac quoque includi amorem Dei.

Vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae: ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis. V. 52. Super cathedram Moysis sederunt Scribae, et Pharisaei, legemque Dei populo explicabant. Haec itaque explicatio

legis, et apertio fuit etiam clavis scientiae, quam tulerunt, et acceperunt legisperiti: sed qua male usi sunt, perperam exponendo legem, dum vel eam aggravarent onera imponendo hominibus, quae ferre non possent; *Matth.* 23. *v.* 4, vel ejus officia, quae gravissima essent, uti honor filiorum est erga parentes, falsa explicatione in irritum mittendo. *Matth.* 15. *v.* 6.

Cum autem haec ad illos diceret, coeperunt Pharisaei, et legisperiti graviter insistere, et os ejus opprimere de multis, insidiantes ei, et quaerentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum. V. 53. Os ejus opprimere est in Graeco: ἀποστοματίζειν αὐτὸν: quod non significat os obturare, et redigere ad conticescendum, sed pendere ab ore, et observare, quid alter loquatur. Hoc declarant subsequentia etiam Evangelistae verba: *Insidiantes ei, et quaerentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.*

CAPVT XII.

Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur? V. 49. Tertullianus *lib. 4. cont. Marcion. c.* 29. hunc persecutionum ignem esse intellexit. At S. Ambrosius *lib. 7. in Luc.* S. Augustinus *lib. cont. Admantum c.* 13. S. Athanasius *lib. de Communi essentia Patris, et Filii*, hunc ignem hocce loco interpretantur, in cujus forma Spiritus sanctus die Pentecostes venit super Apostolos. In hoc eodem sensu verba haec Christi sumuntur ab Ecclesia in Missa sabbati Pentecostes. Atque iste inde etiam comprobatur; quod de hoc igne Christus dixerit: *Et quid volo, nisi ut accendatur?* Nam persecutiones Ecclesiae permittente quidem Christo fiunt, quae secus neque fieri possent: non sunt tamen hae secundum illius voluntatem, quae nonnisi summa persequentium malitia fiunt, et perversitate. „ Quoniam non Deus volens iniquita„ tem tu es. „ *Psal.* 5. *v.* 5.

Baptismo autem habeo baptizari: et quomodo coarctor, usque dum perficiatur? V. 50. Baptismus iste effusio sangvinis, et mors cruenta Christi est. Id, quod ex illis etiam Christi verbis ad Jacobum, et Joannem planum fit: „ Potestis „ bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo, „ quo ego baptizor, baptizari? „ *Marc.* 8. *v.* 38. Coarctabatur autem Christus, usque dum hoc perficeretur. Siquidem etiam desiderio desideraverit pascha illud ultimum, in quo passus, et mortuus est. *Luc.* 22. *v.* 15.

CAPVT XIII.

Aderant autem quidam ipso in tempore nunciantes illi de Galilaeis, quorum sangvinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. V. 1. De Juda Galilaeo auctore horum Galilaeorum est facta supra mentio C. 2. v. 1. Iidem dicti sunt Herodiani. De his actum est a me in Instit. Herm. V. T. *tom. I. Cap.* 29. §. 87.

Sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos, putatis, quia et ipsi debitores fuerint praeter omnes homines, habitantes in Jerusalem? V. 4. Siloe fuit fons Jerosolymae ad ejus partem Orientalem, et ad radices montis Sion. *S. Hieronym. in Comment. in Isa. cap.* 8. Erat videlicet vulgo Judaeis persvasum, quod si cuipiam funestus aliquis casus extraordinarius accidisset, hunc ei evenisse ob aliquod meritum tale. Nam ipsi etiam Apostoli de caeco illo a nativitate apud Joan. C. 9. v. 2. ex Christo quaesiverunt, istene ipse, vel ejus parentes peccaverint, ut idcirco caecus nasceretur.

Hypocritae, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a praesepio, et ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahae, quam alligavit satanas, ecce decem, et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati? V. 15. Hoc Christus dixit, cum mulierem ob infirmitatem inclinatam in synagoga sanasset sabbato, idque sola impositione manuum, et archisynagogus propterea fremuisset. Huic vero Christus, dum eam sanaret, dixit: *Mulier dimissa es ab infirmitate tua.* Hanc tamen Christus decem et octo annis, qui-

bus laboravit infirmitate, dixit, fuisse alligatam a satana. Suntne ergo infirmitates, et naturales morbi a satana? Dum Christus dixit, hanc infirmitate laborantem feminam fuisse alligatam a satana, consequens est, ut hujus infirmitatis causa fuerit etiam satanas. Stipendium peccati etiam est ipsa mors. *Rom.* 6. *v.* 23. Vt ergo diabolo, quia hominem induxit ad peccatum, unde mors processit, tribuitur mortis imperium; *Hebr.* 2. *v.* 14. ita cum morbi quoque, et omnes miseriae, quae nobis accidunt, ex eodem fonte peccati manent; eorundem auctor, quoad hanc originis rationem, etiam perinde atque mortis, est satanas. Atque hoc est, quod etiam supra C. 10. *v.* 19. Christus dans potestatem discipulis calcandi supra serpentes, et scorpiones, atque omnia ejusmodi hominibus noxia, hanc appellaverit virtutem inimici. Nam quod animantia, quae Deus in creatione homini subjecerat, adversus hominem rebellaverint, atque infesta facta sint; causa iterum est primi hominis peccatum: ob quod omnia adversus hominem rebellaverunt, et ipsa etiam propria caro facta est effraenis adversus rationem, cum ipse homo non mansisset subjectus Deo.

CAPVT XIV.

Cum facis prandium, aut coenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et caecos. V. 12. „Fratres, amicos, et divi-„tes alterutrum convivia celebrare, non quasi sce-„lus interdicit; sed sicut cetera necessitatis huma-„nae commercia ad promerenda vitae caelestis „praemia nihil valere, ostendit.“ *Beda in h. l.* Nempe, ut quod agimus, meritum habeat apud Deum, propter Deum debet fieri: et ob alium finem si fiat, quod malum non est, manebit tamen solummodo bonum conditionis naturalis, cui praemium naturali bono sublimius, et aeternum non debetur. Est hoc tale, quale illud: „Si enim „diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem „habebitis? nonne et publicani hoc faciunt? Et si „salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius „facitis? nonne et ethnici hoc faciunt?“ *Matth.* 5. *v.* 46.

Et ait dominus servo: Exi in vias, et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. V. 23. Hoc ex illa parabola est, in qua homo quidam fecerat coenam magnam, et vocaverat multos: qui vero cum emansissent, diversas praetexentes causas, dominus, qui hoc instituit convivium, ex plateis, et vicis civitatis pauperes, debiles, caecos, et claudos introduci jusserat per servos ad convivium: cumque adhuc locus esset, idem dominus mandaverat servo, ut ex vi-

is, et sepibus, quos illic reperisset, etiam compelleret intrare.

Postquam in Regulis interpretandi Tom. I. pag. 52. haec parabola jam producta est, et declarata; non restat hic aliud, quam quid compellere etiam ad coenam significet in hac parabola, et pertineatne hoc ad quidpiam ex proposito parabolae designandum. Quando scopus jam attingitur parabolae, tametsi non sit laborandum seorsim in sensu, et significatione vocabulorum; tamen hic, quod qui ad convivium intrarunt, compulsi dicantur intrasse, non caret ad ipsum scopum parabolae pertinente significatione. Nam etiam Joan. 6. *v.* 44. Christus dixit: „Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum." Ad quae verba Christi S. Augustinus *Tract.* 26. *in Joan.* „Magna inquit, gratiae „commendatio: nemo venit nisi tractus." Fides videlicet est effectus Divinae gratiae, qua et intellectus illuminetur, et voluntas permoveatur ad agnoscendam, et suscipiendam Religionis veritatem. Qui hinc probare conati sunt, infideles esse vi etiam cogendos ad suscipiendam Religionem, sensum hujus loci, ultra quam oportebat, extenderunt. Docet S. Augustinus *lib.* 13. *de Trin. c.* 2. Fidem rem esse cordis, non corporis, et *Tract.* 26. *in Joan.* neminem posse credere nisi volentem: siquidem etiam S. Paulus dicat: „Corde creditur ad justitiam." *Rom.* 10. *v.* 10.

Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. V. 27. Hoc Matth. C. 10. v. 37. sic expressit: „Qui amat „patrem, aut matrem plus, quam me, non est „me dignus: et qui amat filium super me, non „est me dignus."

Quis enim ex vobis volens turrim aedificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum? V. 28. Idem repetitur deinde alia similitudine de rege, habente bellum cum alio rege, et recogitante prius, quam pugnae discrimen subeat, sitne par ei resistendo. Ac deinde subjicit Christus: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus,* Qui Christo nomen dat, paratus esse debet ad subeundum rerum omnium suarum dispendium, ipsius etiam vitae, si res ita ferat, et alterum cum altero retineri non possit. Hoc ergo est, quod Christus docet, unicuique recogitandum esse, dum se Christo tradit, an omnem etiam ejus disciplinam paratus sit perferre, ne postea majore suo cum detrimento resiliat. „Melius enim erat illis, non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. 2. *Petr.* 2. *v.* 21.

CAPVT. XV.

Dico vobis, quod ita gaudium erit in caelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia. V. 7. Cum re hoc assimilatum est de homine, qui habens centum oves, dum unam ex his perdit, relictis nonaginta novem ceteris, pergit ad hanc quaerendam, sique inveniat, amicos, et vicinos convocet, et invitet ad sibi gratulandum de ove inventa. Vnusne vero peccator, per poenitentiam ad Deum rediens, majore dignus est laetitia, et gratulatione, quam nonaginta novem justi, qui sic intemerate semper vixerunt, ut opus poenitentia non haberent? Numquid non pluris haberi debent tales nonaginta novem justi, quam unus peccator poenitens? et an non justitia constans, et inviolata potior esse debet, quam ejus per peccata laesae reparatio? Quod si non ita esset, expetendus etiam videretur lapsus, ut deinde surgendo majorem apud Deum ineamus gratiam. Solent videlicet ea, quae amissa sunt, si recuperentur, majus parere gaudium iis, quae amissa non fuerunt, tametsi illa istis minoris pretii sint, propter affectus mutationem ex sollicitudine, cura, et moerore in repentinum gaudium: quale non est ex rebus, quae in periculum amissionis non venerunt.

CA-

CAPVT XVI.

Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est: et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? V. 9. Haec Christus subjecit post parabolam de Villico, qui suae administrationis rationes redditurus domino suo, et male sibi conscius, debitoribus sui domini debita remisit, ut hi ipsum ad se deinde reciperent, si dimissus esset ab hero suo ex officio. Mammonas Syriaca vox est, significans divitias. Hic mammonas vocatur iniquitatis mammonas, quod divitiae sint malorum illecebrae. „Nam qui divites volunt fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli." 1. *Tim.* 6. *v.* 9. Amici, quos de mammona iniquitatis Christus dixit comparandos esse, intelliguntur pauperes, quibus benefaciendo acquiratur regnum caelorum: quemadmodum Christus etiam *Matth.* 19. *v.* 21. cuidam adolescenti dixit: „Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo." Attamen Deus est, qui praemium regni caelorum tribuit eleemosynae, non pauperes ejus sunt domini, ut hoc largiri possint. Est ergo oratio figurata, qua id, quod merito eleemosynae factum est, ut Deus praemium det, pauperibus tribuitur, quibus beneficium eleemosynae praestitum est. Quemadmodum vero villicus iste dicitur defecisse, dum ex officio suo excidis-

set; ita divites intelliguntur tunc defecturi, cum a suis opibus amovendi essent: quod futurum est per eorum mortem. *Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est*, et contra. Per minimum eaedem divitiae intelliguntur, quarum administratio sit divitibus commissa a Deo. Qui ergo in his administrandis, et dispensandis non essent fideles, hos neque fore fideles in dispensandis rebus majoribus, sibi a Deo commissis: cumque divitiae sint bonum temporale; caducum, instabile, et fluxum; eadem vero majora appellentur id, quod verum bonum est, quodque illorum sit, qui hoc possident, quod scilicet auferendum nunquam ab iis sit; sequitur, per majora intelligi bona spiritualia. Dum ergo sic ulterius itum est hic a Christo: *Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* intelligitur istud, quod docere voluerit, esse, terrenas divitias sic datas, et commissas divitibus, ut eas dispensent, non ut his tantum ad luxum suum utantur, atque in his congerendis mentem unice habeant, *Jac.* 5. *v.* 3. sed his potius per eleemosynam, et subsidia data pauperibus uterentur ad comparanda bona aeterna: et quae divitiae, si cor his affixum haberent, aditum etiam bonis spiritualibus ad cor praecludant. *Matth.* 19. *v.* 23.

Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, et bysso, et epulabatur quotidie splendide: et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus. etc. V. 19. Hanc narrationem Christus propter Pharisaeos subjunxit, qui erant avari, et docentem, loquentemque de divitiis ea, quae antecesserunt, audiverunt, et deriserunt: V. 14. ut quasi in imagine ipsis exhiberet divitum talium sortem, qualis iste epulo fuit, totus in luxu, et epu-

lis, nec ulla tactus misericordia erga pauperem, et afflictum Lazarum, et quales etiam hi Pharisaei fuerunt, quorum causa hanc narrationem Christus instituit. Haec verene gestae rei sit narratio, vel tantum parabola, jam olim Patrum, et veterum Interpretum discrepabant sententiae. Pro vera historia illud est, quod Christus pauperis in hac narratione nomen ipsum expresserit, dicens: *Erat quidam mendicus nomine Lazarus*, quod nuspiam factum a Christo in parabolis est, quae ejus quam plurimae in Evangelio sunt. Qui parabolam esse volunt, his ipsum etiam hoc nomen tantum fictum per parabolam est. Nam nomen *Lazarus*, per aphaeresin primae literae ex *Eleazar*, significare *Dei adjutorium*: itaque hoc non esse nomen proprium cujusdam hominis, qui vere exstiterit, sed parabolicum, illud exprimens, quod de hoc homine, in parabola est. At vero si parabolicum tantum nomen hoc Lazari esset, tum dicendum fuisset: Erat quidam mendicus Lazarus, vel etiam tantum sic, Erat quidam Lazarus, non autem: *Erat quidam mendicus nomine Lazarus*. Est *Luc.* 1. *v.* 5. „Fuit „in diebus Herodis, regis Judaeae sacerdos qui„dam nomine Zacharias; rursus „Vidit publica„num nomine Levi „ *Luc.* 5. *v.* 27. iterum „Ecce vir nomine Zachaeus „ *Luc.* 19. *v.* 2. et cujusmodi tam ex Luca adhuc, quam ex aliis omnibus Evangelistis exempla proferri possunt plurima, ubi iste idem modus loquendi occurrit, qui hic est de Lazaro, atque ubi semper nomen proprium vere existentis personae expressum est. Quod ergo de Lazaro ad eum modum expressum, quo id factum etiam de Zacharia, de Levi, de Zachaeo, de omnibus aliis est, de quibus sic fit sermo per Evangelistas, id, credo, eodem etiam modo esse intelligendum, et sumendum, si regu-

lam sequimur, quam ars praescribit recte intelligendi. Quod vero ad scopum attinet, qui Christo fuit, ut Pharisaeos, a quibus derisus est, terreret; sive vera historia, sive tantum parabola sit, nihil interest. Quod si vera historia est, ut ex rationibus, quas protuli, probabilius esse censeo; tamen instructa narratio impropriis, et figuratis dictionibus est. Neque enim dives, in tormentis positus, reipsa cum Abrahamo, Lazarum habente in sinu suo collocutus est: sed ejus solummodo desiderium expressum figurata oratione est, perinde ut in narratione de Jobo, quam veram esse historiam, vindicavimus Inst. Herm. V. T. *tom.* 2. *Cap.* 27. §. 133, 134. tamen etiam ejus tentatio, et facultas eum affligendi, per satanam ante thronum Dei inter Angelos se se offerentem, impropriae orationis colore expressa est.

CAPVT XVII.

Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, et transplantare in mare, et obediet vobis. V. 5. Hoc Apostoli petierunt, et Christus hoc ipsis respondit, cum oblatus ipsis fuisset puer, ut daemonem ex eo expellerent: quod cum perficere non potuissent, et causam istius pertinaciae in daemone scire ex Christo voluissent, respondit, incredulitatem ipsorum fuisse, propter quam expellere daemonem non potuerint. *Matth.* 17. *v.* 19. Rem hanc de adolescente refert Lucas C. 9. v. 38. Sed is non semper ordinem in narrando servat: saepe etiam, quae conjunctim acta, et dicta sunt, ab invicem distrahit, diversoque loco refert. Fidei assimilatio cum grano sinapis explicata est ad Matth. 17. v. 18.

Sic et vos, cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. V. 10. Hoc Christus subjecit post illud de servo, cui omnia officia sedulo exequenti, tamen dominus ejus nulla sit obligatus referenda gratia. Et numquid servus domino suo utilis non est, qui ei laborat? qui omnia sibi imperata fideliter, et diligenter exequitur? De hoc servo et in agro, et domi omnia officia perficiente, est tantum dictum a Christo, huic tamen dominum gratiam non esse habiturum: hoc est, cui pro servitio gratias agere non debeat: siquidem servus nihil praesti-

terit ultra debitum, nec proinde suum dominum debitorem suum facere potuerit. Intelligi vero debet servus, non quales nobis sunt mercede conducti, sed qui totus ad proprietatem, et possessionem dominorum pertineret, et cui nec merces deberetur. Perinde ergo Apostolos Christus instruxit, ut se crederent etiam erga Deum servos inutiles. Quid enim homo potest praestare erga Deum, quo ei velut Creatori, et Domino suo obstrictus non teneretur? dumque praeterea, quidquid obsequii Deo exhibet; hoc etiam ipsum sit munus, et donum a Deo, nec aliquod pretium etiam hominis actio erga Deum ex se habeat, sed hoc ipsum etiam sit donum per Christum. Quamvis vero non vi suae conditionis, tamen sunt meritoriae apud Deum piae actiones nostrae ex promissione gratuita Divina, idque per Christum. „ Teneamus fidelissimum debitorem, quia tene- „ mus misericordissimum promissorem. — — — „ Ergo non ei aliquid dedimus, et tenemus debi- „ torem. Vnde debitorem, quia promissor est. „ Non dicimus Deo: Domine, redde, quod acce- „ pisti; sed redde, quod promisisti. „ *S. Augustinus Enarr. 2. in Psal. 32.*

Interrogatus autem a Pharisaeis: Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum observatione, neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est. Et ait ad discipulos suos: Venient dies, quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis. V. 20. Judaei hoc regnum Dei, cujus rex Messias sit, et exspectarunt tunc, et modo exspectant. Christus a Pharisaeis interrogatus, respondit, regnum hoc Dei non venire cum observatione. Quaenam haec observatio sit, ex subsequentibus Christi verbis aperitur: *Neque dicent:*

Ecce hic, aut ecce illic. Messiae videlicet regnum tale futurum opinabantur Judaei, qualia regna, et imperia mundana sunt, Christumque eum fore regem, qui propter magnitudinem, opes, gloriam, et splendorem imperii in omnium ore, et admiratione futurus sit. Hoc ergo tale regnum negavit Christus. Non eo minus tamen affirmavit illis hoc suum regnum, quodque jam inter ipsos etiam sit: quatenus Christus regnum suum, hoc est, Ecclesiam, in eorum medio fundabat, et construebat, atque ipse inter eos Rex istius regni versabatur. Atque hoc est, quod et Joannes Christi praecursor, et ipse etiam Christus annunciaverit, regnum caelorum appropinquasse. *Matth.* 3. *v.* 2. *C.* 4. *v.* 17. Dies Filii hominis, quem discipuli ipsius desideraturi sint, nec tamen visuri, intelligitur perinde dies, splendida, et deliciis affluens, quales sibi dies fingebant Judaei in Messiae regno mundano. Ex his vero Christi verbis: *Regnum Dei intra vos*, argumentum sibi Protestantes petierunt ad probandum, Ecclesiam Christi in hoc mundo non esse conspicuam. Qui sensus itaque verborum horum non est. Deinde Ecclesia est coetus hominum, fidem, et religionem Christi profitentium. Istene vero coetus hominum talis est, ut videri non possit?

CAPVT XVIII.

Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? V. 8. Antecessit proxime, Deum cito facturum vindictam electorum suorum, et sumpturum ultionem de illorum persecutoribus. Haec itaque etiam hocce loco intelligitur fides de Christi adventu ad hanc exercendam ultionem, et vindictam. Etiam superioris capitis V. 26. Christus adventum suum ad celebrandum in fine mundi judicium declaravit perinde non creditum iri; quemadmodum factum in diebus Noe est, et Lot, iis hominibus, qui tum vivebant, non credentibus id futurum, quod instabat, donec sub Noe venisset diluvium; sub Loto ignis descendisset e caelo, omnesque perdidisset.

Dico vobis: descendit hic justificatus in domum suam ab illo. V. 14. De publicano, et Pharisaeo illo hoc est dictum a Christo, qui, ut orarent, iverant ad templum. In Graeco istud est: *κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὑτοῦ, ἢ ἐκεῖνος*: *Descendit hic justificatus in domum suam magis, quam ille*, vel, prae illo. Nec sensus est, etiam Pharisaeum descendisse justificatum, minore vero tantum justitia, quam publicanum, sed mansisse prorsus expertem justitiae. Hoc intelligitur ex eo, quod Christus, quemadmodum V. 9 est, hanc parabolam ad eos dixerit, qui in se confidebant, tanquam justi, et aspernabantur ceteros. Nam qui dicuntur tantum ipsi se pro justis habuisse; iidem intelliguntur, sententia Christi non fuisse justi. Deinde Pharisaeorum tantum fucatam fuisse justitiam, ubique

loquitur Evangelium. Est ergo hoc similiter dictum, atque illud: „Nisi abundaverit justitia ve„stra plus, quam Scribarum, et Pharisaeorum, non „intrabitis in regnum caelorum." *Matth.* 5. *v.* 20. Vbi pariter id, quod per comparationem dictum est, vim habet negationis. Quamvis enim Apostolorum abundaverit justitia plus, quam Scribarum, et Pharisaeorum; non tamen Scribae, et Pharisaei erant etiam justi. Nam si tales fuissent, intraturi erant ad regnum caelorum.

CAPVT XIX.

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, et reverti. V. 12. Haec parabola de homine nobili, qui decem servis suis singulas minas dederat negotiandi causa, donec abesset, habita est a Christo, cum quidam existimassent (V. 11.) confestim Christum suum regnum auspicaturum, idque mundanum, quale in opinione Judaeorum erat. Dumque Christus dicebat, hunc nobilem hominem abivisse ad accipiendum regnum; intelligebatur, Christi regnum non esse de hoc mundo. Nobilis homo rediit, et a servis suis rationes exegit pecuniae, quam iis commiserat ad negotiandum. Christus quoque e caelo, ubi regnat ad dexteram Dei sedens, rediturus est, et celebrabit judicium. Cives istius nobilis hominis, qui hunc regnare noluerunt supra se, atque oderant, intelliguntur Ju„daei. De quibus etiam Joannes dicit: „In pro„pria venit, et sui eum non receperunt."

Joan. 1. *v.* 11. Quod a servo pigro dictum domino in hac parabola de ejus duritia, et de injusta exactione objectum est, non pertinere ad scopum parabolae, facile perspectu est, idemque jam Tom I. pag. 53. declaratum. Haec parabola magnam habet convenientiam cum parabola de servis, quibus dominus talenta, pariter negotiationis causa, commiserat: *Matth.* 25. *v.* 14. eadem tamen cum illa non est. Illud in fine parabolae: *Omni habenti dabitur, et abundabit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo,* V. 26. jam explicatum est ad C. 13. Matthaei.

CAPUT XXII.

Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. V. 24. Res haec acta non in hac coena est, sed accidit jam prius, quemadmodum apparet ex Matth. 20. v. 25. et Marc. 10. v. 42. Lucam non servare semper ordinem, ut res referat in narrationis suae serie, quo tempore, et loco actae sunt, jam etiam supra ad Cap. 17. v. 5. observatum est.

Ait autem Dominus: Simon, Simon ecce satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. V. 31. Petrus post hanc Christi pro se precationem Christum abnegavit. Quod non fecerunt ceteri Apostoli, qui tantum metu diffugerunt. Et quamvis in corde Christo non renunciaverit; tamen ejus fidei, quae per

charitatem operatur, solaque in Christo valet, *Gal.* 5. *v.* 6. dispendium certe fecit. Non ergo Christi pro Petro precatio ad hocce tempus, ne dificeret ejus fides, spectavit. Sequeretur enim, quamvis pro illo Christus orasset, tamen infirmiorem ad Christum confitendum fuisse, quam ceteri fuerint Apostoli, pro quibus Christus non oravit. „An audebis dicere, sunt verba S. Augu„stini *lib. de Corrept. et Grat.* c 8. etiam rogan„te Christo, ne dificeret fides Petri, defecturam „fuisse?" Haec ergo Christi precatio singulariter pro Petro, ne ejus fides deficeret, alio pertinuit. Ad reliquumne vitae illius tempus? Omnes Apostoli Spiritum sanctum acceperunt die Pentecostes, ejusque virtute sic instructi, et muniti fuerunt; ut errore labi in docendo non possent, nec Petri ulla confirmatione opus habuerunt, ne Paulus quidem, quamvis ex choro primorum duodecim Apostolorum non fuerit: qui testatur sibi ab iis, qui aliquid videbantur esse, nihil collatum, atque eum, qui Petro operatus est in Apostolatum circumcisionis, et sibi operatum esse inter gentes. *Gal.* 2. *v.* 6. 8. Quid? quod Petrus iterum adhuc postea reprehensibilis fuerit, et ad veritatem Evangelii non recte ambulaverit, et cui Paulus ideo etiam in faciem restiterit: *Gal.* 2. *v.* 11. 14. quin uspiam sit, Petrum quidpiam simile egisse erga aliquem ex Apostolis, quod erga eum actum a Paulo est, et fuisse ex his aliquem, qui dignum quidpiam reprehensione admisisset.

Vbi ergo illud situm est, ne Petri fides deficeret? Omnes expetivit satanas, ut cribraret sicut triticum. Solum tamen Petrum Christus declaravit esse, pro quo oraverit, ne ejus fides deficeret: et cui cum robur precatione sua, et firmitatem in fide obtinuisset, mandat, ut et ipse aliquando confirmet fratres suos. Etiam *Matth.* 16.

v. 18. Petrum Christus posuit petram supra quam aedificavit Ecclesiam suam, et dixit, portas inferi non praevalituras adversus eam. Nec quod aedificatur, dat ei firmitatem, super quod aedificatur: sed quod aedificatur, non erit firmum; nisi firmum fuerit illud, et inconcussum, cui, velut fundamento, insistit. Eidem soli Petro generaliter oves suas pascendas dedit Christus. *Joan.* 21. *v.* 17.

Manetne ergo obscurum, quae ista Petri fides sit, non defectura, ad confirmandos fratres, pro qua oravit Christus? „Oportet, ait S. Bernardus „*Epist.* 50. *ad Innocent. II. de Abaelardi erro-* „*ribus*, ad vestrum referri Apostolatum pericu- „la quaeque, et scandala emergentia in regno „Dei, ea praesertim, quae de fide contingunt. „Dignum namque arbitror, ibi resarciri damna fi- „dei, ubi non possit fides sentire defectum. Haec „quippe hujus praerogativa Sedis. Cui enim al- „teri aliquando dictum est: *Ego pro te rogavi*, „*Petre, ut non deficiat fides tua?* Ergo, quod „sequitur, a Petri successore exigitur: *Et tu ali-* „*quando conversus confirma fratres tuos.*" Hanc fidei firmitatem in cathedra Petri confessi sunt etiam Patres, „Omnibus quippe modis in „eo stabilita fides est, qui caeli claves accepit" sunt verba S. Epiphanii in *Ancorato*; S. Gregorius Nyss. *serm.* 2. *qui de S. Stephano est*, sic pariter loquitur de S. Petro: „In quo, inquit, „Dei Ecclesia solidatur: qui juxta praerogativam, „sibi a Domino concessam, firma, et solidissima „petra est, super quam Salvator Ecclesiam aedi- „ficavit, cujus fides firma est, et totius simul „Ecclesiae firmamentum." Itaque quod decisum de fide per Romanum Pontificem esset, quale sit habitum jam antiquitus, ex S. Augustino *Serm.* 132. percipi potest. „Jam, inquit, de hac cau-

sa (Pelagii haec causa fuit) „duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam. Inde rescripta „venerunt. Causa finita est. Vtinam aliquando „finiatur error!“ Qui sensit, causam esse finitam, postquam judicium duorum conciliorum (Carthaginense horum unum fuit, alterum Milevitanum) per Apostolicam Sedem fuit confirmatum, crediditne firmum esse, atque certum, quod confirmatum fuit per Romanum Pontificem? Quod credit, et profitetur generale Ecclesiae concilium; nemo Catholicus dubitat, esse fidem, et professionem universae Ecclesiae. Jam vero Concilium Constantinopolitanum VIII. oecumenicum *act.* 1. pronunciat „Esse sequestratos, qui non sunt „consentientes Sedi Apostolicae: quod in ea in„tegra, et vera sit Christianae Religionis solidi„tas.“ Illud: *Et tu conversus*, in Graeco est, ἐπιϛρέψας. Quod verbum ἐπιϛρὲφω, non significat semper conversionem, quae fit per poenitentiam, sed etiam, mentem, et animum aliquo advertere, attentum facere. Sensus ergo hocce loco est, ut et Petrus, pro quo Christus oraverit, ne ejus deficeret fides aliquando, (ποτὲ, *quondam, posthac*) confirmet eadem in fide etiam ipse fratres suos.

Sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter et peram: et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quae sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est. V. 36. Sacculus, παλάντιον significat marsupium, sacculum numarium: pera ex Graeco πάω, *pasco,* derivatum est saccus viaticus, quo cibaria imponuntur. Sensus itaque est, ut quisque non tan-

tum pecuniam suam, sed etiam cibaria sua, quae habet in pera, impenderet ad emendum gladium: sique ista non sufficerent, ipsam etiam tunicam suam venderet, atque sic compararet sibi gladium. In quem vero finem hic gladius? Indicare voluit Christus eam, quae ei instabat vis, et aggressio: ad quem comprehendendum ventura erat cohors militum, atque turba servorum armata gladiis, et fustibus. Ergone Christus voluit armari Apostolos ad se defendendum? „Vt fidem illis faceret, „se tradendum fore; ideo dixit illis: Emat gla„dium, non ut armarentur, " sunt verba S. Chrysostomi *homil.* 84. *in Matth.* Illi responderunt: *Ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est.* Hoc iterum non sic dictum est a Christo; quasi se his duobus gladiis contentum esse ostendisset pro sui defensione, qui deinde Petrum, recondere gladium jussit, dum hunc exeruisset, Malchoque auriculam amputasset. Hoc: *satis est*, in Graeco est: ἱκανόν ἐςι, et significat quidpiam, quod aptum, atque idoneum ad finem est. Noluit Christus defendi, qui se adversariis ultro tradidit. Cum ergo hoc de gladiis comparandis Apostoli non recte intellexissent, duosque Christo gladios ostendissent; ille hos sufficere dixit ad eam, quam fieri vellet, hoc est, nullam sui defensionem. Quid enim duo gladii fuissent adversus militum cohortem, et servorum turbam armatam, quae ad Christum comprehendendum ventura erat?

Apparuit autem illi Angelus de caelo, confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat: et factus est sudor ejus, sicut guttae sangvinis decurrentis in terram. V. 43. Agonia Graeca vox est, significans anxietatem ex imminente certamine. Prolixius orabat, in Graeco est, ἐκτενέςερϐ, *intensius*, vehementius. Euthymius,

et Theophylactus non sudorem sangvineum, sed cujus sudoris ordinarii guttae tantum guttis sangvinis similes in magnitudine fuerint, intelligendum esse putaverunt: quasi inter guttas diversorum liquorum differentia quoad magnitudinem esset. De vero autem sudore sangvineo hunc Christi sudorem intellexerunt S. Augustinus *lib.* 3. *de Consens. Evangel. c.* 4. S. Hieronymus *lib.* 2. *adv. Pelagian.* S. Justinus *in dial. cum Tryphone*, S. Irenaeus *lib.* 3. *adv. haer. c.* 32. S. Hilarius *in libr. de Trinit.* et S. Chrysostomus *homil.* 64. *in Matth.* In magna, et vehementi anxietate, dum pori laxantur, alios etiam homines sudasse sangvinem, sunt complura exempla, quae in Commentario suo profert etiam Calmetus. Atque haec talis anxietas, quam Christus in se admisit, eo magis ostendit, et vere passum esse, nihilque sibi deminuere voluisse, quod sensisset ex similibus tormentis alter homo; et exhibet, quam intensum fuerit, quod jam sola etiam cogitatione praeceperat ex sibi imminentibus tormentis, et cruciatibus, quos perferre pro nobis dignatus est.

Hic locus de Christi sudore sangvineo, ejusque confirmatione per Angelum, quemadmodum et illud Lucae C. 19. v. 41. ubi est, Christum flevisse, videntem Jerosolymam, dolore illius casus, quem subitura erat, in multis codicibus deerat aetate S. Hilarii, et Hieronymi. S. Epiphanius *in Ancorato* docet, hoc factum esse per quosdam timidiores Catholicos propter Arianos, ne per eos hinc sumpto argumento contra divinitatem Christi incommoditatem paterentur.

CAPVT XXIV.

Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus. V. 13. Christus se se his in via associavit, quin eum agnoverint, seque miscuit eorum sermoni, quem habebant inter se de Christi occisione, atque ejus apparitione, postquam a morte surrexerat, vulgata per mulieres, quibus apparuerat: sicque sermocinando cum ipsis, et loca ex Moyse, et Prophetis, quae de eo erant, his explanando, pervenerat una cum ipsis ad Emmaus. Hic deinde juxta nostram Latinam versionem est, Christum se finxisse longius ire. V. 28. Quod vero in Graeco est: προσεποιεῖτο., : quod presse significat, *Facere secundum aliquid*, et sumitur in ea significatione, quam habet Latina dictio, prae se ferre, profiteri quidpiam: quia vero hoc non semper solet sincere fieri, et ex animo; idcirco Graecum usurpari solet etiam pro simulare, et fingere. Dum ergo perventum esset ad Emmaus, ubi pernoctare statuerunt discipuli; Christus prae se ferebat iter, quod longius adhuc ea die vellet perficere. Id quod omnino etiam reipsa in mente sua, atque voluntate habuit. Neque enim etiam ibi cum ipsis mansit: sed ubi intrasset, et cum iisdem discipulis recubuisset, panemque accepisset, benedixisset, fregisset, ipsisque porrexisset, eorumque oculi fuissent aperti, et eum agnovissent, evanuit ex eorum oculis.

Et

Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. V. 46. Juxta Graecum : ἀρξάμενον, *incipientem :* quod participium refertur ad antecedens, κηρυχθῆναι, *praedicare*, ita ut sensus sit, oportere praedicari, quodque praedicari, sive quae praedicatio incipiat ab Jerosolyma.

EVANGELIVM

SECVNDVM JOANNEM

INTRODVCTIO.

Joannes, qui hoc scripsit Evangelium, fuit Apostolus, frater Jacobi, cognomento Majoris, filius Zebedaei, patria Galilaeus. Ephesi hoc perfecit post suum ex Patmo insula reditum Domitiano sublato, ejusque actis per senatum rescissis, a quo fuisse relegatum Tertullianus perhibet *de Praescript Cap.* 36. et S. Hieronymus *lib.* 1. *adv. Jovinian. Cap.* 14. Annus is fuit Nervae imperii primus, sextus, et nonagesimus Aerae Christianae juxta Eusebium *lib.* 3. *Hist. Eccl. c.* 18. et S. Hieronymum *de Script. Eccl.* cumque jam nonagenario major esset, ut est apud S. Epiphanium *haer.* 51. a) Hoc iisdem his auctoribu- fecisse perhibetur rogatu Episcoporum Asiae propter serpentem tum Ebionis, et Cerinthi errorem, quo Christo divinitas negabatur, et purus

a) Idem haer. 50. dicit, Joannem sub Claudio, qui ab a. 41. usque a. 54. imperavit, et prophetasse in Patmo, et inde rediisse. Tertulliani vero, qui multo vicinior fuit, certius est, quod S. Hieronymus etiam secutus est, habendum testimonium.

homo, moreque aliorum hominum ex Joseph, et Maria natus asserebatur. Hoc est, quod prae ceteris Evangelistis Christi divinitatem apertius praedicet in suo Evangelio. Sed et de Spiritus sancti persona, et divinitate, de processionibus divinis, totaque Sanctissima Trinitate ita scribit, quemadmodum nullus alter ex Evangelistis. Mortuum a. 100. Ae. Vulg. tradit Eusebius, et Hieronymus. Praeter Evangelium habet epistolas tres, et Apocalypsim, de quibus adhuc suo loco dicetur.

R E S,

QVAE CONTINENTVR EVANGELIO SECVNDVM JOANNEM.

Cap. 1. Verbum Deus, per quod facta sunt omnia. Idem Verbum vita, et lux. Joannis de eo testimonium. Andreas, et quidam alter, ambo discipuli Joannis, veniunt ad Jesum: ad hunc Andreas Simonem etiam fratrem suum adducit. Philippum vocat ipse Jesus, qui ipse quoque Nathanaelem adducit.

Cap. 2. Jesus in Cana Galilaeae invitatus pergit ad nuptias cum matre sua, et discipulis, ubi aquam in vinum convertit. Jerosolymae eos, qui boves, oves, et columbas vendebant, expellit e templo.

Cap. 3. Christi cum Nicodemo colloquium. Christus per suos discipulos baptizat. Ad hanc per Christi discipulos baptizationem majorem fieri hominum confluxum, quam ad Joannem, non bono animo ferunt Joannis discipuli. Se vero propterea gaudere, his declarat Joannes. Demonstrat, quis ipse, quis ille sit.

Cap. 4. Ad fontem civitatis Sichar Christi sermo cum muliere Samaritana. In civitate Capharnaum cujusdam reguli filium Christus sanat.

Cap. 5. Jerosolymae hominem infirmitate affectum ab annis octo et triginta, jacentem ad Probaticam piscinam jubet grabatum, in quo jacebat, auferre, et incedere. Erat sabbatum eo die. Quod cum ille subito liber ab infirmitate fecisset, Judaei in Christum insurgunt, tanquam violatorem sabbati. Factum vero suum defendit Christns, suum in ipsum etiam sabbatum jus, et auctoritatem sibi vindicans.

Cap. 6. Pergit Christus trans mare Tiberiadis, ubi in deserto turbam hominum quinque millium quinque panibus, et duobus piscibus explet, et satiat. *Matth.* 14. *v.* 13. *Marc.* 6. *v.* 32. *Luc.* 9. *v.* 10. Ad montem secedit, cum cognitum habuisset, paratam esse eamdem turbam ad se faciendum regem. Ad discipulos navigantes in mari, et vento jactatos venit super mare incedens. *Matth.* 14. *v.* 22. *Marc.* 6. *v.* 46. Redit Capharnaum. Eodem ipsum sequitur eadem turba hominum. Huic asseverat, venisse eam tantum ideo, ut iterum saturetur. Monet, ut cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quaererent, seque ipsum declarat, esse panem vivum, qui e caelo descenderit, et quem nisi manducaverint, vitam non sint habituri aeternam, atque

panem, quem ipse daturus sit, esse suam carnem pro mundi vita. Offenduntur hoc ejus sermone Judaei, et adversum hoc murmurant: etiam ideo a multis deseritur, qui ejus fuerunt discipuli.

Cap. 7. Ad scenopegiae festum Christus venit Jerosolymam. Docet in templo. Mirantur Judaei, quomodo literas sciret, quas nunquam didicerit. Dicunt, obsessum esse a daemone. Judaeorum principes, et Pharisaei mittunt manum ad eum comprehendendum. At is libere docet, nec ulla ei vis ab his, qui missi sunt, infertur.

Cap. 8. In montem Oliveti secedit Christus, et alterius diei mane iterum venit in templum. Scribae, et Pharisaei mulierem deprehensam in adulterio ad eum adducunt, Dicunt, Moysem mandasse, ut ejusmodi mulier lapidetur: quid igitur ipse censeret, occasionem quaerentes illius opprimendi. Docet iterum in templo, seque a Patre missum praedicat ad lumen praebendum mundo, et vitam iis tribuendam, qui in eum crederent. Iterum a daemone obsessum dicunt Judaei; quod vitae perpetuitatem promitteret sibi credentibus, quam neque Abraham habuerit. Asseverat Christus Abrahamum exultasse, ut videret ejus diem, seque esse, antequam fuerit Abraham. Judaei idcirco Christum volunt lapidare. Abit e templo.

Cap. 9. Caeco a nativitate Christus lumen oculorum impertit. Istud quia praestiterit sabbato, lutum ejus oculis apponens, factum e saliva sua, et terra, iterum commoventur Judaei. Christus hos de caecitate arguit. Negant, se caecos esse. Eo magis ipsos esse in peccato, declarat, quod propria etiam confessione, praediti visu ad eum agnoscendum, tamen in eum non crederent.

Cap. 10. Sermonem cum Scribis, et Pharisaeis, superiore capite coeptum, Christus continuat, atque ipsos falsos doctores, et malos pastores arguit esse, furibus, atque latronibus similes, quorum tantum diripere gregem sit, et oves mactare. Ex characteribus deinde boni pastoris demonstrat, se unum tantum esse pastorem bonum, qui ovibus vitam tribuat, ceteros vero omnes fures esse, et latrones. Docet, sibi alias etiam esse oves praeter eas, quae essent ex Judaeorum ovili, quasque eum oporteret adducere, ut unum fiat ovile, unusque pastor. Quod se, et Patrem unum esse dixerit, lapidare rursus Christum volunt Judaei. Ex Judaea secedit in regionem ultra Jordanem sitam. Confluunt ad eum multi, multique in eum credunt.

Cap. 11. Redit in Judaeam, et in Bethaniam venit, quod Marthae, et Mariae erat castellum: ibi Lazarum, earum fratrem, a morte excitat. Ex Judaeis, quorum magnus numerus spectaculo aderat, alii credunt; alii rem ad Pharisaeos deferunt. Pontifices Judaeorum, et Pharisaei concilium celebrant, in quo decernunt, Christum debere interfici, ne si ulterius populus pergat in eum credere, a Romanis opprimantur. Jesus cum discipulis suis in civitatem Ephrem secedit.

Cap. 12. Sexto die ante pascha rursus venit in Bethaniam: ubi in coena Martha ei ministrat, Maria illius soror pretioso ungvento eum ungit. Hinc Jerosolymam pergit, et urbem asino vectus inter laetas populi acclamationes, ramosque palmarum qui ei praeferebantur, intrat. Gentiles ad eum veniunt, ejus videndi desiderio. Christus dicit, venisse jam tempus, ut clarescat, seque, ubi in altum sublatus fuerit, ad se tracturum omnia. Ju-

daeis declarat, se jam modico tantum tempore apud eos futurum: hortatur, ut donec lucem haberent, crederent, ne tenebrae eos comprehendant.

Cap. 13. Pridie paschatis coenam cum Apostolis paschalem sumit, iisdem pedes lavat, docet, se se ipsis per hoc exemplum dedisse ad idem aliis faciendum. Mandatum inculcat de diligendis se invicem. Petro animam suam offerenti pro Christo, praedicit Christus timiditatem, qua eum proxima nocte ter abnegaturus sit.

Cap. 14. Hoc, et sequentibus duobus capitibus sermo Christi refertur, habitus post coenam ad Apostolos. Demonstravit, abiturum se, ut locum ipsis paret, venturumque deinde, ut eo, ubi ipse erit, illos quoque assumat. Promittit alium se se illis Paraclitum a Patre missurum, qui cum ipsis maneat in aeternum, ipsosque doceat omnia.

Cap. 15. Viti seipsum, et discipulos suos palmitibus ejusdem vitis assimilat. Mandatum de mutua dilectione inculcat. Confirmat eorum animos ad adversa ferenda. Cum Spiritus sanctus, qui a Patre procedit, quemque ipse missurus sit, venerit; docet, ab hoc sibi testimonium perhibendum esse: sed et ipsos Apostolos quoque sibi testes futuros.

Cap. 16. Tristes Apostolos ob ejus abitum solatur, et erigit. Quippe expedire, ut abeat: nisi enim abiverit, Spiritum Paraclitum non venturum ad eos. Qui ubi venerit, per hunc arguendum esse mundum de peccato, de justitia, et de judicio. Breve hoc docet esse, quo visuri eum non sint, at deinde gaudium ex ejus visione percepturos perenne, et interminatum.

Cap. 17. Hoc sermone habito Christus precatus est Patrem eodem in loco, ubi coenatum fuit, et coram Apostolis, sublevatis in caelum oculis, dicens, *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te!* Orat etiam eumdem Patrem suum pro iis, quos ei dedit, et qui in eum crediderunt, nec tantum pro his, sed etiam, qui per eorum verbum credituri sunt, ut eos servet, atque ut unum sint, Sicut, inquit, et nos unum sumus.

Cap. 18. Post hanc precationem exit ad hortum trans torrentem Cedron: ibi comprehenditur, et vinctus ad Annam primum, deinde ad Caipham principes sacerdotum ducitur, hinc ad Pilatum.

Cap. 19. Christus flagellatur, spinis coronatur, demum, Judaeis non cessantibus postulare ejus mortem, Pilatus in eum fert sententiam, et in crucem agitur. Moritur, et mortuo latus lancea transfigitur, ad sepulcrum conditur.

Cap. 20. Maria Magdalena prima die sabbati, id est, septimanae, summo mane pergens ad sepulcrum, istudque vacuum reperiens, currit ad Apostolos, nunciumque fert de sublato, ut putabat, e sepulcro Domino. Currunt Petrus, et Joannes ad monumentum videndi causa, num se res ita haberet. Eidem Magdalenae ad monumentum ploranti Christus se conspicuum dat. Eadem adhuc die apparet Apostolis, et insufflando, Spiritum sanctum iis dat ad remittenda peccata. Iisdem post octiduum iterum apparet, cum Thomas, qui prius aberat, etiam adesset: et quem Christum a morte surrexisse, prius, testantibus ceteris Apostolis, noluit credere, hunc Dominum, et Deum suum confitetur.

Cap. 21. Iterum ad mare Tiberiadis Christus Apostolis, dum piscarentur, se videndum praebet, et cum iis prandet. Ter deinde quaerit ex Petro, num plus ceteris ipsum diligeret, eique suum pariter ter testanti amorem, mandat iterum trinis vicibus, ut ejus pascat oves. Eidem Petro, praedicit Christus, quam mortem obiturus sit ad honorandum Deum.

EXEGESIS JOANNIS.

CAPVT I.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. V. 1. Hoc Verbum deinde docet Joannes carnem esse factum, id est hominem, quemadmodum istud sic expressum est in symbolo Nicaeno, esse Dei unigenitum, quique Jesus Christus sit vocatus: cujus etiam vitam, mortem, refert, et reditum ad vitam. Verbum in Graeco est Λόγος, quod perinde etiam Graecis verbum, rationem, sapientiam, virtutem significat. Nullus alter Evangelista usus hac voce est ad Dei filium designandum, et Christum. Id, quod fecit non tantum hocce loco, sed etiam 1. Epist. 1. v. 1. C. 5. v. 7. Apoc. 19. v. 13. Quaeri itaque solet, unde hanc Joannes sumpserit. Hebraeos jam ante Joannem usos esse hac voce ad Deum, et Messiam significandum, manifestum fit ex utroque Paraphraste, Onkeloso, et Jonathane. Ex multis eorum locis aliqua tantum proferam. In eo loco, ubi Gen. 28. v. 20. Jacob patriarcha dicit, Deo votum nuncupans „Si fuerit Deus mecum, et custodierit me„ Onkelos pro voce Dei

posuit מימרא דיי, *Verbum Dei.* Rursus Laban, Deum testem invocans „Intueatur Dominus inter „nos“ idem Onkelos etiam hic pro voce Dei posuit *Memra Dajeja.* Verbum Dei. Iterum Psal. 109. v. 1. istud: „Dixit Dominus Domino meo“ Jonathan expressit sic: „Dixit Dominus Verbo suo“ אמר ” במימריה : his autem verbis, *Domino meo*, Christum esse significatum, ex ipso Christo, pro se allegante illa, extra dubitationem est. Dei Filium primogenitum ante omnem creaturam, expressit per id, quod ex ore Dei prodiit, id est, per verbum, etiam Ecclesiasticus C. 24. v. 5. Idem sapientiae nomine usus est ad hunc appellandum C. 1. v. 4. et jam longe ante hunc Salomon. *Proverb.* 8. *v.* 22. Sapiens quoque sic de Sapientia, quae ex Deo processerit, Deique speculum, et imago sit, loquitur. C. 7. v. 24. (Confer cum *Hebr.* 1. *v.* 3.) Idemque factum est a Philone Judaeo in libro *de Mundi Opificio.* Quam ob rem Eusebius *lib.* 7. *Praepar. Evang.* „Hebraei, inquit, post principem illam, et principio simul, ortuque carentem praepotentis Dei „naturam, quaeque ab omni permixtione sejuncta est, sic omni comprehensione major, naturam (in Graeco est *hypostasin*) alteram constituunt, virtutemque divinam, principium omnium creaturarum, quae prima ante ceteras omnes exstiterit, ab eodemque primo principio genita fuerit, quam Verbum, Sapientiam, „Deique Virtutem appellare solent.“ Quid? quod etiam Plato *in Timaeo* docuerit *Logon* esse, per quem factus sit mundus? Quem, itemque alios Philosophos sua multa a Moyse, et Hebraeis mutuatos esse, demonstravi Instit. Herm. V. T. *tom.* 1. *C.* 29. *§.* 86. Obscurumne ergo manet, unde

Joannes vocem *Logon* sumpserit ad exprimendum hac Dei Filium Christum?

Attamen David Michaelis in suis Annotat. ad h. l. non ex hoc more loquendi, jam Hebraeis usitato, quod Neotericis summum etiam, atque primum interpretandi principium esse solet, vocem hanc, *Logos* repetit: sed asserit, novo suo invento, esse sumptam ab Joanne ex eo, quod Gnosticis fuit figmentum Aeonum: quos hi ad triginta et amplius posuerunt a Deo descendentes, tanquam filios, vel nepotes, et ante hunc mundum pluribus quidem annorum millibus generatos, non tamen ab aeterno, et divinitatis etiam participes, neque tamen Deo, parenti suo, in dignitate, et perfectione aequales. Ex hac turba Aeonum uni dederant nomen Λόγȣ, alteri Veritatis, tertio Lucis, quarto Vitae, et sic porro. Dum itaque adversus hos Gnosticos suum Joannes scripsisset Evangelium; ponit Michaelisius, Joannem sumpsisse nomen Λόγȣ, unius horum Aeonum, ad Dei filium isto nomine appellandum, atque, ut Gnosticorum figmentum configeret, has statim in principio Evangelii sui voces misisse: *In principio erat Verbum*, atque adeo ab aeterno.

Cujusmodi vero ista fuisset Joannis confutatio, cuique debet in oculos incidere. Nam Joannes non tantum inde vocem hanc non sumpsisset, unde moris servandi causa in loquendo sumenda fuisset; sed eam etiam ex puro putoque figmento arripuisset, dumque ipsum hoc figmentum convellere instituisset. Egregia profecto, atque Apostolo haec digna fuisset refutatio! Hunc enim ipsum Λόγον statuisset esse in Deo, ad quem cum ceteris sociis Aeonibus negandum, et pro figmento habendum suum instituisset scribere Evangelium. Sed hunc Λόγον, inquit Michaelisius, as-

severavit Joannes fuisse jam in principio, adeoque ab aeterno, et quo destruebatur illud, quod Gnostici habebant, Λόγον fuisse tantum aliquot annorum millibus ante hunc conditum mundum ex Deo genitum. Sed neque aeternitas Λόγȣ hinc potest concludi, potiusque contrarium sequitur. Nam, si Joannes dicens, Verbum in principio fuisse, adversus Gnosticos, atque eorum figmentum Aeonum hoc direxisset, dum vocabulum, *principium* ex hoc figmento retinuisset, non hoc etiam aliter sumpsisset, quam sumptum fuerit a Gnosticis pro Aeonum initio, quin nec aliter sumere potuisset, nisi aliam notionem se ei substituisse indicasset, eam vero notionem, quam illi habuerunt, principii prius refutasset. Fuit vero Gnosticis Aeonum ortus, et initium multis tantum annorum millibus anterius mundo, non ab aeterno. Non ergo aliud etiam fuisset in hac asseveratione Joannis, quam Λόγον fuisse jam tum, cum multis annorum millibus ante hunc mundum Aeonum pleroma, ut a Gnosticis vocabatur, quod *plenitudinem*, plenitatem significat, juxta eosdem Gnosticos coeperat esse. Hac ergo ratione juxta Joannem nec iste Λόγος fuisset ab aeterno, sicut neque pleroma, ipsorum etiam Gnosticorum opinione, aeternitatem habebat, sed tantum modo anterior isto pleromate. Fuit deinde hoc Aeonum pleroma merum figmentum: quod proinde nunquam fuit. Quod ergo in hujus pleromatis principio ponitur fuisse, dum pleroma numquam fuit; illud perinde non habet quidquam ubi, et quando exstiterit, et dare Verbo existentiam ante hoc fictum, et fabulosum pleroma Aeonum, perinde fuisset, atque Calendas ei Graecas assignasse, ante quas jam exstiterit. Vix videtur ipse Michaelisius sic aeternitatem Verbi voluisse sincere ex Joannis hocce loco demonstrare. Sed

obtrusit palpum, et in speciem tantum posuit, quo Verbi divinitatem videretur asserere: quam dum in aliis plerisque etiam Scripturae locis sua interpretatione delet, seque tuetur, quasi jam hanc hocce Joannis loco asseruerit; haberet basim ficulnam, qualem vellet, quae ejus sustentet assertionem divinitatis Christi.

Vnde vero est, et ex qua convenientia Filius Dei appellatur Verbum Dei Patris? Hoc jam explicuit S. Basilius *homil.* 16. sed quae Neotericis non placet explicatio, et cui illam ex Aeonum fabula sumptam malunt anteponere. „Cur Ver-„bum? inquit ille, Vt perspicuum sit, processis-„se ex mente. Cur Verbum? quia citra passio-„nem genitum est. Cur Verbum? quia imago est „Genitoris, totum in seipso Genitorem ostendens, „nihil inde separans, et per se perfectum existens: „quemadmodum et verbum nostrum totius nostrae „cogitationis refert imaginem." Atque sic ipsa etiam Sapientia, quae persona divina Filii est de sua generatione loquitur. „Ego, inquit, ex ore „Altissimi prodivi, primogenita ante omnem cre-„aturam." *Eccli.* 24. *v.* 5.

Verbum hoc erat in principio: non in principio fabuloso Aeonum, sed in eo, quod verum est principium. Principium vero, atque initium temporis tum coepit esse; quando id, quod non fuit, coepit omnium primum existere. Nam quod vel semper fuit, vel numquam esse coepit, initium non habet. Quare si Verbum aliquando non exstitisset, etiamsi omnium primum existere coepisset; tamen de eo dici non potuisset, in principio fuisse. Tantummodo enim in principio existere coepisset, non jam tum fuisset. Dum ergo Evangelista docet, Verbum in principio fuisse, principiumque fuerit tum, cum res existere coepit, quae prius non fuit; sequitur sic Verbum

ante omnia, quae facta e nihilo sunt, atque ante hunc mundum fuisse; ut nullum suae existentiae habens initium semper fuerit. Nihil vero semper fuit,, nihilque aeternum praeter Deum est. Quare, quod Verbum in principio erat, hoc etiam Deus erat, quemadmodum hoc etiam Evangelista, postquam dixisset, Verbum in principio fuisse, testatus est.

Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. S. Basilius *homil. ead.* 16. „Singularum vocum, inquit, virtutem admirare. Non „dixit: In Deo erat Verbum, sed apud Deum, „ut hypostaseos proprietatem declararet. Non „dixit, in Deo: ne occasionem daret confundendi hypostasin." Quamvis tam expresse Verbum Joannes asseveret esse Deum; tamen Ariani, ut testimoninm hocce Evangelistae eluderent, dicebant, esse hic: Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, vocemque Dei absque articulo: non ergo significare eum, qui vere Deus sit, sed tantum solo nomine. Hoc falsum esse arguit S. Chrysostomus *homil.* 4. *in Joan.* siquidem nomen Θεὸς sit de Deo Patre etiam absque articulo, *Rom.* 1. *v.* 7. *Philip.* 2. *v.* 6. Sed neque huc erat eundum exempli petendi gratia, dum hoc etiam hic in versiculo sexto sic est apud Joannem. Deinde in hoc: Θεὸς ἦν ὁ Λόγος nomen Θεὸς praedicatum est, subjectum vero, ut loquuntur Dialectici, est Λογὸς. Subjecto autem, non praedicato solet apponi apud Graecos articulus, et ne subjecto quidem semper. Argutabantur iidem Ariani, Dei Filium Deo Patre esse posteriorem existentia: patrem enim debere esse priorem filio, ab hominibus, et animantibus ex generationis modo ducendo argumentum ad Deum. Sed in his nec pater est aeternus, sicut Deus Pater: et qui nec Pater ab aeterno esset, si non haberet aeque aeternum filium. In Deo omnia

sunt aeterna. Ergo sicut Pater aeternus est; ita etiam Filium ab aeterno genuit. Qui si pater tantum postea factus esset gignendo filium, mutationem subiens, ne Deus quidem esset.

Hoc erat in principio apud Deum. V. 2. Prius dixit separatim, Verbum fuisse in principio, et hoc fuisse apud Deum. Hoc modo repetit, sed jam conjunctim. Illud, in principio fuisse Verbum, significat ita fuisse semper; ut nullum existentiae suae initium habuerit, quemadmodum jam declaratum est: fuisse apud Deum, indicat, distinctam ejus personam ab eo, apud quem fuit. Itaque ,, Coaeternitatem nobis signi- ,, ficat, ait S. Chrysostomus *homil.* 4. *in Joan.* ,, Etenim, ne audiens, *In principio erat Verbum,* ,, aeternum quidem existimares, sed Patrem aliquo ,, vitae interstitio seniorem, et majoris aevi cre- ,, deres, neve principium (existendi initium, Vnigenito dares; adjecit: *Erat in principio apud* ,, *Deum*, ita aeternus, ut Pater. "

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. V. 3. In quibusdam codicibus, et apud aliquos etiam Patres sic exstat iste versiculus, ut post vocem *Nihil*, interpunctio, quod punctum dicitur, sit apposita, et quo pacto verba subsequentia, *Quod factum est*, necterenter cum eo, quod in subsequenti versiculo sequitur. S. Augustinus *lib.* 3. *de Fide c.* 3. dicit, neutram lectionem officere rectae fidei. Nostram tamen lectionem in Vulgata Latina esse potiorem, illud confirmat; quod cum ea consentiant omnes aliae Versiones Orientales. Deus *Isa.* 44. *v.* 24. sic loquitur: ,, Ego sum Do- ,, minus, faciens omnia, extendens caelos, stabi- ,, liens terram, et nullus mecum. " Ex opere igitur creationis, quod solius Dei est, in quo efficiendo nemo cum Deo fuit, probat Evangelista, Verbum esse ipsum unum verum Deum.

Sociniani hoc principium, in quo erat Verbum, contendunt esse praedicationis initium, factae per Baptistam Joannem, et esse sensum, Verbum jam tum fuisse in mundo, cum Joannes incepit praedicare. Neque enim credunt, Christum exstitisse, antequam conceptus fuisset in materno utero. Iidem Evangelii textum etiam aliter interpungunt, post has voces: *Et Deus erat,* ponendo punctum, et subsequentem vocem, *Verbum* trajiciendo, et componendo cum eo, quod subsequitur hocce modo: *Verbum hoc erat in principio apud Deum*, quo sic *Verbo*, quod subjecti locum tenet in oratione, subtrahatur praedicatum *Deus*. Nullum vero proferunt privilegium, unde jus istud discerpendi textum, et aliter suo arbitrio compaginandi habeant. Etiam per principium, in quo Joannes asseverat, Verbum fuisse, initium intelligendum esse praedicationis, per Joannem Bapt. factae, est tantum nuda assertio, nec cohaeret cum reliquis, quae Evangelista praedicat de Verbo. Nam dicit, omnia per Verbum facta, et infra V. 10. mundum per idem Verbum factum esse. Si ergo prius non fuisset, quam a matre sua conciperetur, et ex ea nasceretur; aut Verbum fecit mundum, quando nondum exstitit; aut mundus coepit, nonnisi postquam Verbum caro factum est. Dum autem certe mundus jam fuit, cum Joannes Bapt. coepisset praedicare; sequitur, nec principium, in quo Verbum fuit, posse esse praedicationis initium factae per Joannem. Christus etiam Joan. 8. v. 58. de seipso, „ Ante„ quam, inquit, Abraham fieret, ego sum„ et rur„ sus, Clarifica me, inquit, Pater, apud temetipsum „ claritate, quam habui prius, quam mundus es„ set, apud te. „ *Joan.* 17. *v.* 5. Estne hoc principium existentiae Christi tantum, quando in humana natura ex materno utero processit, utque in

mundo tum esset, cum suam praedicationem orsus est Joannes? Dum vero sic pressi, coguntur fateri, principium hoc, in quo Verbum exstiterit, anterius esse mundo, alio se vertunt, et dicunt per Λόγον intellexisse Joannem mentem, et rationem, quae divinae essentiae proprietas est, quaeque cum Deo, et in Deo semper fuerit. Ergone haec ratio, quae divinae naturae proprietas est, facta caro est, dum Verbum caro factum est? Deinde eo ipso etiam Verbum, qui Vnigenitus Dei ab Joanne, qui Jesus Christus vocatur, dent Sociniani necesse est, Deum esse. Nam cum Deus simplex substantia sit, omne, quod in ejus substantia est, ipse Deus est. Verbum ergo erit Deus. Cumque Verbum sit caro factum, atque Filius sit unigenitus, qui est in sinu Patris: (infra V. 18.) neque vero idem sit filius, qui Pater; dent etiam necesse est, Verbum et Deum esse, et ejus a Deo Patre distinctam personam.

In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. V. 4. Vita non ea intelligitur, qua praeditum ipsum Verbum est, sed quam id nobis largitur: siquidem haec vita sit lux hominum. Idemque clarum fit ex his verbis ejusdem Joannis: „ Vitam aeternam, inquit, dedit nobis „ Deus, et haec vita in Filio ejus est. Qui habet „ Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vi„ tam non habet. Haec scribo vobis, ut sciatis, „ quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis „ in nomine Filii Dei. „ 1. *Joan.* 5. *v.* 11. Qui hic vitam, et lucem ex Neotericis ita sumunt, ut idem velint esse, quod Verbum, et tam Verbo, quam vitae, et luci tantum ab Evangelista per prosopopoeiam datam personam, primo in Vita, et Luce confundunt donum cum auctore doni; deinde sufferunt veram personam ipsius Verbi;

utpote, quam statuunt, tantum per orationis figuram ab Evangelista Verbo tributam. At vero hoc Verbum fuisse Jesum Christum, ipse etiam deinde Joannes docet. Quomodo igitur hujus non vera, sed tantum per prosopopoeiam ficta fuit persona?

Lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Dicit infra C. 12. v. 46. Christus de se: „ Ego lux in mundum veni, ut „ omnis, qui credit in me, in tenebris non mane-„ at: „ Etiam hujus C. 1. v. 9. Christus lux vera praedicatur, quae omnem hominem illuminet, venientem in hunc mundum, at vero a mundo non esse ipsum agnitum. Ergo per tenebras, quae Christum non comprehenderunt, mundus intelligitur, qui Christum non agnoverit, rursumque per mundum significantur homines positi in mundo.

Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes: hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. V. 6. Infra C. 5. v. 35. Christus de Joanne dicit: „ Ille erat „ lucerna ardens, et lucens: vos autem (Judaei) „ voluistis ad horam exultare in luce ejus. „ Attamen non fuit talis lux, qualis Christus, ad vitam hominibus tribuendam splendore suae gratiae, quemadmodum V. 4. antecessit.

Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. V. 9. Ita lux vera dicitur Christus, sicut idem infra C. 6. v. 32. vocatur panis verus, qui dat vitam mundo: quatenus sicut melior, et verior est vita, quam tribuit Christus ista, quam vivimus, vita, ita luce hac terrestri potior lux sit, quae praebetur per Christum. „ Dictus est, illuminare omnem „ hominem, quia nemo quemquam illuminat, si

„ non ipse „ sunt verba S. Augustini *lib.* 2. *Oper. imp. cont. Julian. c.* 136. Sic idem Salvator mundi, *Luc.* 2. *v.* 11. Salvatorque omnium hominum vocatur, 1. *Timoth.* 4. *v.* 10. non quod omnes salutem adipiscantur; sed quod salutis remedium per Christum sit paratum omnibus, neque aliter quisquam, nisi per Christum salutis compos fiat.

In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. V. 10. Per mundum homines intelliguntur, qui sunt in mundo. At vero ab his agnitus est Christus, sed tantum non ab omnibus. Itaque mundus, qui Christum non cognovit, pro ea hominum parte sumitur, qui increduli manserunt.

In propria venit, et sui eum non receperunt. V. 11. „ In sua propria venit: quia omnia ista per eum facta sunt. „ *S. Augustinus Tract.* 2. *in Joan.* Quemadmodum ejus propria erant universus mundus; ita per suos, a quibus receceptus non est, intelliguntur non soli Judaei, sed homines per universum mundum. Hi autem sui non etiam omnes. Nam sequitur: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex sangvinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* V. 12. Naturali generationi alia inducitur nativitas, quae fit per Dei Spiritum nobis, qui mortui fuimus in delictis, infusum, et quo suo Spiritu, nobis per Christum donato, Deus suos nos efficit filios. *Rom.* 8. *v.* 14. *Coloss.* 2. *v.* 13.

Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Vnigeniti a Patre, plenum gratiae, et veritatis. V. 14. „ Verbum caro factum est, id

„ est, homo factum est. Nomine enim carnis ap„ pellati sunt homines. „ *S. Augustinus Enarr.* 2. *in Psal.* 29. Hinc vero sequitur, ab eodem Verbo, et Vnigenito a Patre in unitatem divinae personae assumptam esse humanam naturam: nam secus Verbum non fuisset factum homo. Itaque idem vi divinae suae naturae Deus, et idem homo per humanam naturam. *Habitavit in nobis*: vel quatenus in mundo cum fuisset, versatus nobiscum sit; vel quatenus homini divinitas inerat: deinde quo exprimeretur, sic Verbum esse factum hominem, ut adsumendo id, quod non erat, manserit inviolate, et absque divinitatis confusione, aut permixtione cum humanitate id, quod fuit. „ Nam „ habitatio non id ipsum est, quod habitaculum, „ sed aliud: aliud enim in alio habitat. „ *S. Chrysostomus homil.* 11. *in Joan.* Cujus gloriam quasi Vnigeniti, se vidisse testatur Joannes ὡς μονογενοῦς: quod ὡς Graecum non comparationis tantum, verum etiam declarationis significationem habet. „ Vidimus gloriam, qualem decebat habe„ re Vnigenitum, et germanum Filium Dei, uni„ versorum regis. „ *S. Chrysostomus homil.* 12. *in Joan.* Per facta vero divina, quibus se Christus testabatur Filium Dei, exsplenduit ejus gloria quasi Vnigeniti a Patre, apparuit plenum esse gratiae, et veritatis. Gratia haec, et veritas, quae sit intelligenda, declarabit V. 16.

Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat, dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. V. 15. Qui post me venturus est, ἐρχόμενος, *veniens*, in participio temporis praesentis: sicque magis exprimitur jam ipse Christus etiam se se manifestans, atque Evangelium suum praedicans, quando adhuc Joannes suum baptismum poenitentiae praedicabat. *Ante*

me factus est, quia prior me erat: Matthaeus C. 3. v. 11. Lucas C. 3. 16. istud expresserunt per ἰσχυρότερος, *fortior me erat*. In quo vero fortior, explicuit ipse Baptista. „ Ego enim, inquit, „ baptizo vos in aqua in poenitentiam: ipse vos „ baptizabit in Spiritu sancto, et igni. „ *Matth.* 3. *v.* 11. Ergo illud: *Ante me factus est*, significat ejus, quod a Christo per baptismum dabatur, ampliorem vim, quam quod Joannes praestitit.

Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia. V. 16. Supra fuit V. 14. Christum fuisse plenum gratiae, et veritatis. Modo dicitur, de ejus plenitudine nos omnes accepisse. Ergo gratia, et veritas, qua Christus plenus fuit, donum gratiae, et veritatis intelligitur, quo impleret nos. Sequitur deinde: *Quia lex per Moysem data est: gratia, et veritas per Jesum Christum facta est.* V. 17. Dum ergo dicit, gratiam pro gratia nos accepisse, gratia, pro qua gratiam accepimus, intelligitur lex, data per Moysem: nam et ista fuit benignitas divina, qua dedit legem, qua non tantum suam Israelitis voluntatem Deus apertius ostendit; *Psal.* 147. *v.* 9. sed ducebat etiam ad Christum, ut justitiae donum per eum assequerentur. *Gal.* 3. *v.* 24. Eadem lex umbram habuit futurorum bonorum. *Hebr.* 10. *v.* 1. Haec itaque etiam intelligitur veritas: qua Christus erga nos plenus fuit, exhibens illa, et praestans, quae Deus promisit, se se largiturum per illum.

Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit, V. 18. ἐξηγήσατο, *exposuit*, explicuit, hunc nobis thesaurum divinae gratiae, et veritatis. Ex quo illud etiam aperitur, quo pertineat, quod dixit Evangelista: *Deum nemo vidit unquam.* Ad

quem videlicet Deum nemini unquam patuerit accessus praeterquam Christo, ad obtinendam nobis gratiam, utpote qui Dei unigenitus sit Filius, et cubans in sinu Patris. Dum omnes Justi, filii Dei sunt per gratiam adoptionis, solus vero Christus unigenitus, quique nullum habeat suae nativitatis consortem; manifestum est, Christum filium Dei praedicari ab Joanne non per adoptionem, quales alii multi sunt; sed ut alius nemo, quem Pater ex substantia sua genuerit. Atque ideo, qui in sinu etiam Patris sit, utpote, de quo Pater etiam *Matth.* 3. *v.* 17. testatus est: „Hic est „filius meus dilectus, in quo mihi complacui.“

Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judaei ab Jerosolymis sacerdotes, et Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, et non negavit, et confessus est: Quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? et dixit: non sum. Propheta es tu? et respondit: non. V. 19. At vero ipse Christus de Joanne hoc dixit testimonium: „Ipse est Elias, „qui venturus est.“ *Matth.* 11. *v.* 14. Eatenus vero Eliam esse dixerat Christus, quatenus in spiritu, et virtute Eliae praecursorem Christi egit. *Luc.* 1. *v.* 17. Joannes vero Eliam se esse negavit, quantum ad personam ipsam. Idem Prophetam se esse negavit, talem videlicet, quales fuerunt, qui Christum eminus tantum viderunt, et nunciarunt venturum. Joannes vero testimonio ipsius Christi *Luc.* 7. *v.* 26. plus quam propheta fuit, utpote, qui Christum jam praesentem digito monstraverit.

Dixerunt ergo ei: Quis es? ut responsum demus his, qui miserunt nos: quid dicis de teipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Pro-

pheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? Respondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. V. 22. „Hoc dicit, quia ille, quasi unus de turba populo admiscebatur, utpote, qui ubique et fastus, et pompae contemptum edoceret." *S. Chrysostomus homil.* 17. *in Joan. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est.* Quod S. Augustinus *Tract.* 4. *in Joan.* clarius expressit sic: „Antepositus est mihi." Et omnino hoc de dignitate esse dictum ab Joanne, qua eum Christus antecederet, verba declarant subsequentia: *Cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.*

Amen, amen dico vobis: Videbitis caelum apertum, et Angelos Dei adscendentes, et descendentes supra Filium hominis. V. 51. Hoc Christus dixit, dum Philippus Nathanaelem ad Christum adduxisset, et iste eum Dei Filium, regemque Israel confessus esset, eo quod ipsum Christus sub ficu vidisset, utique sic, ut modo naturali videri ab eo non potuerit. Ad scalam, quam Jacob patriarcha vidit in somnio, *Gen.* 28. *v.* 12. Christum hic respexisse, sensit S. Augustinus *lib.* 16. *de Civ. Dei c.* 38. Quod si ita est, tunc utique hic illud Christus de seipso significasset per adscensum, et descensum Angelorum supra se, quod illa visione, quae Jacobo fuit oblata per somnium, futurum de Christo figurabatur, et praemonstrabatur. Sicut autem Adami somnus, sub quo costa excepta est ex ejus latere ex qua formata est Eva, *Eph.* 4. *v.* 32. ita Jacobi aeque somnium, in quo caelum vidit apertum, Christi mortem, qua caelum nobis reseratum est, quique fons omnium est bonorum,

quae per Christum consecuti sumus, figuravit. Nathanael Christum erat confessus filium Dei, et regem Israel: hoc est ergo, Messiam, sed videlicet. terrestrem solummodo regem, qualem vulgo opinionem de Messia habebant Judaei. Itaque altius ejus mentem erexerat Christus, atque se Angelorum dominum demonstravit, quos adscendentes, et descendentes supra eum visurus Nathanael sit in ejus ministerium. Sic rem hanc sumpsit S. Chrysostomus *homil.* 21. *in Joan.* Istudne autem vidit Nathanael in hoc mundo? Factum esse, exstat nuspiam. Nondum tamen sequitur, factum non esse Neque enim omnia literis consignata sunt per Evangelistas. *Joan.* 20. *v.* 30. *C.* 21. *v.* 25. Ministrasse vero Christo Angelos, sed ante hunc ejus cum Nathanaele sermonem, est etiam *Matth.* 4. *v.* 11. Etiamsi vero haec visio Angelorum dilata fuisset Nathanaeli ultra hanc praesentem vitam; tamen res habitura erat suum eventum. Idem vero jam etiam in hoc mundo vidit postea fidei oculis Nathanael, quando divinitas Christi fuit per Evangelium, et Spiritu sancto misso de caelo, explicata clare.

CAPVT II.

Dicit ei Jesus: Quid mihi, et tibi est mulier? nondum venit hora mea. V. 4. Matri hoc suae respondit in nuptiis in Cana Galilaeae, dicenti: *Vinum non habent.* Itaque ejus etiam faciendi hora, atque tempus intelligitur, quod quamvis nondum praesente ea hora, tamen ad matris suae petitionem Christus fecit.

Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. V. 10. Sunt verba architriclini ad sponsum. Inebriari non semper ponitur in Scriptura pro temulentum fieri, sed pro potu tantum etiam ad satietatem. *Aggae.* 1. *v.* 6. *Eph.* 5. *v.* 6. Non tantum vero hoc a nostro more conviviorum abest, ut post bonum vinum deterius apponatur, et bibatur; sed contrarium etiam appetitui est. Quod Latine versum est: *Vinum deterius*, in Graeco est οἶνος ἐλάσσων *vinum minus.* Itaque vinum intelligitur non gustus svavitate, sed tantum viribus inferius. In quo cautos etiam observare licet, ut ubi jam satis ex alio vino bibissent, uterentur deinde vino, quod minus forte esset, ne fierent temulenti.

CAPVT III.

Erat autem homo ex Pharisaeis, Nicodemus nomine, princeps Judaeorum, hoc est, unus ex primariis, *et venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister: nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suae iterato introire, et renasci? Respondit Jesus: Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Hoc est, quemadmodum caro est, quod ex carne generatum est; ita hominis generatio, et nativitas, quae per Spiritum sanctum fit, pertinet ad ejus spiritum. „Factus est primus homo Adam in animam „viventem, novissimus Adam in Spiritum vivi„ficantem." 1. Cor. 15. v. 45. *Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult, spirat, et vocem ejus audis; sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex Spiritu.* Spiritus iste, cujus etiam flatum sentimus, et sonum, atque susurrum percipimus, ventus est. Si ergo ignotum nobis est, unde ventus venerit, aut quo feratur, non ex qua plaga et venerit, et in quam feratur, hoc enim sentimus, sed quis locus sit, ubi sur-

gere coeperit, et quo perventurus sit; eo minus percipi a nobis posse modum generationis humanae secundum spiritum. „Quemadmodum ventus „ non apparet, sunt verba S. Chrysostomi *homil.* „26. *in Joan.* etiamsi sonum emittat, sic nec „ spiritualis generatio oculis corporeis perspicitur.“ Spiritus vero, ubi vult, spirat, non quasi ventorum flatus non subessent divinae providentiae legibus; sed quod ea vis sit ventorum, quorum moderari cursum, vel sistere, non sit potestatis humanae. V. 1 — 8.

Respondit Nicodemus, et dixit ei: Quomodo possunt haec fieri? Respondit Jesus, et dixit ei: Tu es magister in Israel, et hoc ignoras? V. 9. Hanc enim hominis interiorem renovationem, novamque nativitatem scire Nicodemus, qui magister fuit in Israel, et intelligere potuisset, utpote in Scriptura promissam a Deo per Ezechielem, apud quem haec Dei verba sunt: „Spiritum „novum tribuam in visceribus eorum, et auferam „ cor lapideum de carne eorum. *Ezech.* 11. *v.* 19. „ *C.* 36. *v.* 26. Qui hic Christum putant respexisse ad ablutionis caerimoniam in iis, quos Judaei, ex alia gente ortos, proselytos suos fecerant, falluntur. Neque enim ista solius corporis lavatio vim aliquam ad hominis, loti aqua, interiorem renovationem habebat, ut suum Christus baptismum cum hac proselytorum lavatione, nullius efficacitatis, comparare voluisset. Deinde hominis alienigenae insitio ad Judaicum populum non per lavationem fiebat, sed per circumcisionem. *Judith.* 14. *v.* 6.

Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur, et testimonium nostrum non accipitis. V. 11. Ea, quae ipsi nos vidimus, nobis solent esse certissima. Itaque, quod Christus dicit, se se te-

stari illud, quod ipse viderit; tantumdem est ac asseverare, se se rem dicere certissimam, atque verissimam, ut hanc ex Christi testimonio novam hominis nativitatem Nicodemus crederet, etiamsi hanc intellectu suo non assequeretur.

Si terrena dixi vobis, et non creditis; quomodo, si dixero vobis caelestia, credetis? De baptismo, per quem regeneretur homo, Christus cum Nicodemo loquebatur. Quae res non est terrena. Sed terrenum, et caeleste positum est alterum pro humili, alterum pro sublimi, et alto, quantum ad humanum captum. *S. Chrysostomus hom.* 27. *in Joan. et S. Cyrillus Alexand. lib.* 2. *in Joan.*

Et nemo adscendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis, qui est in caelo. V. 13. Ad illud Nicodemi: *Scimus, quia a Deo venisti, Magister,* V. 2. Christus respondit. Omnes enim Prophetae non aliter venerant, quam missi a Deo. Ne ergo Nicodemus Christum crederet, tantum etiam ista ratione venisse, docet, quomodo a Deo venerit. Se enim e caelo descendisse, quo nemo hominum adscenderit, ut inde descendere potuisset: unde consequens etiam erat, se in caelo fuisse, quin hinc eo adscenderit: deinde, qui, ubi etiam descendit e caelo, tamen sit in caelo, Jamque hoc tale fuit, in quo magis stupere Nicodemus potuit, quomodo hoc possit fieri, quam ob hominis novam secundum spiritum generationem. „Per distantiam (vero) „divinitatis, et infirmitatis Filius Dei manebat in „caelo; Filius hominis ambulabat in terra: per „unitatem vero personae, qua utraque substantia „unus Christus est, et Filius Dei ambulabat in „terra; et idem ipse Filius hominis manebat in „caelo.“ *S. Augustinus lib.* 1. *de Peccat. meritis c.* 31.

Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. V. 18. Etiam infra C. 5. v. 24. dicit Christus, eum, qui credit, in judicium non venturum, sed a morte transiturum ad vitam. Itaque judicium utroque loco positum est pro ipsa damnatione. Eum vero, qui non credit, Christus dicit, jam judicatum esse, hoc est ergo, manere condemnatum. Nascimur enim jam obstricti condemnatione, *Eph.* 2. *v.* 3. *Rom.* 5. *v.* 16. et qua nonnisi per Christum solvimur, et solvi possumus. Credere in nomine unigeniti Filii Dei, significat, ideo credere, quod ipse sit, cujus auctoritate permovemur ad credendum.

Erat autem et Joannes baptizans in Aennon juxta Salim. V. 23. In australi parte tribus Juda erant haec ambo loca. Josue 15. v. 32. — *Facta est autem quaestio ex discipulis Joannis cum Judaeis de purificatione*, ea videlicet, quae fiebat per baptizationem. *Et venerunt ad Joannem, et dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. Respondit Joannes, et dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo.* Seipsum intellexit Joannes, qui sibi plus sumere non possit, quam ei datum esset a Deo. *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui.* Sponsus intelligitur Christus, cui sponsa comparabatur ex ea multitudine homi-

num, quae in eum credebat, et quae ejus facta est Ecclesia. Joannes autem parans homines sua praedicatione ad credendum in Christum, quasi invitatoris, et conciliatoris harum nuptiarum munere functus est ergà Christum. Dum ergo iste hominum concursus factus ad Christum est, dicebat, se gaudere. Illum enim debere crescere, eorum videlicet numero, qui Christo adhaererent, se vero minui: qui hos ipsos, quos habebat discipulos, non sibi posset retinere; sed dirigere deberet ad Christum, et ei tradere. Idem vero Joannes, qui se prius C. 1. v. 27. ne talis quidem servuli, cujus est calceos e domini pedibus detrahere, dignum ministerio erga Christum professus erat; nunc se ejus amicum dicit: quod vero ad declarationem sui erga Christum affectus pertinebat. Amicus enim amici commodis studet, et laetatur: non servorum hoc est, qui saepe male affecti sunt suis dominis. Suum ergo esse dicit, stare, et audire eum, hoc est, paratum se offerre ad ea, quae ab eo habere vellet Sponsus, seque illius voce gaudere. Laetitiae autem vox haec intelligitur Sponsi ob sponsam, et ex cujus proinde gaudio, ipse quoque, quemadmodum amicum decet, gaudeat.

Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de caelo venit, super omnes est. V. 31. Is, quem Joannes dixit, de sursum et de caelo venisse, Christus est. Idem iste etiam intelligitur, qui super omnes sit, et cui proinde ipse etiam nequeat aequiparari. Per hunc, qui de terra est, et de terra loquitur, seipsum intellexit Joannes, dicendoque, de terra se esse, suam declaravit originem, idque comparate ad Christum, quem dixerat, e caelo venisse: dum autem praedicat, de terra se esse, et loqui personae suae, et mune-

ris sui parvitatem, humilitatemque expressit, iterum comparate ad Christum, inter quem, et se tanta dignitatis, et potestatis distantia sit, quanta inter caelum, et terram.

Et quod vidit, et audivit, hoc testatur, et testimonium ejus nemo accipit. V. 32. Hoc de Christo Joannes dixit. Est enim sermonis continuatio de eo, qui de caelo venit, et super omnes est. *Qui accepit ejus testimonium, signavit, quia Deus verax est:* ἐσφράγισε, *obsignavit*, sigilli sui appressione testatum fecit, Deum veracem esse. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Cui? Christo. De hoc enim et antecessit, et continuatus subsequitur sermo. „ Vnicuique (enim) nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi „ *Eph.* 4. *v.* 7. At in Christo „ inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. „ Coloss. 2. v. 9. *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Non dicitur, super hunc ira Dei ventura, quod non credat in Christum, sed mansura. Jam enim sumus omnes natura filii irae. *Eph.* 2. *v.* 3. Qui credit in Christum, liberatur ex hac ira: non credendo auget Dei adversum se iram, Deum, cui non credit, habendo mendacem: sicut qui testimonium Christi suscipit, signat, quod Deus verax sit. Dicitur is, qui incredulus est Filio, non visurus vitam. Est autem omnis ille Christo incredulus, qui quidpiam ei dicenti, et testanti non credit, quin intersit, quale hoc, et quantum sit, quod non creditur. Semper enim falsiloquum is Christum habet, qui ei assensum suum denegat: quem tribueret, nisi falsum haberet, quod ab eo dicitur.

Hinc

Hinc vero intelligi potest, annon increduli sint Christo, qui quidpiam negant, et non recipiunt, quod est Christianae fidei, sive illud parum, sive multum sit; et vel minus, vel majus. „Vnus Dominus, „ una Fides. „ *Eph.* 4. *v.* 5. Itaque falsitatis convincitur ea opinio, non tantum qua inducitur Religionis Indifferentismus, ut eum vocant, sive latius de hac omni, sive restricte ad sectas, quae Christum profitentur; sed qua discrimen etiam fit inter alia quasi fundamentalia dogmata, et alia non fundamentalia Christianae Religionis, et quorum illa sufficiat credere, cetera etiamsi non credantur, fidem non temerent, quam a nobis exigit Christus.

CAPVT IV.

Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. V. 10. Aquae vivae Scripturae phrasi dicuntur aquae fluentes, et rivi perennes. *Gen.* 26. *v.* 19. At Christus aquam vivam proprie non sumpsit. Quid intellexerit, ejus verba de hac aqua V. 14. declarant: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam*, itemque hinc aperitur: „ Si quis sitit, veniat ad me, „ et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptu- „ ra, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. „ Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi „ erant credentes in eum. „ *Joan.* 7. *v.* 37.

Dicit ei mulier: Domine video, quia propheta es tu. V. 19. Dixerat ei Jesus, et osten-

derat se scire, quinque jam viris copulatam fuisse, eum vero, quem tunc habebat, non esse ejus legitimum maritum. *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Samaritani, quamvis coloniae tantum fuissent adductae ex Assyria, et Babylonia, tamen cum cultum erga Deum Israel suscepissent; 4. *Reg.* 17. *v.* 28. sibi persvaserunt, se posteros etiam esse Patriarcharum, a quibus Israelitae descenderunt. Itaque mulier haec Samaritana V. 12. nominatim etiam Jacobum patriarcham suum dicebat esse patrem: *Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus?* Mons, de quo mulier haec locuta est, mons Garizim fuit, ubi Samaritani templum habuerunt: quod a Manasse aedificatum fuit, fratre Jaddi, qui Jerosolymae summus sacerdos fuit. Dum ergo inter Judaeos, et Samaritanos simultas, et dissensio esset de loco, ubi Deo legitime adhibendus cultus esset; a Christo mulier, quem ut prophetam suspexerat, hanc sibi decidi controversiam petebat.

Dicit ei Jesus: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. V. 21. Templum in monte Garizim jam tum non stabat, quod ab Joanne Hyrcano eversum est. *Josephus lib.* 13. *Ant. c.* 16. Attamen ad eum locum, in quo templum steterat, etiam postea Samaritani ibant, Deum precandi causa, donec Hadrianus Imp. non tantum hoc eis interdixisset; sed appositis militaribus custodiis etiam accedendi eo facultatem ademisset. Ad imitationem cultus, qui Deo exhibebatur in templo Jerosolymitano, sua etiam sacra Samaritani habebant in monte Garizim. Caerimoniis autem, quibus Deus colebatur

juxta veterem legem, cum pertinuissent ad ea, quae Christi sunt, adumbranda; finem lux Evangelii dedit. Haec itaque hora intelligitur, quando nec in Jerosolymitano templo Dei legitimus cultus ulterius perstiturus erat.

Vos adoratis, quod nescitis: nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Judaeis est. V. 22. Samaritani illa aetate jam nulli idololatriae addicti erant, sed unum Deum Israel, quem ex Pentateucho Moysis agnoverant, coluerunt. Ex eo autem, quod Christus, in persona Judaeorum omnium loquens, subjecit, instar declarationis, *Quia salus ex Judaeis est*, patescit, quid illud sit, quod Samaritani in adorando Deo nesciverint, Judaei sciverint. Salus enim, quae ex Judaeis fuit, Christus est: siquidem aliud nomen sub caelo datum hominibus non sit, in quo oporteat nos salvos fieri. *Act.* 4. *v.* 12. Judaei autem exspectarunt Messiam, et in hunc venturum crediderunt: nec aliter, quam fidei istius vi Deo gratus fuit cultus, quem ei exhibuerunt: a) quem vero Messiam, fide sua conceptum, Samaritani non habuerunt. Equidem dicebat mulier haec Samaritana: *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus.* V. 25. Id vero tantum ex rumore, qui percrebuerat de Christo, perceperant Samaritani; fidem tamen in hunc defixam nullam adhuc, nec cum suis caerimoniis copulatam habebant.

Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet

---

a) Vide Institut. meas Herm. V, T. tom. I. cap. 10. §. 28.

adorare. V. 23. „ Significat, sunt verba S. Cy-
„ rilli Alex. *lib.* 2. *in Joan.* adventus sui jam
„ adesse tempus : sed mutatum dicit iri figu-
„ ras in veritatem, et legis umbram in cultum
„ spiritualem. „ Per legem videlicet praecipiebantur externa, qualis ipsa etiam fuit circumcisio: qua circumcisione carnis, per Evangelium cessante, manet tamen circumcisio cordis in spiritu, *Rom* 2. *v.* 29. quam Deus ab iis, qui eum colunt, requirit, non jam illam externam, ut rite colatur. — Hinc vero, quod Christus dixerit, oportere in spiritu, et veritate adorare Deum, argumentum duxerunt adversus omnia externa Religionis, qui Deistae appellantur, homines, qui toti scilicet fervent spiritu. Ergo preces, quibus Deo supplicamus, in animo tantum concipiendae, nullatenus ore pronunciandae essent. Atqui Christus, dum precationem, quam Dominicam vocamus, discipulis suis traderet, „ Cum oratis, in-
„ quit, dicite: Pater, sanctificetur nomen tu-
„ um. „ *Luc.* 11. *v.* 2. Ipse etiam genibus, in terram positis, Patrem oravit. *Luc.* 22. *v.* 42. Num flectere genua externum non est? Deinde Baptismum, Eucharistiam, et cetera omnia Sacramenta, quae Christus instituit, nonne posita sunt in re, quae actione peragitur externa? Quid? quod ipsa fides, corde concipienda ad justitiam, tamen ut salutifera sit, ore profitenda sit? „ Cor-
„ de enim creditur ad justitiam, ore autem fit
„ confessio ad salutem. „ *Rom.* 10. *v.* 10.

Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt jam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam, ut et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. In hoc enim est verbum verum, quia alius est, qui seminat, et alius est, qui metit. Ego

misi vos metere, quod vos non laborastis: alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. V. 35. Instar proverbii jam usitati hoc prolatum est a Christo: *Alius est, qui seminat; et alius, qui metit.* Persaepe enim contingit, ut alius laboret, alius fructum laboris percipiat. Prophetae autem intelliguntur, qui seminaverint, dum vaticinia de Christo edidissent, quibus deinde Apostoli usi sunt ad fidem faciendam Evangelio, quod praedicaverunt, messemque messuerunt eorum, qui vi vaticiniorum permoti in Christum crediderunt, tam illis, qui seminarunt, quam qui messuerunt, simul gaudentibus. Neque enim ut sementem facienti dolet, si messem tollat alter; sic inter Prophetas, et Apostolos aliqua intervenit invidia: cum sicut Apostolorum praedicatio Evangelii, ita vaticinationes Prophetarum in eundem conspiraverint finem, ut Christus ab omnibus agnosceretur, salutemque per eum adipiscerentur. Dum autem Prophetarum vaticinationes sunt semen, ex quo segetem metat Evangelium; qui vaticinia de Christo negant, vel falsa interpretatione a Christo avertunt, sicut modo faciunt interpretes novae literaturae, messem ne juvant Evangelii? Qualem hi istius sui laboris mercedem recepturi sunt?

Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. V. 46. Regulus juxta Graecum, βασιλικός: quod significat *Regium.* Itaque quispiam intelligitur vel munus gerens regium, vel ex ipsa aula regia. Syrus vertit *Servum regium.*

CAPVT V.

Post haec erat dies festus Judaeorum: V. 1. Pascha intelligitur, quod festum per excellentiam appellabatur: *et adscendit Jesus Jerosolymam. Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quae cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens.* De hac Probatica piscina, et curatione in ea, quoties aqua mota esset per Angelum, ejus infirmi, qui primus in aquam, motione facta, intravit, est actum a me Instit Herm. V. T. *tom.* 1. *Cap.* 24. §. 74.

Propterea persequebantur Judaei Jesum, quia haec faciebat sabbato. V. 16. Christus, hominem infirmum ad Probaticam piscinam cubantem in grabato (Graecum est vocabulum, quo significatur genus aliquod humilioris lectuli) sanitatem ei impertiens, tollere jusserat grabatum suum, et abire. Erat autem eo die sabbatum. Hinc Judaei in Christum insurrexerant, velut violatorem sabbati.

Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. V. 17. Illa portatio grabati erat omnino Judaeis illicita sabbato. *Jerem.* 17. *v.* 21. Nec aliqua necessitas excusabat hanc portationem. Poterat enim non incommode differri ad ejus diei finem, ubi advesperavisset. Nec Christus ista ratione factum hoc suum defendit modo, qua alias, demonstrando, suo clementi facto nihil esse derogatum sabbato; *Matth.* 12. *v.* 1. *Luc.* 13. *v.* 15. sed jure suae potestatis, quam parem, et aequalem Patri suo habeat, et qui lege de sabbato obstrictus non sit.

Propterea ergo magis quaerebant eum Judaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, et dixit eis: Amen, amen dico vobis: Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quaecumque enim ille fecerit; haec et Filius similiter facit. V. 1. Vna, eademque natura Patris est, et Filii: ergo una etiam, atque eadem utriusque operatio. Itaque docebat, se ne posse quidem facere aliud; quam quod Patrem videret facientem, et quae ille faceret, se quoque facere.

Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quae ipse facit, et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. V. 20. Pater omnia virtute divinae suae naturae operatur. Quia ergo naturam suam dedit Filio; omnia etiam ei demonstrat, quae operatur. Ex majoribus vero operibus, quae Pater Filio adhuc demonstraturus sit, speciatim suscitationem mortuorum ad vitam affert. Hoc enim majus est, quam infirmi illius, ad Probaticam piscinam jacentis, curatio. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat.* Dicendo, Filium suscitare mortuos, et vivificare, quos vult, perinde ut Pater; declaravit, istud suae propriae esse potestatis, utpote ex vi divinae suae naturae. Itaque error configitur Arianorum, ad ista, quae divina Christo asseruntur per Evangelium, dicentium, Deum in his Christi, tantum velut ministri, opera esse usum. De quali autem suscitatione mortuorum hic sermo sit, ex V. 25 intelligetur.

Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat

Patrem, qui misit illum. V. 22. Cum omnia, quae divinae potestatis sunt in Filio, eadem sint etiam in Patre; ergo hoc de Patre, quod non judicet quemquam, sed judicium omne dederit Filio, sic intelligi debet; ut Pater non judicet quemquam sine Filio, cui omne judicium dedit, et quem parem sibi, atque aequalem in potestate fecit, suam ei naturam divinam tribuendo.

Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me; habet vitam aeternam, et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam. Amen, amen, dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent. V. 24, 25. Mortui, qui in fine mundi suscitabuntur, omnes audient vocem Filii Dei, et omnes procedent alii in resurrectionem vitae, alii in resurrectionem judicii, quemadmodum subsequetur. Ergo hi mortui, de quibus nunc sermo est, non sunt mortui, qui jam conditi sunt in sepulcris; sed mortui, atque mortis vinculis obstricti ex peccatis. Quae hora tunc fuit, et modo est, et erit ad finem usque mundi. At vero illa hora, qua mortui ex monumentis procedent, tantum adhuc futura est. Atque haec etiam est suscitatio tantum illorum, quos Filius vult, ex morte ad vitam: qui, cujus vult, miseretur, quem vult, indurat. *Rom.* 9. *v.* 18.

Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso, et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est. V. 26. Hoc, Filium habere vitam in semetipso, sicut eam Pater in se habet est instar causae positum ejus, quod antecessit, mortuos, qui vocem Filii Dei audient, victuros esse. Siquidem Filius hanc in se, ejusque tribuendae aliis potestatem habeat. Haec ergo

vita, quam et Pater, et Filius habet in semetipso, non tantum vita intelligitur, qua Deus ipse vivit; sed etiam, quam mortuis tribuit vocem Filii Dei audientibus, atque eidem Filio Dei credentibus. *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est:* quod ad humanam Christi spectare naturam, manifestum est. Christus judicium celebrabit, ut Deus homo: sed in forma tantum se conspicuum dabit humana. Omne autem, quod humana natura in Christo adepta est; id habet ex conjunctione hypostatica cum natura divina. *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, judico, et judicium meum justum est: quia non quaero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* V. 28. Jam supra V. 19. etiam dixerat Christus, se a seipso non posse facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quemadmodum ergo illud, ita etiam hoc intelligitur de Christi divina natura, quae cum una, eademque sit cum natura Patris; nihil in eo, quod Filius facit, potest esse a Patris potestate, et actione disjunctum, vel diversum. Hinc ergo, qui nihil possit a seipso facere, sed sicut a Patre suo audiat, et accipiat, ita judicium etiam facturus sit; ostendit, judicium suum futurum justum, utpote divinum, atque juxta Patris sententiam, et voluntatem.

Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. V. 31. Infra C. 8. v. 14. Christus dicit: „Et si ego testi„monium perhibeo de meipso, verum est testimo„nium meum.“ Quod ergo nunc dicit, si testimo-

nium ipse perhiberet de se, hoc non esse verum; hoc non dixit ex sua sententia, sed tantum, quemadmodum de ejus testimonio senserant Judaei, atque istud cedendo ipsis tantisper, donec testimonium suum verum esse comprobasset. Id, quod facit deinde proferendo testimonium pro se et Patris sui, et Joannis. *Alius est, qui testimonium perhibet de me: et scio, quia verum est testimonium, quod perhibet de me.* Patris hoc sui intellexit testimonium, quemadmodum declaratur deinde V. 36. *Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati.* (Supra C. 1. v. 19.) *Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed haec dico, ut vos salvi sitis.* Joannes venit, et quidem a Deo missus, ut testimonium perhiberet de Lumine. *Supra C. 1. v. 19.* „Cum dixi„set, (sunt verba S. Chrysostomi *homil.* 40. *in* „*Joan.*) ab homine testimonium non accipio, „subjunxit: Sed haec dico, ut vos salvi sitis, hoc „est: Ego hujus testimonio humano non opus „habebam, cum Deus sim: sed quia illum suspi„citis, et omnibus fide digniorem putatis — — „ideo vobis hoc testimonium commemoro.“

Ille erat lucerna ardens, et lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus. V. 35. Lucernae officium est, lumen praebere ad videndum. Quod Joannes praestitit, Christum Judaeis demonstrando. Hi Joanne propheta primum gaudebant: sed sic se erga hunc tantum ad horam gesserant, cujus vocem, et monita cito respuerunt, et contemptui habuerunt. *Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea; ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.* V. 36. Pater testimonium perhibuit de Christo per opera prodigiosa, quibus se Christus

testabatur, missum a Patre, et Dei Filium: idemque hoc testimonium is dedit, dum Christus baptizaretur in Jordane, voce missa de caelo. *Matth.* 3. *v.* 17.

Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis, et verbum ejus non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis. V. 38. Idem caelestis Pater intelligitur, a quo Christus dicebat sibi testimonium esse perhibitum. Hoc vero, neque vocem ejus unquam audisse, nec speciem vidisse, clarum est, sic esse ad Judaeos dictum; ut huic contrariam voluerit refellere eorum assertionem. Nihil vero aperte ejusmodi antecessit in hoc sermone Christi ad illos. Quam ob rem S. Cyrillus Alex. *lib.* 3. *in Joan.* conclusit, Christum hic, ut alias etiam saepius fecit, respondisse ad Judaeorum cogitationes. Volvebant scilicet in mente, sibi Deum in monte Sinai esse locutum, suaque voce manifesta legem dedisse de observando sabbato: cumque hanc violaverit Christus, ut in ipsorum opinione erat, falsum esse, quod asserat, se a Deo missum esse Dum vero Lex in monte Sinai data esset Israelitis, Dei speciem, vel formam nullam prorsus viderunt. *Deut.* 4. *v.* 12, 15. at vero vocem verborum ejus audisse, est in his ipsis Deuteronomii locis. Erat quidem haec vox missa per Angelos, utpote per quos etiam lex fuit data. *Hebr.* 2. *v.* 2. Non eo minus tamen Dei vox fuit, cujus nomine Angelus, dans Legem, loquebatur. Quomodo ergo Christus dicere potuit, ipsos Dei vocem nunquam audivisse? Hoc ex eo perspicuum fit, quod Christus attulit ad hoc probandum: *Quia quem misit ille, huic vos non creditis*; deinde quod quam vocem Dei prius Christus dixit, Judaeos non audivisse; hoc verbum appellet, quod in se non habeant manens. Dum

ergo Christus dixit, Judaeos Dei vocem nunquam audivisse, auditionem intellexit, non tantum perceptam auribus, sed etiam ita, ut quod audiverunt, animo etiam complecterentur, atque voluntate, observarentque. „ Verbum praecepi eis di-„ cens: Audite vocem meam, sunt verba Dei de „ Judaeis apud Jerem 7. v. 23. et non audierunt, „ nec inclinaverunt aurem suam: sed abierunt in „ voluntatibus, et in pravitate cordis sui mali, a die „ qua egressi sunt patres eorum de terra Aegypti „ usque ad diem hanc." Neque tantum perinde, hic Judaei Dei vocem nunquam audivisse perhibentur; sed *audire* sumi in significatione, quae modo dicta est, sunt permulta in Scriptura etiam alibi exempla.

Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere: et illae sunt, quae testimonium perhibent de me: et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. V. 39. Scrutamini, in Graeco est ἐρευνᾶτε: quod potest vel indicativi, vel imperativi modi esse. Esse autem hic modi indicativi S. Cyrillus Alex. *lib.* 3. *in Joan. c.* 2. ex eo concludit; quod hoc verbum nexum sit cum eo, quod subsequitur: *Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.*

Claritatem ab hominibus non accipio, sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. V. 41. Arguebat modo Christus Judaeos, quod ad eum, per quem vitam adipiscerentur, nollent venire. Istud ne videretur facere ex ambitione, et gloria, quam ex discipulorum turba quaereret, negat, se claritatem ab hominibus accipere: quam vero ipsi ei denegent, quia Dei charitatem in se non habeant: quam si haberent, ejus Filium susciperent, non exitiali odio insectarentur. *Ego veni in nomine Patris mei, et non recipitis me: si alius venerit in nomine suo,*

illum accipietis. Est ejus declaratio, quod dixerat, ipsos Dei amorem, et reverentiam non habere, qui ejus Filium non susciperent. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis?* Gloriam, quae a solo Deo est, in Graeco est, τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ μόνου Θεοῦ: quod vero hunc sensum hocce loco habet: *Gloriam, quae solius Dei est.* Qua ratione praepositio παρὰ etiam Marc. 3. v. 21. sumitur: καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ᾽ αὐτοῦ, *Et audientes, qui ipsius erant*, Christi videlicet, et intelliguntur ejus propinqui. Nullum vitiosum affectum fert Evangelium. Itaque Christus neminem intraturum in regnum caelorum dixit, nisi ea, qua parvuli, humilitate praeditus esset. *Matth.* 18. v. 3. Quod ergo suscepti jam Evangelii fructum aufert, idem etiam obstaculo est, suscipiendo Evangelio. Idem jam etiam de divitibus vidimus esse dictum a Christo. *Matth.* 19. *v.* 24.

Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est, qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan (ἂν, *utique*) *et mihi. De me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* V. 45. Judaei sic infra C. 9. v. 29. loquuntur: „Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus: „hunc (Christum) autem nescimus, unde sit.“ Quatenus ergo Moyses apud ipsos habuit auctoritatem, quam Christo nullam dederant, consequens erat; ut si Moysi non crederent, minus Christus ipsis faceret fidem.

CAPVT VI.

Illi ergo homines, cum vidissent, quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. V. 14. Illi homines, quos Christus panibus per prodigium multiplicatis satiaverat in deserto. Per hunc vero Prophetam Messiam intellexerunt, utpote, quem Judaei exspectarunt, et modo etiam adhuc exspectant, sed sua opinione futurum terrestrem regem. Atque hoc est, quod, ut sequente versiculo est, paraverint venire, ut Christum raperent, et facerent regem.

Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? Respondit eis Jesus, et dixit: Amen, amen dico vobis: quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim signavit Deus. V. 25. ἐσφράγισε, significat, obsignare, et signi sui appositione testificari. Idem verbum jam etiam supra fuit C. 3. v. 32. „ Nihil aliud „ est, signavit Pater, quam ostendit, revelavit „ testimonio suo. „ *S. Chrysostomus homil.* 44. *in Joan.*

Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Respondit Jesus, et dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, ut videamus, et credamus tibi? quid operaris? V. 28. Atqui viderunt cum alia jam signa, et prodigia, tum

illud multiplicati panis, et quo viso dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum. Nempe summa hominum istorum fuit inconstantia. Deinde illud quoque signum multiplicati panis ideo tantum eos moverat, ut regem vellent proclamare Christum, quod ventres suos eo pane implere potuerint, quemadmodum Christus ipsis objecit: *Quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.* Cum autem exspectatione sua panis, denuo dandi, frustati essent; prius etiam beneficium contemptui habuerunt, dicendo, tale non esse hoc signum, quale fuit manna, eorum patribus datum e caelo: *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de caelo dedit eis manducare.*

Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum. Panis enim Dei est, qui de caelo descendit, et dat vitam mundo. V. 32. Vitae sustentaculum est alimentum. Eo verior ergo panis, quo magis sustentat vitam. Non autem manna, sed Christus praestat vitam, atque hanc perennem. Hac itaque ratione Christus, et manna negavit esse panem, et se verum dixit esse panem, utpote qui vitam det mundo.

Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitae: qui venit a me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquam. V. 34. „ Vtroque illa significatur aeterna satietas, ubi nulla est egestas.„ *S. Aug. Tract.* 25. *in Joan. Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et non creditis. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* Sic deinde etiam in-

fra. C. 10. v. 25. dicebat Christus Judaeis: „Lo-„ quor vobis, et non creditis — — sed vos non „ creditis, quia non estis ex ovibus meis.„ Dum ergo Christus dixit, omnem ad se venire, quem ei Pater dat; intelligitur, fidem, qua credimus in Christum, esse donum solius Dei.

Murmurabant ergo Judaei de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi, et dicebant: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem, et matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de caelo descendi? Respondit ergo Jesus, et dixit eis: Nolite murmurare in invicem. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: et ego resuscitabo eum in novissimo die. V. 41. „ Magna gratiae commenda-„ tio (ait S. Augustinus *Tract.* 26. *in Joan.*) ne-„ mo venit, nisi tractus.„ Ergo vis infertur humanae voluntati? Hanc quaestionem tractat eodem loco S. Augustinus, et solvit. Neque enim quempiam eo, quod Dei gratia praeventus sit, invitum credere: sed quod Gratia Dei ex nolente volentem faciat, ut his ipsis verbis dixit idem S. Augustinus *lib.* 3. *Oper. imperf. contr. Julian. c.* 122. Illud videlicet per gratiam Dei homini confertur; quo et intellectu suo videat, et corde suo id velit; quod ei, ut credat, atque faciat, proponitur. Trahi autem dicimur, quia eousque in nobis cor manet lapideum, nec cedit sibi propositae veritati; donec tantum Dei gratia molle, atque obsequens fiat. „ Auferam (sunt Dei verba „ apud Ezechiel. 11. v. 19. de hac promissione „ Gratiae) cor lapideum de carne eorum: et da-„ bo eis cor carneum. “ „ Cor (autem) lapideum „ non significat nisi durissimam voluntatem, et „ adversus Deum omnino inflexibilem, „ ut ait S. Augustinus *lib. de Grat. et liber. arbitr. c.* 14.

Hoc

Hoc idem infra V. 66. est expressum sic: *Nemo potest venire ad me, nisi ei fuerit datum a Patre meo.*

Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei (Isa. 54. v. 13.) *Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo: hic vidit Patrem. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam aeternam. Ego sum panis vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de caelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* V. 45. Cum hoc de pane, qui de caelo descendit, ut non moriatur, qui ex hoc manducaverit, sit dictum per oppositionem cum manna, quod quamvis patres eorum manducassent, tamen mortui sint, et liberatio a morte per Christum non ea intelligatur, quae sita est in separatione animae a corpore; sequitur, ut mors, qua patres eorum interierunt, etiam sit intelligenda aeterna, posita in poenis, quas impii luent sempiternas. Est autem hoc dictum non de omnibus, qui manna comederunt; sed secundum eam illorum partem, de qua dictum est per Apostolum: „Sed non in pluribus eorum „ beneplacitum est Deo. Nam postrati sunt in de„ serto. „ 1. *Cor.* 10. *v.* 5.

Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. V. 51. Postquam V. 41. Judaei murmurassent adversus Christum, quod se dixisset, panem vivum esse, qui de caelo descendit, idem iterum modo ipsis repetiit, et confirmavit. Nec hic substitit, sed sic deinde ulterius processit: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quod cum dixisset, *Litigabant ergo Judaei ad invicem, dicentes:*

Qomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Christus cum se prius panem vivum, qui de caelo descendit, esse dixisset; statim etiam explicuit, quomodo manducandus esset, dicens: *Ego sum panis vitae: qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquam.* V. 35. Nec quidquam adversum hoc Judaei obmoverunt, cum clare ipsis esset explicatum, manducare hunc panem vivum, et e caelo missum, esse nihil aliud, quam venire ad Christum, et credere in illum: sed tantum illud ipsos torsit, adversum illud murmuraverunt; quod se panem vocans dixerit e caelo descendisse, sic Christo obloquentes: *Cujus novimus patrem, et matrem: quomodo ergo dicit hic: Quia de caelo descendi?* V. 42. Cum autem modo ulterius dixisset: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, et jam istud Judaei de esu tali intellexissent, quali carnes mandi vulgo solent, litigabant, disceptabant (ἐμάχοντο) ad invicem, quomodo Christus posset suam illis carnem dare ad manducandum.

Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis. V. 54. Panem, quem se daturum Christus dixerat, suamque carnem esse affirmaverat; sibi ad comedendum velle dare Christum more aliarum carnium, intellexerunt Judaei. Itaque, quomodo, inquiunt, potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? „ Quia (ergo) prius dixerant id impossibile es„ se; (sunt verba S. Chrysostomi *homil.* 47. *in* „ *Joan.*) ostendit, id non modo non impossibi„ le, sed etiam valde necessarium esse. „ Nisi Christus, Judaeis respondendo, de verae suae carnis esu locutus esset, adversus quem discepta-

runt Judaei, hoc ejus responsum non tantum compositum ad eos fallendos fuisset; sed neque ratio etiam illa fuisset ab eo observata, quae debet esse recta sermocinandi: in qua, qui partes habet respondendi, verba alterius, cui respondet, sic debet, quemadmodum ille, sumere: nisi forte vel propositionem non intellexisset, vel scienter alterum vellet eludere, atque fallere. Quod vero neutrum cadere in Christum potest. Cum ergo Judaei per panem, quem se daturum Christus dixit, carnemque suam esse affirmavit, omnino veram ejus carnem intellexerint, atque hanc, quam Judaei intellexerant, Christus manducandam ipsis esse, si vitam habere vellent, asseveraverit; sequitur, hanc ejus carnem esse veram etiam, atque proprie intelligendam.

Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. Haec dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? V. 55. Ergo neque ista Christi verba etiam ipsi ejus discipuli aliter intellexerunt, quam de verae carnis esu, idque in sensu proprio. „Non crediderunt, ait S. Augustinus „*Tract.* 27. *in Joan.* aliquid magnum dicentem, „et verbis illis aliquam gratiam cooperientem:

„ sed prout voluerunt, ita intellexerunt, et more „ hominum: quia poterat Jesus, aut hoc dispo- „ nebat Jesus, carnem, qua indutum erat Ver- „ bum, veluti concisam, distribuere credentibus „ in se. Durus est, inquiunt, hic sermo, quis pot- „ est eum audire? „

Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis adscendentem, ubi erat prius? Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt. V. 62. Cum Christus sciverit, quomodo discipuli suae carnis esum sumpserint, de quo locutus est, et idcirco ipsis dixerit: *Hoc vos scandalizat?* satisne apparet, sic illos interrogando, idem confirmasse, contra quod discipuli ipsius murmuraverant? Ergo panis ille, quem se daturum, suamque carnem futuram dixit Christus, proprie dicta ipsius caro est. Etiam inde hoc patescit, quod non tantum hunc sensum deinde non abnuerit, non reprobaverit, non falsum esse declaraverit, sed dixerit: *Si ergo videritis Filium hominis adscendentem, ubi erat prius?* Nam cum hoc allatum a Christo sit, tanquam difficilius creditu, quam alterum esset de esu suae carnis, et quod tamen ipsos credere oporteret, idque eum in finem, ut doceret, eo magis id, quod dixit de esu suae carnis credi posse, adversus quem discipuli murmuraverunt, nullum relinquitur dubium, quin Christus murmurationi discipulorum respondens esum etiam carnis suae asseruerit, prout hic non figurate, verum proprie fuit a discipulis intellectus. Praeter esum vero carnis, sumptae proprie, quem Christus confirmavit, modum comedendae carnis Christi talem discipuli insuper conceperant, qualis

edendi est animalium carnes concisas, assasque, vel elixas, idque ad nutriendum corpus. At jam hanc opinionem Christus non approbavit, sed docuit, praeposteram esse. *Spiritus est*, inquit, *qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt.* Quis spiritus intelligitur, qui nos vivificet? Spiritus Christi. Factus enim nobis est Christus in Spiritum vivificantem. 1. *Cor.* 15. *v.* 45. De eodem sunt ejusdem Pauli verba: „ Si „ quis Spiritum Christi non habet, hic non est „ ejus. Si autem Christus in vobis est; corpus „ quidem mortuum est propter peccatum, spiri- „ tus vero vivit propter justificationem. „ *Rom.* 8. *v.* 9. Itaque caro, inquit, non prodest quidquam, videlicet sine Spiritu Christi, qui vivificet: et quomodo discipuli carnem Christi sumpserant, ut ederetur. *Verba, quae locutus sum vobis, Spiritus et vita sunt:* verba, quae de esu carnis meae locutus sum vobis, ad spiritum, et vitam tribuendam pertinent, non ad corpus pascendum meis carnibus, non ad ventres farciendos, et implendos.

CAPVT VII.

Post haec autem ambulabat Jesus in Galilaeam. Fuit modo Christus Capharnai, quae civitas etiam fuit Galilaeae, ubi superiorem sermonem suum habuit: hinc ergo in Galilaeam ambulavit, hoc est, in alia Galilaeae loca. *Non enim volebat in Judaeam ambulare, quia quaerebant eum Judaei interficere. Erat autem in proximo dies festus Judaeorum, Scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judaeam, ut et discipuli tui videant opera tua, quae facis.* V. 1. Qui Christi fratres vocentur in Evangelio, demonstratum est ad Matth. 13. v. 55. Hi vero discipuli, de quibus hic sermo est, non sunt illi, quos sibi Christus delegerat, et ad praedicandum miserat, sed alii auditores Christi ex Judaeis. *Nemo quippe in occulto quid facit, et quaerit ipse in palam esse. Si haec facis, manifesta teipsum mundo. Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Neque hi etiam erant contenti illis miraculis, quae jam fecerat Christus, quemadmodum superiore capite Capharnaitae, sed majora expetebant, ex quibus agnoscerent, verene esset Messias. Petendo autem, ut se manifestaret mundo, volebant, ut se Messiam declararet, sed talem, qualem opinabantur ipsi hunc futurum, cujus regnum omne mundanum, et simile aliorum regum in mundo esset.

Dicit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advenit: tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos;

me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt. V. 6. Antecessit, Christum ideo noluisse in Judaeam ambulare, quod Judaei interficere ipsum quaererent. Hoc ergo suum etiam tempus esse dicit, quodque nondum advenerit, quo se Judaeis ad occidendum tradat: at illorum tempus semper esse paratum, quibus nihil ab Judaeis adversi impendeat, quippe, qui perinde, ut illi, increduli Christo essent.

Vos adscendite ad diem festum hunc: ego autem non adscendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est. Haec cum dixisset, ipse mansit in Galilaea. Vt autem adscenderunt fratres ejus, tunc et ipse adscendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto. V. 8. Vbi est: *Ego autem non adscendo*, codices Graeci typis editi complures habent: Ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω, *Ego nondum adscendo.* Porphyrium hinc, quod Christus dixerit, se non adscensurum ad diem festum, et tamen adscenderit, telum sibi fabricavisse adversus veritatem Evangelii, ipsiusque Christi haec verba, quasi non fuissent veridica, docet S. Hieronymus *lib.* 1. *contr. Pelag.* Itaque hanc Porphyrii objectionem, ut declinarent, esse a quibusdam hunc locum ita mutatum, quemadmodum dictum est; vel etiamsi ille nihil objecisset, ut difficultatem evitarent, sua sponte incurrit in oculos. Cum lectione vero nostra Vulgata consentiunt Codices mss. Graeci, Versio Syriaca, Arabica, aliaeque Orientales. Dum vero jam ipse Evangelista, postquam retulit, Christum dixisse, se ad diem festum non adscensurum, attamen deinde adscendisse, apposuit, id eum fecisse non manifeste, sed quasi in occulto; ut praecaveret, ne videri posset, Christum ei, quod se facturum di-

xit, contrarium fecisse; ostensum est, Christum, cum se prius negasset adscensurum, deinde vero adscenderit, non eadem ratione negasse hoc se facturum, qua hoc postea fecit. Nempe fratres Christi voluerunt, Christum sic tunc ire Jerosolymam ad diem festum, ut se manifestaret mundo, atque regalem jam suam potestatem inciperet exercere, seque in fulgore dignitatis regiae, Judaeorum regem exhiberet. Cum ergo istis se negavit adscensurum, ista ratione, qua petitum fuit, negavit, non simpliciter. Id, quod inde etiam perspicuum fit: siquidem ideo dixerit se non adscensurum, quod tempus ipsius nondum advenerit: nempe, ut cum declaratione regiae suae dignitatis, atque ostensione intraret Jerosolymam. Nam ubi tempus hoc venisset, quod fuit, quando se Judaeis occidendum dedit, sic intravit Jerosolymam, ut ejus ingressus speciem habuerit cujusdam regalis, et triumphalis ingressus inter ramos arborum, qui ei praeferebantur, perque stratas vestibus vias, et inter gratulabundas voces multitudinis ovantis, quibus rex salutabatur, eique acclamatum fuit.

Judaei ergo quaerebant eum in die festo, et dicebant: Vbi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est; alii autem dicebant: non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judaeorum. V. 11—13. Fuit supra de Judaeis, quod Christum quaesiverint interficere: nempe aliqui. Hi vero potissimum Judaeorum primores erant, sacerdotes, scribae, Pharisaei. Nam turbas, utpote quae ei adhaeserint, etiam hic iidem isti criminabantur, a Christo seductas esse.

Jam autem die festo mediante (τῆς ἑορτῆς μεσούσης, quod Syrus, et Arabs vertit: *Cum*

dies festi dimidiati essent) *adscendit Jesus in templum, et docebat. Et mirabantur Judaei, dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Respondit eis Jesus, et dixit: Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* V. 14 — 16. Infra C. 17. v. 10. sic Christus loquitur ad Patrem: „ Et mea omnia tua sunt, et „ tua mea sunt. „ Itaque eamdem doctrinam dicit, suam esse doctrinam, et non suam, sed Patris: suam, quia omnia, quae Pater habet, ipsius sunt; non suam, ratione originis, quam a Patre acceperit. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit; an ego a meipso loquar. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit. Qui autem quaerit gloriam ejus, qui misit eum; hic verax est, et injustitia in illo non est.* V. 17, 18. Poterant advertere, et videre clare, ipsius doctrinam, et institutionem omnem tendere ad Dei gloriam, et ad quem colendum omnes studeat adducere. Quare hinc aestimare etiam poterant, Deone contrarius in eo esset, quod docebat.

Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem? V. 19. Traduxerant Christum velut violatorem legis de sabbato, ut etiam interficere ideo conarentur, quod hominem illum infirmum ad Probaticam piscinam sabbato sanasset. Quod ergo Christo Judaei crimini dederunt immerito; isto illos arguit ex aequo, et eorum merito. *Quid me quaeritis interficere? Respondit turba, et dixit: Daemonium habes: quis te quaerit interficere? Respondit Jesus, et dixit eis: Vnum opus feci, et omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus, et in sabbato circumciditis hominem.*

Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi; mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato. Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. V. 20 — 24. Vnum opus feci, et omnes miramini, *θαυμάζετε*: „Id est, „turbamini„ ait S Chrysostomus *homil.* 49. *in Joan.* Graecum verbum *θαυμάζω* habet etiam significationem hujus: *οὐκ ἀποδέχομαι*, *Improbo*, *detestor* apud Plutarchum in Lycurgo, et alios Graecos scriptores.

Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis: Nonne hic est, quem quaerunt interficere? Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus, unde sit; Christus autem cum venerit, nemo scit, unde sit. V. 25 — 27. Judaei V. 42. praedicabant se scire, Christum ex semine David, et ex castello Bethlehem debere venire. Non ergo omnium Judaeorum in hoc judicia erant aequalia, et consona.

Clamabat ergo Jesus in templo docens, et dicens: Et me scitis, et unde sim, scitis: et a meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum: quia ab ipso sum, et ipse me misit. V. 25 — 29. Hoc: *Et me scitis, et unde sim, scitis:* Christus attulit tantum, ut ab ipsis Judaeis fuit dictum, se scire, unde Christus esset: non ex sua sententia, qui subsequentis Cap. v. 19. iisdem dixit Judaeis: „Neque me scitis, neque Patrem „meum.“

Quaerebant ergo eum apprehendere, et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus. De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant: Christus cum ve-

nerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit? V. 30. 31. Hoc est, si iste non esset Christus, sed is tantum adhuc venturus esset, num plura signa ab eo exspectanda essent, quam hic faciat? In quem enim crediderunt, hunc etiam vere esse Messiam credentes, alium post hunc non exspectaverunt.

Audierunt Pharisaei turbam murmurantem (mussitantem) *de illo haec: et miserunt Principes, et Pharisaei ministros, ut apprehenderent eum. Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, et vado ad eum, qui me misit. Quaeretis me, et non invenietis, et ubi ego sum, vos non potestis venire. Dixerunt ergo Judaei ad semetipsos. Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes? Quis est hic sermo, quem dixit: Quaeretis me, et non invenietis, et ubi ego sum, vos non potestis venire?* V. 32—36. Christum, postquam ex hoc mundo abiit, quo animo, et quali voluntate Judaei quaesiverunt? Iisdem etiam subseq. Cap. v. 21. dixit: „Ego vado, et quaeretis me, et in peccato vestro moriemini: quo ego vado, vos non potestis venire.“ Palam ergo est, eos, qui in peccato suo morituri erant, non meliore voluntate quaesivisse Christum, postquam ab eis discessit, quam erga eum fuerint affecti praesentem.

In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. V. 37 — 39. In Thal-

mud Judaeorum est, hoc ultimo die Scenopegiae, et Tabernaculorum festi fuisse morem Judaeis hauriendi aquam ex fonte Siloe, et fundendi super altare, idque magna cum laetitia. Cujus vero moris nullum in Scriptura vestigium est. Qui ergo Interpretes, (sunt hi Neoterici) hinc repetunt istud Christi factum clamantis, et invitantis ad se, offerentisque aquam, nullo nituntur certo fundamento. Spiritus sancti donum, per Christum conferendum, nomine aquarum expressum est Isa. 12. v. 3. C. 44. v. 3. C. 55. v. 1. Ezech. 36. v. 25. Quod ergo de Christo per Prophetas praedictum fuit hoc aquarum nomine; hoc is etiam de se eadem ratione, et verborum forma praedicavit. Per flumina, fluxura ex ejus ventre, qui crediderit, Vbertatem, et copiam gratiae, ait S. Chrysostomus *homil.* 51. Christus indicavit, quem ad modum is alibi etiam dixerit, aquam, quam daturus esset, futuram in fontem aquae salientis in vitam aeternam. *Joan.* 4. *v.* 14. Est autem metaphora, ducta a vase, quod tunc uberrime impletum est, quando infusus liquor exuberat, et diffluit. Hoc, Spiritum sanctum nondum esse datum, quia Jesus nondum erat glorificatus, est de ea Spiritus sancti missione, quae jam virtute novi foederis, quod Christi sangvine sancitum est, facta est, et coepit die Pentecostes, de qua Christus etiam infra C. 16. v. 7. ad Apostolos dixerat: „Expedit vobis, ut ego vadam: „si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad „vos: si autem abiero mittam eum ad vos." Quamvis enim Spiritus sanctus jam prius fuerit datus etiam Apostolis, *Joan.* 20. *v.* 22. nec omnino justus aliquis esse potuerit absque Spiritus sancti dono, et gratia; haec tamen nonnisi anticipatio fuit gratiae ob Christum venturum, atque foedus icturum, vi cujus Spiritus daretur, et vita aeterna: quin tamen etiam ii, qui justi fuerunt ante

adventum Christi, consecuti jam illud etiam, quod per Christum in futura vita exspectamus, et consummati, ut inquit S. Paulus *Hebr.* 11. *v.* 40. sint: quod futurum tantum est, in resurrectione nostra, corporibus etiam nostris suscitatis ad vitam, et repositis ad immortalitatem.

CAPVT VIII.

In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant, tentantes eum, ut possent accusare eum. V. 5, 6. Fuit jam tum Judaeis jus necis per Romanos sublatum. Eo itaque spectabat quaestio haec de adultera, possentne jure suo, sibi per Moysem dato, et constituto, et deberentne plectere eam, lapidationisque supplicio afficere citra Romani Praesidis auctoritatem. Si ergo annuisset, Praesidi, adversus cujus potestatem locutus fuisset, eum accusassent; sin negasset, apud suos, velut legis, per Moysem datae, contemptorem, reum egissent. Atque in hanc partem videntur ejus responsum exspectasse, quem jam prius etiam sabbati violatorem criminabantur.

Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cum ergo perseverarent, interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat, et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem unus

post unum exibant, incipientes a senioribus, et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans. Erigens autem se Jesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnavit? Quae dixit: nemo Domine. Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnabo. Vade, et jam amplius noli peccare. V. 6 — 11. Quid Christus scripserit in terra, dum Evangelista tacet, exponi non potest. Cum vero inter scribendum urgentibus responsum dixerit, ut qui ex his sine peccato esset, primus in hanc mulierem mitteret lapidem, atque hi, alius post alium exiverint; conjectura esse potest Christum, hac scriptura his accusatoribus ob oculos ea posuisse, quibus ipsi obstricti tenerentur criminibus, et fortasse multo etiam gravioribus, magisque supplicio dignis: quam ob rem etiam se se subduxerint, cum observassent, Christum suorum scelerum conscium esse, metu, ne sibi palam ista, coramque multitudine ab eo objicerentur.

Hanc totam narrationem S. Hieronymus *lib.* 2. *cont. Pelag. c.* 6. docet, in multis codicibus tam Graecis, quam Latinis, sua aetate, non exstitisse. Etiam interpretes Graeci passim eam praeterierunt silentio. Attamen non eo minus S. Hieronymus pro germana Scriptura habet in hoc ipso etiam loco, nec non Latini Patres omnes, et ex Graecis, Tatianus, et Ammonius, quorum iste seculo Ecclesiae tertio, ille secundo vixit, Auctor quoque Constitutionum Apostolicarum, et Synopseos inter Opera S. Athanasii. Etiam Codices tam mss. quam typis editi longe plures sunt, in quibus exstat haec narratio, quam ii sint, ex quibus deest. Habent eam quoque versiones, Syriaca, Arabica, Aethiopica, et Persica. S. Augustinus *lib.* 2. *de Conjugiis adulterin. c.* 7. docet, hanc omissionem istius narrationis accidis-

se ex praepostero aliquorum metu, ne fortasse hinc licentia praeberetur peccandi conjugibus ex indulgentia Servatoris erga hanc adulteram.

Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. Dixerunt ergo ei Pharisaei: Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Respondit Jesus, et dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio, unde veni, et quo vado. Vos autem nescitis, unde venio, aut quo vado. V. 12—14. A Patre venit, hoc est, quod deinde infra V. 42. apertius adhuc dicit his verbis: *Ego ex Deo processi, et veni: neque enim a meipso veni, sed ille me misit.* Fide ergo dignum etiam pro seipso erat testimonium proprium, utpote divinum. Ad Deum erat iturus, id quod secundum humanam ejus naturam factum est. Ex quo probabat, sibi fidem esse adhibendam etiam ut homini, dum se lucem mundi praedicasse. Si enim mendax esset, ad Deum ire non posset. Iturus autem cum esset sic, ut ad dextram etiam Dei consideret, idque jure suae cum Patre aequalitatis, et unde consequens erat, se, quem hominem viderent, esse etiam Deum; fidem rursus vindicavit sui testimonii, quod a se homine etiam datum, tamen esset divinum, adeoque fide dignum. Arguebat tamen ipsos, hoc neutrum scire, eo quod nollent in eum credere.

Vos secundum carnem judicatis; ego non judico quemquam. V. 15. Ego non judico quemquam, intelligitur idem hoc: secundum carnem, quod fuit in anteriore parte. Quid hoc est secundum carnem? secundum speciem externam humanam: quam solam in Christo Judaei considerantes,

et nihil nisi hominem esse putantes, non rectum judicium de eo, quis esset, tulerunt. *Etsi judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, et qui misit me Pater.* V. 16. Intelligitur judicium de ejus, quod testabatur, veritate. *Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.* (Deut. 17. v. 6.) *Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* V. 17, 18. Lex illa est, ne ad unius testimonium quispiam condemnaretur, sed testes minimum debere esse duos. Possunt vero etiam duo homines falsum testari: attamen ut fide dignum haberetur tale testimonium, praecipiebat lex. Ergo duorum hominum verum esse testimonium tantumdem est, quantum fide dignum. *Dicebant ergo ei: Ubi est Pater tuus?* Respondit Jesus: *Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan* (ἐὰν, *utique*) *et Patrem meum sciretis.* V. 19. Pater enim non est sine filio, nec filius absque patre. Si ergo Christum agnovissent esse Dei filium, necessario etiam devenissent ad cognitionem Dei Patris.

Dixit ergo iterum eis Jesus: Ego vado, et quaeretis me, et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. Dicebant ergo Judaei: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit, quo ego vado, vos non potestis venire? Et dicebat eis: Vos de deorsum estis: ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis; ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui et loquor vobis. V. 21 — 25. Christus dicendo: *Ego sum*, quem se intellexit esse? Moysi,

si, Deus in rubo ardente apparens, sic etiam respondit cupienti scire ejus nomen: „Ego sum, „qui sum. Sic dices filiis Israel: Qui est, misit „me ad vos." Exod. 3. v. 14. Etiam infra V. 58. rursus Christus de se dixit: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* His ergo verbis, Christus indicavit se Deum esse, et hoc Judaei intelligere potuissent. Non intellexerunt autem, sed ulterius quaesiverunt: *Tu quis es?* Respondit Jesus: *Principium, qui et loquor vobis:* τὴν ἄρχην ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Istud vero τὴν ἀρχὴν, vel etiam tantum ἀρχὴν absque articulo solet etiam usurpari adverbialiter pro *primum*, ante omnia. Itaque Christus interrogatus, quis esset, respondit in huncce sensum: Sum illud primum, sum illud, quod est ante omnia: quod et dico vobis, illud videlicet, me esse. Hunc esse horum verborum sensum, quibus divinitatem suam Christus expresserit, licet Judaei Christum de hac loqui, non perspexerint, declarat ipse Evangelista in subsequentibus verbis: *Multa habeo de vobis loqui, et judicare. Sed qui me misit, verax est, et ego, quae audivi ab eo, haec loquor in mundo. Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum:* οὐκ ἔγνωσαν, ὅτι τὸν Πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν: *Non intellexerunt, quod Patrem ipsis diceret.* V. 26, 27. Quomodo vero Patrem ipsis dixerat? Interrogatus ab ipsis, quis esset, respondit, se illud esse, quod est primum, ante omnia. Jam vero dixerat etiam V. 18. Patrem sibi esse, qui ei perhibeat testimonium, et de quo, ubi esset, Judaei ulterius quaestionem moverant. Dum ergo eum se confessus esset, qui sic sit, ut fuerit omnium primo, quoque suam aeternam existentiam indicavit, insuper autem Patrem se habere professus sit, et unde aeternitas etiam Patris intelligi deberet, cujus ipse aeternus esset Filius,

nec alius nisi Deus aeternus sit; isto modo Judaeis Christus dixerat, quis ejus Pater esset: sed quod non perspexerunt, et quo mente sua non pervenerunt Judaei.

Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, et a meipso facio nihil: sed sicut docuit me Pater, haec loquor. V. 28. Per exaltationem Christi crucis supplicium, quod pertulit, intelligitur. *Joan.* 3. *v.* 14. Miracula, quae contigerunt, dum Christus actus in crucem fuit, et mortuus, videlicet, solis obscuratio, terrae motus, monumenti, ubi Christus a morte surrexit, per Angelos apertio, hujusque rei per ipsos custodes milites nunciatio, deinde miracula per Apostolos patrata in confirmationem de Christo, qui a morte suscitatus sit; testabantur omnino vera esse, quae Christus de se praedicavit: et alii tunc crediderunt, et Christum agnoverunt; alii quamvis credere praefracte noluerint, etiam suae conscientiae testimonio revincebantur, uti hoc factum est in Principibus sacerdotum, et senioribus, quibus nihil opus fuisset, pecunia corrumpere milites, custodes sepulcri, nisi hoc, quod per eos nunciatum est, verum esse credidissent. Matth. 28. v. 12.

Et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum: quia ego, quae placita sunt ei, facio semper. Haec illo loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judaeos: Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Responderunt ei: Semen Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis? V. 29 — 33. Non Christo ii, qui crediderunt, istud responderunt, sed ceteri. Neque

enim Christo credidissent, si ei contradixissent. Est deinde infra V. 37. ad hos eosdem dictum a Christo: „Quaeritis me interficere, quia sermo „meus non capit in vobis." Nam hoc pariter non fuit eorum, qui se Christo tradiderunt. Falsissimum quoque est, ipsos numquam servivisse, qui etiam tum subjecti Romanis essent.

Respondit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in aeternum. V. 34, 35. Hoc est, non habet jus manendi. Potuit enim a domino expelli, vendi. *Filius autem manet in aeternum. Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* V. 35, 36. Omnes peccavimus in Adamo. Ergo omnis homo obnoxius est servituti peccati, idque eousque, donec per Christum liberetur. Illi itaque servi erant peccati, qui in Christum credere nolentes, libertatem per eum adepti non sunt. Servus non manet in domo. Ex quo sequebatur, ipsos non futuros haeredes bonorum, quae Deus spopondit Abrahae, ejusque posteris. *Gal.* 4. *v.* 30, 31.

Scio, quia filii Abrahae estis: sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego, quod vidi apud Patrem meum, loquor: et vos, quae vidistis apud patrem vestrum, facitis. V. 37, 38. Quem hocce loco Christus patrem horum Judaeorum intellexerit esse, ex V. 44. planum fit, ubi iisdem sic loquitur: „Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris „vestri vultis perficere." „Cujus filii (sunt verba S Augustini *Tract.* 42. *in Joan.*) erant, in „quantum mali erant; non in quantum homines „erant; in quo imitati, non creati."

Responderunt, et dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus: Si filii

Abrahae estis, opera Abrahae facite. Nunc autem quaeritis me interficere, hominem, qui veritatem locutus sum vobis, quam audivi a Deo. Hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum. V. 39 — 41. Negavit Christus, ipsos esse filios Abrahae, cujus opera non facerent: sed arguit sui patris opera facere. Christum quaerebant interficere. Diabolus, ut adhuc sequetur, fuit homicida ab initio, utpote qui primum hominem cum tota sua posteritate praecipitem egit in mortem. Iste itaque intelligitur pater, cujus opera fecerant Judaei persequendo Christum. Responderunt hi, se natos ex fornicatione non esse, sed patrem se habere Deum. An intellexerint, diabolum dici a Christo eorum patrem; non satis ex eorum responso elucet. Tantum ex fornicatione se natos esse negant: se enim unum Deum colere: itaque hujus etiam se esse filios, velut legitimi patris, atque se non habere alium illegitimum patrem, per hunc intelligendo eum, qui Deus non est, quemque nullum talem colerent; qui cultus falsi numinis persaepe in Scriptura solet fornicationis nomine venire.

Dixit ergo eis Jesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi, et veni: neque enim a meipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum. V. 42, 43. Audiverunt sermonem Christi etiam tunc, sed non ita; ut assensum ei praeberent. „Ideo non poterant cognoscere, quia non „poterant audire: sed unde audire non poterant, „nisi quia corrigi credendo nolebant?" *S. Augustin. Tract.* 42. *in Joan.*

Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis perficere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus. V. 44. Judaei Christum quaerebant interficere, quemadmodum antecessit. Hoc ergo est, quod ipsos Christus ex diabolo patre dixerit esse, qui primus fuit homicida, hominique mortem comparavit, ad peccatum inducendo, quemque imitentur. Ille in veritate non stetit, hoc est, non perstitit, non perseveravit, a Deo, qui summa, et infinita veritas est, recedendo. Idem mendax est, ejusque pater, videlicet mendacii, ad quod nomen antecedens pronomen *Ejus* refertur.

Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? V. 45, 46. Quis me arguet de peccato? „Peccatum vocat mendacium," ait S. Cyrillus Alex. lib. 6. in Joan. *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Judaei, et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et daemonium habes?* V. 47, 48. Convitium utrumque fuit. Ad quorum alterum Christus respondit. Nam quod Samaritanus non esset, alioquin constabat omnibus.

Respondit Jesus: Ego daemonium non habeo: sed honorifico Patrem meum: et vos inhonorastis me. Ego autem non quaero gloriam meam: est, qui quaerat, et judicet. Ea, quae Christus opera stupenda fecerat, ipsasque daemonum expulsiones Judaei daemoniorum principi, quem Christus in se habeat, et cujus virtute perficiat illa opera, tribuerunt. *Matth.* 12. *v.* 24. Haec autem opera pertinebant ad afficiendum ho-

nore Deum, utpote quibus Christus homines adduceret ad Dei notitiam, et cultum. Non quaesivit vero Christus gloriam suam, hoc est, non expetiit satisfactionem sui honoris ab Judaeis laesi: qui tum non venerat, ut judicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum. *Joan.* 3. *v.* 17. Attamen denunciavit his, tempus venturum, quando divinum judicium subituri, atque poenas maledicentiae suae daturi essent.

Amen, amen dico vobis: Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum. Dixerunt ergo Judaei: Nunc cognovimus, quia daemonium habes. Abraham mortuus est, et Prophetae, et tu dicis: Si quis sermonem meum servaverit; non gustabit mortem in aeternum. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et Prophetae mortui sunt. Quem teipsum facis? Respondit Jesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est: et non cognovistis eum. Ego autem novi eum: et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo. V. 51. — 55. Huc, num major esset Abrahamo, respondit Christus: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Illa itaque intelligitur gloria, si ipse sibi testimonium tribuere voluisset de sua supra Abrahamum eminentia. Verum autem hoc fuisset testimonium. Ergo veram etiam hinc habuisset gloriam. „Quid ergo? sunt verba S. Chrysostomi „*homil.* 55. *in Joan.* nihilne est gloria ejus? Apud „illos nihil. Quemadmodum enim dicit: *Testi*„*monium meum non est verum* Joan. 5. v. 31. „nempe secundum illorum opinionem, sic et hoc loco dicit: *Est, qui glorificat me.*

Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gavisus est. V. 56. Eo hoc est dictum, ut majorem se Christus probaret esse Abrahamo, qui tantopere desideraverit Christi videre adventum, quemque cum vidisset, gavisus sit. Vidit autem jam fidei oculis eminus: postquam autem Christus in mundum venit, tempus hoc illius adventus, jam etiam praesentis, noscere potuit per divinam revelationem. *Dixerunt ergo Judaei ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* V. 57. Hoc Christus non dixit, quamvis et hoc fuerit: sed hoc Judaei tantum velut consequens ejus, quod dixerat, posuerunt. Nam si Christum vidit Abrahamus; sequitur, ut iste quoque videri a Christo potuerit. *Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.* V. 58, 59. „Blasphemare quippe il„lis visus est Dominus Christus, quoniam dixit: „Antequam Abraham fieret, ego sum." *S. Augustinus Tract.* 43. *in Joan.*

CAPVT IX.

Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. V. 4, 5. „ Quae est „ illa nox, quae cum venerit, nemo poterit ope- „ rari? Audi, quid sit dies, et tunc intelliges, „ quid sit nox. Vnde sumus audituri, quisnam „ sit dies iste? Ipse dicat: *Quamdiu in hoc* „ *mundo sum, lux mundi sum.* „ S. Augustinus *Tract.* 44. *in Joan.* Fuit vero Christus etiam postea lux mundi, et operabatur: sine quo nihil facere poterant Apostoli. *Joan.* 15. *v.* 5. Haec ergo lux intelligitur, quam Christus, in mundo conspicuus, per seipsum fudit, et fundere cessavit, ubi ei nox advenit: quin ideo lux non manserit ad illuminandum mundum, sed ministerio alieno, nec se conspicuum amplius praebendo.

Scimus autem, quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. V. 31. Sunt verba ejus hominis, qui a nativitate caecus lumen oculorum per Christum obtinuit. De ea vero auditione loquitur, quam Deus praestat invocatus ad faciendum prodigium. Deinde advertendum est, hunc hominem ad hoc dicendum non fuisse divino flatu instructum, ejusque verba tantum eatenus esse divinae auctoritatis; quatenus historice referuntur, non quantum attinet ad rem, quae per eum dicta est.

Et dixit Jesus: In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et

qui vident, caeci fiant. Et audierunt quidam ex Pharisaeis, qui cum ipso erant, et dixerunt ei: Numquid et nos caeci sumus? Dixit eis Jesus: Si caeci essetis, non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis: quia videmus; peccatum vestrum manet. V. 39 — 41. Hoc discrimen, ad quod inter videntes, et non videntes faciendum in mundum venerit, Christus judicium vocat. Quosnam vero videntes, et non videntes intellexerit, ex eo perspicuum fit; quod Pharisaeis, qui inter caecos poni noluerunt, dederit, caecos non esse: qui si caeci fuissent, et non habendo lumen sufficiens ad eum agnoscendum, non credendo non peccavissent. Cum ergo hi ipsi se professi essent videntes; ex hac propria confessione arguit illos, teneri obstrictos peccato, non credendo, non agnoscendo, ipsum esse Christum.

CAPVT X.

Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed adscendit aliunde, ille fur est, et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt, quid loqueretur eis. V. 1 — 6. Est sermonis, qui in superiore capite fuit, ad eosdem Pharisaeos continuatio. Illi se videntes praedicabant; iidem super cathedram Moysis sedebant, aliorumque doctores, et pastores erant: negat vero Christus, ipsos pastores esse, sed fures, et latrones ad mactandas, perdendasque oves: siquidem per ostium ad ovile non intrent, quod pastoris est. Se autem postea Christus declarat, ostium esse ad ovile, quia non nisi per ipsum introitus pateat ad ovile. Hoc ergo Christus hocce proverbio, id est, hac oratione figurata, sub imagine pastoris, ovium, et ovilis, docuit, istos, qui Christum non agnoscerent, tametsi ipsi sibi videntes viderentur esse, non tantum caecos esse, et in caecitate hac sua perituros, sed quoniam nec ad ovile per ostium, et Christum intrarent, utpote qui eos, quos docerent, non ad Christum dirigerent; non esse eorum, quos docerent, pastores, sed fures, et la-

trones: quos dum a Christo avertunt, in exitium mitterent. Pastorem oves suas vocare nominatim, significat habere adcuratam earum notitiam. *Isa.* 40. *v.* 36. *Psal.* 146. *v.* 2.

Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. Omnes, quotquot venerunt, fures sunt, et latrones, et non audierunt eos oves. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. Ingredi, egredi significat Hebraica consvetudine loquendi felicem negotiorum omnium fluxum. Psal. 120. v. 8. *Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant. Ego sum pastor bonus.* V. 7 — 11. Dum Christus pastorem se bonum dicit, eo, quod ovibus ipse vitam praestet, neque alterius sit tribuere ovibus vitam; sequitur, nonnisi unum etiam Christum esse pastorem bonum. Itaque infra V. 16. ipsius etiam Christi haec verba sunt: *Fiet unum ovile, et unus pastor.* Idem vero Christus pastor, cujus oves sunt propriae. Quamvis ergo et Prophetae in veteri Testamento fuerint pastores, et in Ecclesia etiam pastores constituerit Christus; *Eph.* 4. *v.* 11. hi tamen tantum unius Pastoris Christi sunt ministri, ad dispensandam ovibus vitam virtute, et nomine Christi. 1. Cor. 4. v. 1.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae. Sicut novit me Pater, et ego agno-

sco Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor. V. 11 — 16. Vtrobique: *Cognosco oves meas, et cognoscunt me meae,* et *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem,* verbum noscere, agnoscere, cognoscere sumptum est pro diligere, ut alibi etiam fit more Hebraeorum loquendi. *Psal.* 1. *v.* 6. *Psal.* 36. *v.* 18. Deinde eo, quod eum noscat Pater, atque ipse hunc etiam agnoscat; se se dicit Christus, animam suam ponere pro ovibus suis. Fecit vero hoc ex amore erga Patrem, cui factus obediens est usque ad mortem. *Philip.* 2. *v.* 8. Quare subsequente etiam versiculo deinde Christus: Propterea me, ait, diligit Pater, quia ego pono animam meam. Oves ex hoc ovili, intelliguntur ii, qui in Christum ex Judaeis crediderunt: oves, quas se adducturum dicit, sunt credentes in Christum ex Gentilibus. Ex quibus tam Judaeis, quam Gentilibus una facta est Ecclesia, cujus unus pastor, et caput Christus est.

Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso: et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo. V. 17, 18. Quo pacto mandatum de ponenda anima cum Christi libertate cohaeret? Nam si mandatum moriendi habuit, quomodo citra Paterni mandati neglectum liber a moriendo fuit? Etiam vero, quomodo libertas moriendi, vel non, Christo fuit, qui agere contrarie Dei mandato non potuit? siquidem neque peccare potuerit, utpote Persona divina. At vero non tale hoc mandatum, quod

Pater Christo de anima ponenda dedit, cogitandum est, qualia erga nos sunt, quae a Deo nobis dantur. In Christi enim personam divinam, quae mandato fuisset constricta, subjectio ista cecidisset. „ Cum dicit, se praeceptum accepisse „ a Patre; nihil aliud declarat, quam Patri pla„ cere, quod ipse facit. „ *S. Chrysostom. homil.* 60. *in Joan.*

Dissensio iterum facta est inter Judaeos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis: Daemonium habet, et insanit, quid eum auditis? Alii dicebant: Haec verba non sunt daemonium habentis. Numquid daemonium potest caecorum oculos aperire? Facta sunt autem Encaenia in Jerosolymis (memoria templi per Judam Machabaeum, et cultus in eo divini instaurati celebrabatur anniversaria 1. Mach. 4. v. 59.) *et hiems erat. Et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Judaei, et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis?* (αἴρεις, *suspensam tenes*) *Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis. Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me. Sed non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* V. 19—28. Fuit supra, fures, et latrones adscendere in ovile, mactare, atque perdere oves. Quot vero etiam illorum millia sunt, qui cum in ovili Christi, et in Ecclesia fuissent, postea per falsos doctores seducti ab orthodoxa fide desciverint, atque una ex numero ovium Christi exciderint, perierintque? Sed et

nunc, quam multi sunt, qui sic a Christo alienati, et vel corrupti in fide, vel in moribus depravati inter oves non manent, quibus vitam aeternam daturus Christus est? At vero Christus non has suas oves dicit esse, qui homines ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt, de his enim dicit Joannes: „ Ex nobis prodierunt, „ sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex no- „ bis, permansissent utique nobiscum: sed ut „ manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex no- „ bis „ 1. *Joan.* 2. *v.* 19. verum eos solummodo, qui ad fidem, et religionem vocati ita sunt, atque Christi ovili inserti, ut in eo perseverando ipsam etiam vitam aeternam adipiscantur. Hae itaque tantum intelliguntur oves, de quibus Christus dicit, quod pastorem sequantur, istiusque vocem sciant, notamque habeant; alienum autem non sequantur, sed ab hoc fugiant, eo, quod vocem alienorum non noverint, non didicerint, non susceperint. „ Tu vero permane in iis, sunt verba „ S. Pauli, ad Timotheum, quae didicisti, et cre- „ dita sunt tibi, sciens, a quo didiceris. „ 2. *Tim.* 3. *v.* 14. Eos quos Christus Ecclesiae suae praefecit pastores, et doctores, audire oves debent; non iis aures pandere, qui novas doctrinas afferunt.

Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est: et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego, et Pater unum sumus. V. 29, 30. Pars anterior V. 29. sic est in Graeco: Ὁ πατήϱ μου ὅς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐςὶ, *Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus est.* Hoc Christus attulit ad id probandum, quod proxime dixerat de suis ovibus, quas de ejus manu rapturus nemo sit: siquidem Pater has ei dederit, qui major, fortior, potentior omnibus sit, et de cujus manu has rapere oves nemo possit.

Se enim, et Patrem unum esse. Si ergo de Patris manu oves ejus rapere nemo potest, ergo neque de manu illius, cum ipse, et Pater unum sint. Hoc itaque, quod Christus dixit de sua cum Patre unitate, clarum, et evidens est, dictum de potentia esse, quae eadem ipsius, et Patris sit. Ex hac autem Christi, et Patris una, eademque potentia intelligebatur, etiam ab ipsis Judaeis, Christum sibi asserere eamdem cum Patre divinitatem.

Sustulerunt ergo lapides Judaei, ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Judaei: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, cum homo sis, facis teipsum Deum. V. 31 — 33. „Ecce Judaei intellexerunt (sunt verba S. Augustini *Tract.* 49. *in Joan.*) quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt, non posse dici: *Ego, et Pater unum sumus*, nisi ubi aequalitas est Patris, et Filii. „ Intellexerunt Judaei, quod non intelligunt nostri etiam Interpretes neoterici. Nam sicut Ariani, ita hi quoque istud: *Ego, et Pater unum sumus*, tantum de convenientia, et consensione voluntatis Christi cum voluntate Patris in eamdem rem, intelligendum esse contendunt. Qualinam autem argumento nituntur? Ex verbis, quibus iterum Judaeis respondit Christus, hunc sensum volunt elicere. Primum ergo videamus haec verba.

Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi: dii estis? (Psal. 81. v. 6.) *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi: Fi-*

lius Dei sum? V. 34 — 36. Est argumentum, quod solet dici, a minori ad majus. Scripturam non posse solvi significat, non posse id, quod per eam asseveratur, cadere ad irritum. Illud autem, quod prius dixerat: *Ego, et Pater unum sumus*, asseveravit, et repetiit, sed aliis tantum hisce verbis: *Filius Dei sum*. Ergo etiam ex hac responsione Christi ad Judaeorum criminationem, quasi qui homo cum sit, se faceret Deum, elucet, sibi illud asseruisse Christum, ob quod Judaei blasphemiae reum habebant, et lapidare volebant, et asserendo, se Filium Dei esse, etiam sequitur, per id, quod prius dixit, se, et Patrem unum esse, divinitatem eamdem, quam Pater habet, de se professum esse. Quid ergo est hic, quod fascinet, non dico, Arianos, non Socinianos, quos aperta negatio divinitatis Christi ad interpretationem impulit dogmati suo consentaneam, sed Neotericos, ut divinitatem Christi, quam se dicunt credere, hic videre nolint? Agnoscunt, id, quod prius dixit Christus, se, et Patrem unum esse, aliis his verbis expressisse: *Filius Dei sum*. Atqui Filius Dei, inquiunt, numquam in Scriptura significat eum, quem Deus Deum filium genuerit; nec, dum hoc nomine Messias appellatur, aliud, quam humanitas ipsius attingitur, eo, quod Judaeorum de Messia, quem hominem tantum futurum crediderint, mos iste fuerit loquendi, quem nec Christus deserere potuerit. Hi ergo istud *Ego, et Pater unum sumus*, per hoc: *Filius Dei sum*, exponunt: et cur non hoc per illud? Sed per hoc: *Filius Dei sum*, exponant illud: *Ego, et Pater unum sumus*. Filium Dei esse, significatne, concordem habere voluntatem, quemadmodum verba ista: *Ego et Pater unum sumus*, sumunt? Ne per Filium Dei

Chri-

Christus secundum divinam naturam Filius Dei intelligatur, afferunt consvetudinem loquendi. At vero hoc: *Ego, et Pater unum sumus*, dum clarissimum est, de potentia esse dictum, quae Christo cum Patre una, eademque sit, idemque declarat, Filium Dei esse, significare hoc in loco divinitatem Christi; refellit etiam istum morem, qui adstructus a Neotericis est, adpellationem Filii Dei nusquam in Scriptura plus significare de Messia, quam ejus humanitatem. Falsitatem istius moris jam etiam demonstravi in Instit Herm. V. T. *tom. I. Cap.* 6. §. 15. 16. et censeo, luculentis argumentis. Hallucinantur itaque isti tam acuti interpretes in hoc ipso more loquendi: nedum per hunc recta ut possit esse interpretatio hujus: *Ego, et Pater unum sumus* de sola consensione Dei Filii, et Patris Eos Neotericos, qui sunt ex Catholicis, in fraeno debuisset tenere Patrum unanimis consensus in hujus: *Ego, et Pater unum sumus* intelligentia de Filii Dei, et Christi aequalitate in natura cum Patre, et insuper damnatio facta in Sardicensi concilio (apud Theodoret. in Synod. epist. hujus concilii) Arianorum, quod ista Christi verba tantum de consensu, et concordia intellexissent in voluntate, nisi et unanimem consensum Patrum, et judicium Ecclesiae in Scripturarum interpretatione, conculcato Concilii Tridentini decreto, effraeni licentia excussissent. Ex hoc vero, quod Pater ipsum sanctificaverit, et miserit in mundum, cum Christus se Judaeis probaverit Filium esse Dei; sequitur, per hanc suam sanctificationem Christum intellexisse suam ex Deo nativitatem. „Sic sanctificavit, (sunt „verba S. Augustini *Tract.* 48. *in Joan.*) quo„modo genuit. Vt enim sanctus esset, gignendo „ei dedit, quia sanctum eum genuit." Perinde

missio in divinis personis significat personae missae a mittente processionem.

Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre. V. 37, 38. Quid illud fuit, de quo disceptarunt Judaei adversus Christum, et quod credere noluerunt? nempe hoc, quod dixerat, se cum Patre unum esse, idque, quemadmodum demonstratum est, quoad potentiam, et divinitatem. Ergo etiam idem hoc esse intelligi debet; quod ut credant, eos, urget ex operibus, quae Patris sui opera ipse faciat. Pariter istud: *Quia Pater in me est, et ego in Patre* de unitate naturae divinae, per quam Pater in Filio, et Filius in Patre est, intelligendum est: quandoquidem etiam hoc ex illo assertum a Christo sit.

CAPVT XI.

Nonne duodecim sunt horae diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt: si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. V. 9, 10. Ad discipulos hoc Christus dixit, cum svadere ei voluissent, ne iret in Judaeam, ubi Judaei necem ei molirentur. Diei autem, et noctis nomine vitae, atque mortis suae tempus designavit. Quamdiu ergo horae duodecim diei apud eum durarent, et donec tempus advenisset, quod definitum ejus morti erat; dicebat, sibi ab Judaeis nullam vim esse pertimescendam, quantumcunque furerent.

Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis: sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misiſti. Haec cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare veni foras. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, et manus institis, et facies illius sudario erat ligata V. 41 — 44. Propter populum, qui aderat, clara voce Christus precatus est Patrem, dum Lazarum a morte suscitaturus erat, idque ut crederent, eum a Patre esse missum. Quia videlicet Judaei criminabantur, Christum facere prodigia opera daemonis: ut ergo hanc calumniam refelleret, Deum clara voce invocavit, ut manifeste omnibus appareret, cujus virtute excitaturus Lazarum a morte esset.

Ad Christi vocem illico prodiit e monumento Lazarus, ligatis pedibus et manibus. „Prodi-

„isse ligatum, (ait S. Chrysostomus *homil.* 64. *in* „*Joan.*) non minus admirandum videbatur, quam „resurgere.“ David Michaelis in Annotat. ad h. l. ut hinc amoveret miraculum, ponit, pedes Lazari non fuisse simul constrictos, sed quemque eorum seorsim fascia involutum, ut, postquam excitatus a morte erat, impedimentum ambulandi nullum habuerit. Et unde hoc scit, ita factum esse Lazaro, quando et veteri, et hodierna Judaeorum consvetudine totum cadaver linteo involvitur, ac deinde fasciis devincitur? Cur, qui alibi Judaeis consvetudines affingit, quas non habuerunt; hic eam, quam suis etiam oculis poterat saepe videre, aufert, et tollit? Paulusius autem vult probare, nec in hac excitatione Lazari fuisse miraculum. Dicit, non fuisse hunc vere mortuum, sed tantum pro mortuo habitum, et sic conditum ad sepulcrum. Hoc suspicatum esse Jesum. Itaque rem tentasse, quaeque bene cesserit: sed in quo successu nihil tamen praeter casum fuerit. Fingit homo iste etiam hic, ut semper alibi, quod vult, suaque figmenta, vel potius deliramenta substituit Evangelicae narrationi. Annon diserte Evangelista dicit, Lazarum prodiisse, qui fuerat mortuus? non idem de morte illius hoc Christus V. 13. asseruit discipulis? Debetne interpres verborum usitatum sensum pervertere?

Collegerunt ergo Pontifices, et Pharisaei concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semet-

ipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. V. 47 — 52. Cur metuere debuerunt, ne si omnes crederent in Christum, a Romanis opprimerentur? Dum dixerunt, omnes credituros; certe quidem seipsos hi concilium agitantes Pontifices, et Pharisaei ad eumdem credentium numerum non posuerunt. Omnium ergo nomine intellexerunt suorum tantum ingentem numerum. Cumque sic nationis scissio futura esset in partes duas, ab invicem dissidentes; judicarunt, statum suae civitatis, qui jam attritus alioquin per Romanos esset, eo magis per hanc discordiam actum iri in praeceps. Non habuit vero Pontifex ideo, quod Pontifex esset, vaticinandi, et Prophetico Spiritu loquendi praerogativam aliquam Dei ordinatione. Neque ergo etiam Caiphas ob eam causam, quod Pontifex fuerit, suo aliquo privilegio prophetam egit: sed Deus hunc prae aliis in concilio tantum assumpsit ad edendam hanc prophetiam, quod fuerit Pontifex, quamvis hunc etiam pontificatum non tantum indigne gesserit; sed etiam in Christum, eo ipso quoque tempore, malignitatem summam exercuerit. Sed neque etiam id, quod in ejus verbis propheticum de Christo fuit, habuit Caiphas in cogitatione, atque mente sua: qui nihil aliud, quam conservationem suae civitatis adversum Romanos cogitaverat: neque propheticam significationem, divinitus constitutam in ejus verbis, aliter etiam intellexerunt ii, qui erant in concilio, quam quo his Caiphas ipse tetenderit: quam tantum Evangelista declaravit. Sic vero etiam Deus Balaamo lingvam vertit, ut in locum maledictionum, quas voluisset pronunciare, benedictiones ore suo funderet in Israeliticum po-

pulum, et vaticinaretur, etiam contra voluntatem suam, atque ut Caiphas in Christum, sic iste in Israelitas loqueretur summa malignitate. *Deut.* 23. *v.* 5. Verane autem haec Caiphae prophetia, et a Deo per os illius missa praedictio fuit? Num habet hoc aliquid quaestionis, quando Evangelista testatur, *hoc autem illum non a se dixisse, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetasse*? Clariusne aliquid desideratur? Neoterici tamen more suo interpretandi, nolunt fuisse hanc prophetiam, et praedictionem, sed tantum Evangelistam verba Caiphae sua interpretatione traxisse ad Christum, quo non pertinuerint. Et quid pro argumento habent? nihil prorsus praeter nudam suam assertionem. Negant ergo Neoterici, hanc fuisse prophetiam; asserit Evangelista: huicne, vel illis credemus? Per filios Dei dispersos, et congregandos in unum intelliguntur ii, qui credituri erant in Christum in toto mundo, et quos Evangelium congregavit in unum Dei populum, et in unam Ecclesiam.

CAPVT XII.

Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. Amen, amen dico vobis: nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. V. 23 — 25. Andreae, et Philippo Apostolis Christus hoc responsum dedit, annunciantibus, esse quosdam ex Gentilibus, qui eum cuperent videre, videlicet propius, ita ut possent etiam cum eo loqui. Nam si tantum voluissent Christum videre, cum is in publico solitus sit docere, ire jam ad templum, jam aliorsum; sic eum videndi facultas alioquin suppetebat. Quaenam autem haec Christi claritas intelligitur, cujus horam jam adesse dicebat? „Ex occasione istorum Gentilium (ait S. Augu„stinus *Tract.* 51. *in Joan.* qui eum videre cupie„bant, annunciat plenitudinem futuram gentium, „et promittit, jamque adesse horam glorifica„tionis suae, qua facta in caelis, gentes erant cre„diturae.“ At vero Christum oportuit pati, et sic intrare in gloriam suam. *Luc.* 24. *v.* 26. Hoc ergo per granum frumenti, quod nonnisi mortuum fructum affert, etiam instar similitudinis dixit de se, e cujus morte pullulaverit, et effloruerit ea gratia, quae gentium conversionem progenuit. Vbi autem de sua morte locutus est, subjunxit, ad vitae dispendium subeundum debere comparatum esse omnem, qui ejusdem gloriae cum Chri-

sto, et vitae aeternae compos vellet fieri. „Quomo-„do (vero) qui amat animam suam, perdet eam? „qui absurdis ejus concupiscentiis obtemperat, qui „plus, quam par est, ei indulget.“ *S. Chrysostomus homil. 67. in Joan.*

Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Haec illa hora est, de qua etiam Marc. 14. v. 35. est. „Orabat, „ut si fieri posset, transiret ab eo hora“ quando „ejus in horto instabat comprehensio. *Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de caelo: Et clarificavi, et iterum clarificabo.* V. 27, 28. „Clarifica nomen tuum, id est, duc „in crucem,“ sunt verba S. Chrysostomi *homil. 67. in Joan.* Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ut Deo satisfaceret pro ejus laeso per peccata nostra honore. Huc ergo Christus se obtulit, quo Deo claritas tribueretur. Nec tantum morte sua Christus Patrem suum erat clarificaturus, sed hunc jam etiam, ex quo venit in mundum clarificavit, ejus nomen hominibus notum faciendo in mundo. *Joan.* 17. *v.* 26. Hoc est, quod Pater, voce missa e caelo, testatus sit, et clarificasse jam, et iterum clarificaturum suum nomen, oblationem sibi a Christo factam suscipiens.

Turba ergo, quae stabat, et audierat, dicebat, tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est. Respondit Jesus, et dixit: Non propter me haec vox venit, sed propter vos. Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans, qua morte esset moriturus. V. 29 — 33. Vocem, quae de caelo venerat, esse non propter

se missam, sed propter Judaeos, qui aderant, dixit Christus, ut ei videlicet crederent: qui ut supra C. 9. v. 29. est, obtenderent, se scire, Deum locutum esse Moysi, hunc autem, unde sit, se nescire. Ipsis ergo etiam audientibus Deus locutus est Christo. Judicium mundi non hoc intelligitur, in quo mundus condemnabitur, 1. *Cor.* 11. *v.* 32. nec tunc in mundum venerat Christus, ut judicet, sed ut salvificet mundum; (infra V. 47.) verum in quo de principe mundi exercitum est judicium. Diabolus inducendo primum hominem in peccatum, in quo omnes etiam ejus posteri peccaverunt, suae servituti obnoxium fecit totum mundum, hoc est, omne genus humanum. „A quo enim quis superatus est, hu„jus et servus est.“ 2. *Petr.* 2. *v.* 19. Christus autem per mortem destruxit eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum. *Hebr.* 2. *v.* 14. Hoc ergo etiam est, quod Christus morte sua propinqua dixit: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.*

Respondit ei turba: Nos audivimus ex Lege, quia Christus manet in aeternum, et quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant: et qui ambulat in tenebris, nescit, quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. V. 34 — 36. Modicum adhuc hoc lumen erat in ipsis, quod scirent, Christum mansurum in aeternum, ejusque regnum esse fine carens. Etiam intellexerunt, Christum per sui exaltationem significasse suam mortem. Hanc autem Christi mortem cum perpetuitate regni illius nescivebrunt conciliare.

Haec locutus est Jesus, et abiit, et abscondit se ab eis. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiae prophetae impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? (Isa. 53. v. 1.) *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias:* (C. 6. v. 9.) *Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos. Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo.* V. 36 – 41. Evangelista docet, Judaeos non potuisse credere, quod eorum caecitas, et indurata mens, quae lumen fidei respuit, sit praedicta per Isaiam. Si hi nihilominus credidissent, vaticinium per Isaiam, divinitus editum, in ventum missum fuisset. Cum ergo fieri non potuerit, ut Dei prophetia cassa redderetur, nec illi poterant credere divina de se praedictione facta. Neque tamen vis ideo eorum voluntati allata est, qua pressi credere non potuerint; sed tantum, quod id, quod per seipsos atque sua voluntate libera facturi erant, praevisum a Deo, atque praedictum sit.

Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo. Evangelista manifeste intelligit eumdem Christum, de quo sermo antecessit, cujus gloriam viderit Isaias, et de quo locutus sit. Is autem, quem Isaias vidit, dum istam Judaeorum caecitatem praediceret, verus Deus fuit, tamque hoc clarum est ex ipso citato loco Isaiae, ut nulla lux tam sit clara. Ergo sequitur, eumdem Deum, cujus gloriam vidit Isaias, fuisse Christum, atque adeo verum Deum. Hoc evidentissimum pro Christi divinitate argumentum, incertum, imo nullum ut faceret, Da-

vid Michaelis huncce Evangelii locum in Germanica sua Scripturae sacrae versione, posuit dupliciter posse verti, primum eo modo, quo facta versio in nostra Latina Vulgata est, deinde vero adhuc sic: *Haec dixit Isaias, et iste gloriam ejus vidit, et locutus de eo est.* a) Nec contentus versione hac, sensum suae alterius versionis anteponit etiam versioni priori in Annotationibus suis ad h. l cujusque sensum istum vult esse: Haec dixisse Isaiam de futura Judaeorum caecitate, et obstinatione, et hunc etiam fuisse, qui Christi futuram gloriam oculo prospexerit prophetico, eamdemque praedixerit, sed in aliis pluribus suae prophetiae locis. Sic ergo Isaias hocce loco nec Christi gloriam vidisset, nec de eo locutus fuisset, tametsi hoc utrumqe Joannes Evangelista testetur. At vero hujus verba posse sumi, ut hunc etiam dent sensum, asserit Michaelisius. Falso istud asserit, et verba Evangelistae tantummodo detorquet, contra eam, quam habent usitatam significationem. Sic enim iste locus est in Graeco: Ταῦτα εἶπεν Ἡσαΐας, ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐλάλησε περὶ αὐτοῦ. Haec autem vocula ὅτε, nunquam habet apud Graecos significationem copulativae voculae *et*, quemadmodum sumpsit Michaelisius. Itaque nec hanc illius significationem ullo probavit exemplo: quia nec potuit. Dicit, se non studio negandae divinitatis Christi hanc etiam alteram attulisse versionem, et sensum: quem ex ejus assertione in Annotationibus ad Cap. 1. Joannis jam sciant omnes huic dogmati addictum esse, qui has legerunt. At vero illa ipsa demonstratio, quam subdola sit, quam ad speciem tantum facta asserendae divinitatis Christi,

---

a) Dis sagte Jesaia, und der hat seine Herrlichkeit gesehen, und von ihm geredet.

ibi etiam observatum, et declaratum est. Quid igitur? potestne esse obscurum, quin locum hunc destruere voluerit, tam illustre testimonium dantem pro divinitate Christi?

Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. Jesus autem clamavit, et dixit: Qui credit in me, non credit in me; sed in eum, qui misit me: et qui videt me, videt eum, qui misit me. V. 42 — 45. Qui credit in me, non credit in me, sensus est: Qui credit in me, non credit tantum in me, sed etiam in eum, qui misit me. Quod autem Christus dixit: *Qui videt me, vidit eum, qui misit me*, secundum divinam Christi naturam accipiendum est: quae cum una, eademque sit Patris et Filii, qui videt Filium, videt et Patrem.

Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat. Et si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non judico eum. Non enim veni, ut judicem mundum; sed ut salvificem mundum. Qui spernit me, et non accipit verba mea; habet, qui judicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. V. 46 — 48. „ Accusatoris vicem aget, qui illos convincet, et omnem defensionis modum adimet. „ S. Chrysostomus homil. 69. in Joan.

CAPVT XIII.

Ante diem festum Paschae, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. V. 1. In finem εἰς τέλος: quod vero Graecum non tantum finem, et conclusionem alicujus rei, verum etiam perfectionem, atque praestantiam significat. Itaque amorem significat, quem Christus suis in mundo cumulatissime testatus sit, et praestiterit.

Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in aeternum. Respondit ei Jesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum. V. 8. In hac lotione pedum non aliud fuit, quam exemplum summae, et profundissimae demissionis, quod Christus Apostolis praebuit, nobisque omnibus reliquit. Nec culpari debet Petrus, qui hanc in se admittere noluit ex reverentia erga Christum. Cur ergo tamen dictum ei est: *Si non lavero te, non habebis partem mecum?* Non hanc pedum lotionem, sed aliam a peccatis Christus intellexit, de qua etiam Paulus in huncce modum loquitur: „ Sed abluti estis, sed sancti-„ ficati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi. „ 1. *Cor.* 6, *v.* 11. Hac ratione etiam in sermone cum muliere Samaritana, *Supra C.* 4. *v.* 10. ab aqua fontana, et naturali, quam mulier petebat, transiit Christus ad sublimiorem aquam vitae aeternae, atque ad hanc praebendam se paratum obtulit.

Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput. Di-

cit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes. V. 9 — 11. Non erat mundus Judas, qui proditionis crimen conceptum in se habebat. Quamobrem hoc loco mundum esse, significat vacare crimine. Sic tamen loto, ut pedes adhuc laventur, opus esse Christus dixit. Hoc vero desumptum est a balneis. Nam qui in his lotus toto corpore fuit; tamen postquam exivit, nudisque pedibus terram attigit, istos sibi denuo detergit, antequam vestibus se induat. Illud ergo significabat, munditiam, quam in regenerationis lavacro adepti sumus, non sic conservari a nobis; ut non pedes saltem abstergi identidem debeant a levioribus culpis, etiamsi justitiam retineamus. „In multis enim offendimus „ omnes.„ *Jac.* 3. *v.* 2.

Cum ergo exisset, (Judas) *dixit Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso, et continuo clarificabit eum.* V. 31, 32. Judas tunc se recta ad Principes sacerdotum contulit, ut cum cohorte militum, ab his accepta, atque servorum manu ad comprehendendum Jesum iret. Cum ergo iste se jam adplicaret ad tradendum Judaeis Christum, atque tempus instaret patiendi, et moriendi, quae Christo via fuit ad gloriam, ad quam Deus illum extulit; *Philip.* 2. *v.* 8, 9. perinde jam modo se clarificatum esse dixit, atque infra C. 17. v. 11. aeque instante tantum adhuc sua comprehensione se dixit, jam non esse in mundo, exiguum illud tempus, quod supererat ad mortem, quasi pro nihilo habendo. Praepositio *In*, ἐν, omnibus tribus vicibus in his versiculis significationem praepositionis *Per* habet.

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. V. 34. Novum Hebraica consvetudine loquendi poni solet etiam pro eo, quod eximium, et excellens est. *Psal.* 32. *v.* 3. Attamen hocce loco *Novum* de mandato, quod Christus se dixit discipulis suis dare, quidpiam amplius significat. Quaestionem hanc sibi jam etiam posuerat S. Augustinus *Tract.* 65. et S. Chrysostomus *homil.* 72. *in Joan.* Ex his autem verbis Christi: *Sicut dilexi vos*, hoc desumendum existimarunt. Fuit haec lex homini jam in creatione data, utpote, quae naturalis sit, eademque per Moysem repetita est. *Levit.* 19. *v.* 18. *Matth.* 22. *v.* 37. Sed ut ipsa etiam notitia Dei in mundo, exceptis paucis, apud quos manserit, obliterata est; ita amor etiam erga proximum is, qui propter Deum praestari debebat, obsolevit. „ Non sicut se diligunt homines, ait S. Augusti„ nus *cit. loc.* quoniam homines sunt, sed sicut „ se diligunt, quoniam filii Altissimi omnes, ut „ sint Filio ejus unico fratres, ea dilectione in„ vicem diligentes, qua ipse dilexit nos: „ quaeque novitas praesertim exsplenduerit in diligendis ipsis inimicis, et per Evangelium effloruit. Haec itaque intelligitur novitas in hoc mandato, omnes diligere eo affectu, quo Christus dilexit nos ad gloriam Dei, et propter Deum, non *carnali dilectione*, ut idem dicit S. Augustinus *cit. loc.*

CAPVT XIV.

Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. V. 1. Dicebat Christus Apostolis finita coena V. 33. superioris capitis: „Filioli, adhuc modicum vobiscum sum" atque se vadere: eo autem, quo ipse pergeret, illos non posse venire. Hoc igitur erat, quod ipsos turbaverat. Ne autem ob ipsius abitum turbarentur, istud etiam dixit: *Creditis in Deum, et in me credite.* Ergo hoc quoque eo pertinet, ut quamvis in forma humana jam habituri praesentem non essent; tamen ne cogitarent, se ab eo deserendos, qui per suam divinitatem, vi cujus ubique existit, mansurus cum ipsis esset.

In domo Patris mei mansiones multae sunt: si quo minus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum: (verbum intelligitur antecedens: turbari possetis) *et si abiero, et praeparavero vobis locum; iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis. Et quo ego vado, scitis, et viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus, quo vadis, et quomodo possumus viam scire? Dicit ei Jesus, Ego sum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* V. 2—6. Eo respondit Christus, quod Thomas dixerat, se viam, qua ire possent post Christum, et ad eum pervenire, non posse scire. Sensus itaque est, ipsos ituros ad Christum per Christum; siquidem ipse via sit. Idem se veritatem esse dixit: unde sequebatur, nihil eos debere dubitare de eo, quod ipsis spopondit, postquam locum ipsis praeparaverit, venturum, ut eos ad se accipiat:

piat: nec non vitam se esse: unde intelligerent, se, ubi ad Christum pervenerint, vitam adepturos aeternam.

Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis: et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum. V. 7. Alterum fuit, quod Thomas dixit, se nescire, quo Christus vadat. Hunc ergo Patrem esse, ad quem pergeret, et quo eum ipsi etiam secuturi essent, indicavit jam illis verbis: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Patris vero jam ipsos notitiam habere, nisi, quis ipse esset, nondum agnovissent. Nam credendo, Christum esse filium Dei, etiam Deum esse, qui pater ejus sit, cognoverunt. *Amodo cognoscetis eum:* nam Spiritus sancti lumine postea collustrati, mysterium Sanctissimae Trinitatis plenius adhuc noscere didicerunt: quem Patrem jam etiam viderint, dum videlicet Christus per opera Patris, quae fecit, se se illis declaravit Dei filium esse.

Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Aliam adhuc, et clariorem Patris cognitionem petebat. *Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba, quae ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.* V. 8 — 12. Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me Dei filium, et Deum esse? Atque hinc, quoniam ipse cum Patre, unus, idemque Deus esset; consequens erat, ut qui vidisset Christum Dei filium, una etiam videret Patrem. Non viderunt autem

Apostoli Christi divinitatem, nisi resplendentem ex ejus divinis operibus, nec aliis oculis, quam oculis fidei. Neque ergo alia etiam visio Patris intelligitur, quam per fidem.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado: et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. V. 12—14. Ab operibus, quae ipse fecerat, et unde videre potuerint, Christum esse in Patre, et Patrem in Christo, ad opera, quae facturus sit per illos, qui credunt in eum, procedit in sermone, et ex quibus etiam adhuc postea agnituri divinam ipsius virtutem sint, quaeque majora adhuc futura sint, siquidem vadat ad Patrem. Cur vero majora per eos, qui credituri erant in illum, quam per seipsum? S. Cyrillus *lib.* 9. *in Joan.* hoc dicit fuisse, quod postquam Christus in caelum adscendit, et in dextera Dei consedit; divinitatem suam clarius, et apertius, quam antea, praedicari voluerit, et quam praedicationem suae divinitatis idcirco majoribus etiam operibus prodigiose factis voluerit testatam esse. *Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo*, vox *Patrem*, in Graeco, et in omnibus Orientalibus versionibus deest: etiam S. Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus in suis Commentariis praetermissam habent. Dumque sequenti versiculo idem repetatur, et rursus vox *Pater* absit; concludendum est, hanc nec in antecedente versiculo debere esse. Dixit vero Christus Apostolis, quidcunque petierint, impetraturos: quod quomodo intelligendum sit, jam ad Matth. 7. v. 7. declaratum est.

Si diligitis me, mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere: quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit. V. 15 — 17. Spiritus veritatis, quem Christus promisit Apostolis, ut cum iis maneat in aeternum, ad solosne Apostolos sic restrictus fuit, ut his mortuis ulterius cum Ecclesia non manserit? Sic volunt Protestantes, ut possent adstruere, doctrina Religionis corrupta defecisse Ecclesiam, et haberent, quod praetexerent suae reformationi. At vero Ecclesia Catholica numquam non credidit firmissime, se in fidei, et morum doctrina errare non posse, in hac Christi se fundans promissione de Spiritu veritatis, qui cum ea mansurus sit in aeternum. Deinde, quod hoc loco dicitur. *In aeternum*, sit Matth. 28. v. 19. *Vsque ad consummationem seculi:* ad quam usque se Christus futurum cum Apostolis iterum dixerit, idque ad docendum omnes gentes. Nam si haec Christi promissio tantum ad Apostolos spectasset, cum hi usque ad consummationem seculi non fuerint victuri; nec Christus dicere potuisset, se cum his usque ad hanc seculi consummationem futurum. Sed neque soli Apostoli erant, quibus Christus ministris usus sit ad docendas omnes gentes. Sicut ergo non soli erant Apostoli, qui docendi munus sibi habuerint a Christo commissum, atque his e vita decedentibus, doctores, et rectores Ecclesiae non desierunt; ita nec Christus, Apostolis vita perfunctis, desiit cum Ecclesia sua esse. Hunc Spiritum veritatis mundus non potest accipere, hoc est, homines, amatores mundi, et noxiis cupiditatibus irretiti, sed ita, ut Spiritum

veritatis cum hoc amore mundi, pravisque illecebris suis copulent; non quasi capti amore mundi, si huic nuncium remittant, suscipere non possent Spiritum veritatis. Nam etiam Apostoli sunt electi de mundo: sed postquam Christus ipsos elegerat, jam non fuerunt de mundo. *Joan.* 15. *v.* 19.

Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, et mundus me jam non videt. Vos autem videtis me: quia ego vivo, et vos vivetis. Sicut *Videt*, ita etiam *Videtis* verbum temporis praesentis est positum pro tempore futuro. *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Qui habet mandata mea, et servat ea; ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, et non mundo?* V. 18 — 22. Quid factum est, Graece: τι γέγονε: adhibetur autem etiam pro eo, quod nos diceremus: *Quid hoc est?* Quamobrem hoc Syrus vertit: *Quid sibi vult?* Arabs: *Quis sensus sermonis tui?* Est locutus ex opinione illa de regno Christi mundano, et haesitabat, quomodo Christus gloriam sui regni tantum Apostolis, non toti mundo ostensurus esset?

Respondit Jesus, et dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. V. 23. Declarat Christus, quomodo se manifestaturus sit Apostolis, et omnibus, qui eum diligunt, et non mundo, per suum Spiritum in eorum corda infundendum. Rom. 5. v. 5. 1. Cor. 3. v. 16. *Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem, quem audistis, non est meus, sed*

ejus, qui misit me Patris. Haec locutus sum vobis, apud vos manens: Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis (πάντα ἅ εἶπον ὑμῖν, *quaecunque dixi vobis.*) *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis non quomodo mundus dat, ego do vobis.* V. 24 — 27. Pax haec est, quae exsuperat omnem sensum, *Philip.* 4. *v.* 7. et in secura mente sita est, atque bona conscientia ex Dei amore diffuso in cordibus nostris, et expellente omnem timorem. 1. *Joan.* 4. *v.* 18.

Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis, quia ego dixi vobis: Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis prius, quam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. V. 27. — 29. Hic locus, ubi Patrem se majorem dicit Christus, est is, in quo sibi Ariani quasi inexpugnabilem arcem constituerunt. At vero Christus secundum quam naturam suam vadebat ad Patrem? non profecto secundum divinam, per quam nunquam discessit a Patre, sed semper fuit in Patre, et Pater in illo. Ergo dum in caelum Christus adscendit ad Patrem, hoc factum est secundum humanam illius naturam. Ideo vero quod vaderet, Christus dixit, Apostolos, si diligunt eum, gavisuros esse, siquidem Pater major sit, ad quem pergat. Ergo neque Patrem esse majorem, quam ipse esset, aliter Christus dixit, quam ratione humanae suae naturae. Et quid mirum, si Patrem majorem se praedicavit ista ratione humanae naturae, qui sic etiam Dei servus praedicatur in Scriptura? *Isa.* 42. *v.* 1. *Ezech.* 34. *v.* 23. *Philip.* 2. *v.* 7.

Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. V. 30. „ Princeps mundi hujus „ (ait S. Augustinus *Tract.* 79. *in Joan.*) quis „ nisi diabolus? *Et in me non habet quidquam*, „ nullum scilicet omnino peccatum. „ Vnde princeps mundi diabolus sit, est demonstratum ad Cap. 12. v. 31. *Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* V. 31. Est declaratio, cur quamvis princeps mundi nihil in ipsum haberet; tamen mortem, quae stipendium peccati est, *Rom.* 6. *v.* 23. obiret.

CAPVT XV.

Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. V. 1, 2. Dicit Joannes 1. Ep. 4. v. 13. „ In „ hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, et „ ipse in nobis; quoniam de Spiritu suo dedit „ nobis. „ Hinc intelligi potest, quomodo vitis Christus, nos ejus palmites simus. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* V. 3. Est Act. 15. v. 9. fide corda eorum esse purificata, qui Evangelio crediderunt. Hac itaque ratione per Christi sermonem, quem audiverunt, et cui fidem adhibuerunt, mundi effecti

sunt ipsi etiam Apostoli. *Manete in me, et ego in vobis* (intellige etiam hic verbum antecedens, *manebo*) *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* V. 4, 5. Hoc, quod instar causae positum est, cum eo est nexum, quod dixerat Christus, se vitem esse, discipulos vero palmites. Neque enim palmes quidquam proferre potest, nisi viti inhaereat. Nihil vero meritorium aeternae vitae sine Christo, ejusque gratia possumus facere. Id, quod, concilium Arausicanum II. Cap. 9. et Tridentinum Sess. 6. cap. 16. etiam ex his ipsis Christi verbis, *Sine me nihil potestis facere*, docuit. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet*, et ardebit. *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.* V. 6, 7. Dicit Joannes 1. Ep. 5. v. 14: „ Quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus (Christi) audit „ nos. „ Ex quo intelligitur, quid illud omne sit, quod Christus promisit daturum se, et largiturum iis petentibus, qui in eo manent. *In hoc clarificatus est Pater meus* (enallage est temporis pro *clarificabitur*) *ut* (ἵνα, hoc loco significationem habet voculae *Si*) *fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.* V. 8.

Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. V. 9. De vite Christo antecessit sermo, et de palmitibus, qui sumus nos. Sicut ergo Pater Christum dilexit, faciendo, ut esset vitis; ita Christus eos diligit, qui ejus sunt palmites. „ Sicut praedestinatus est ille unus, ut caput nostrum es-

„ set (sunt verba S. Augustini *de Praedest.*
„ *Sanctor. c.* 15.) ita multi praedestinati sumus,
„ ut membra ejus essemus. „ *Manete in dilectione mea. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* V. 9 — 13. Secundum indolem naturalis amoris est hoc dictum, vi cujus eos amore complectimur, qui nobis conjuncti propinquitate, vel amicitia sunt. Dum autem Christus dicit, ut diligamus nos invicem sic, quemadmodum ipse dilexit nos, ille vero nos dilexerit etiam inimicos, eumque amorem praestiterit, quo major esse non potest, dando animam suam pro nobis; significabat, nobis quoque inimicos nostros juxta illius praeceptum esse diligendos.

Vos amici mei estis, si feceritis, quae praecipio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quae audivi a Patre meo, notafeci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat, ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. V. 14 — 16. Omnium primum est credere, dum incipimus placere Deo, et ex peccatoribus justi fimus. Nam sine fide impossibile est placere Deo. *Hebr.* 11. *v.* 6. Si quis vero per seipsum, non ex Dei gratia, quae eum praevenit, crederet in Christum, ipse hunc elegisset, quem per fidem suscepisset, non ab hoc

electus fuisset. Itaque hinc probatur gratuita eorum electio a Deo, qui fidem in Christum, aeternamque salutem adipiscuntur, etiam per S. Augustinum *Tract.* 86. *in Joan.* Quomodo hoc sit intelligendum, omne, quod in nomine Christi petitum est, Patrem dare nobis, est jam declaratum supra ad Vers. 7.

Haec mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major domino suo. (Supra C. 13. v. 16.) *Si me persecuti sunt, et vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt. Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum, qui misit me. Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Illud peccatum intelligitur, quo se obstrinxerunt non credendo in Christum, et respuendo gratiam, quae eis per Christum oblata erat. *Qui me odit, et Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit; peccatum non haberent; nunc autem et viderunt* (Opera, quae Christus fecit apud eos) *et oderunt et me, et Patrem meum. Sed ut adimpleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.* V. 17—25. Hoc quod Christus protulit, tamquam in se adimpletum, est ex Psal. 68. v. 5. quem Psalmum esse propheticum de Christo, demonstratum est a me Herm. Instit. V. T. Tom. 3. pag. 169.

Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit; ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. V. 26, 27. Spiritus sanctus testimonium Christo perhibuit, dum signis, atque prodigiis per Apostolos, aliosque Christi fideles patratis, testatus est vera esse, quae de Christo praedicat Evangelium: testimonium vero Apostoli Christo dederunt, non tantum verbis, quibus testificabantur vera esse, quae idem habet Evangelium; sed hujus veritatem, in cujus assertionem vitam etiam suam dederunt, sangvine suo obsignando. Fides Catholica docet, tres in Dei unius essentia distinctas esse personas: quarum altera a Patre procedat per generationem, et Filius idcirco sit; tertia vero a Patre, et Filio, uno principio, procedat per spirationem, qui Spiritus sanctus est. In hoc dogmate Graeci, qui communione a nobis disjuncti sunt, nobiscum non conveniunt, asserentes Spiritum sanctum a solo Patre procedere, et hoc ipsum, quod Christus modo dixerit, Spiritum sanctum a Patre procedere, neque hoc idem dixerit de se, in argumentum suae assertionis sumunt.

Verum est, his verbis, quibus dixit, Spiritum sanctum a Patre procedere, Christum, nec hic, nec alibi expressisse processionem, quam Spiritus sanctus habeat etiam ab ipso. Quid vero interest, si quamvis non iisdem verbis his, attamen expresserit aequivalentibus? Nam hunc a se missum iri asseverat, tam in praesenti loco, quam iterum subsequent. capit. V. 7. Missio autem inter Personas Divinas, cum per imperium, et potestatem fieri non possit, siquidem una, eademque trium Personarum sit potestas, dignitas, et majestas; nequit ad aliud significandum spe-

ctare, quam ad processionem personae ab ea persona, a qua mitti perhibetur. Sic missionem constanter non tantum Patres Latini, verum etiam Graeci de Personis Divinis intellexerunt. Haec tantum ex Graecis, dum res cum Graecis est, testimonia proferam. „Quaecunque humilius dicuntur (sunt „verba S. Gregorii Naz. *Orat.* 36. in qua hoc „ipsum de Spiritu sancto, quod modo agimus, „asserit) cujusmodi sunt mitti, distribui, afflatus, promissio, intercessio, cetera, ne singula „commemorem; ea ad principem causam referenda sunt.“ S. Cyrillus Alex. *in Epist. Synodic. ad Nestorium*, quae in ipsa etiam Ephesina generali synodo lecta, et approbata est, processionem Spiritus sancti a Filio inde quoque probat, quod is Spiritus veritatis appelletur, Veritas autem Christus sit. „Christus, inquit Veritas est: „ac proinde quoque ab illo, atque a Deo Patre „procedit.“ Idem Spiritus sanctus, sicut Spiritus Patris, ita aeque Spiritus Filii vocatur. „Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.“ *Gal.* 4. *v.* 6. Nam si Spiritus sanctus Spiritus Patris est, quia ab eo procedit; idem debet valere etiam erga Filium, ut ab hoc etiam procedat, qui pariter hujus Spiritus sit. Nihil vero potest esse apertius, atque luculentius his verbis Christi: „Ille me (Spiritus sanctus) clarificabit, quia „de meo accipiet, et annunciabit vobis. Omnia, „quaecunque habet Pater, mea sunt: propterea „dixi, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis.“ *Joan.* 16. v. 14. „Nam cum per ipsum procedat „naturaliter, (sunt verba iterum S. Cyrilli Alex. „*lib.* 11. *in Joan.*) utpote cum sit ejus proprius; „una cum omnibus, quae perfecte habet, accipe„re dicitur, quae ejus sunt.“ — Neoterici interpretes ne ipsum quidem processionis vocabulum de Filio, et Spiritu sancto ita sumunt, ut com-

municatio divinae naturae a Persona, a qua processio fit, cum Persona, quae procedit, intelligatur: sed volunt tantum missionem esse, quae pure pute legatio sit: cum tamen alia missio, quam ea, quae consistit in naturae communicatione, ne locum quidem in Sanctissima Trinitate habere possit. Negant, se aliam missionem, praeter hanc intellectu suo capere posse: ideo neque posse admittere. Non putant, pure credendum esse, quod Christus de Deo docuit in Evangelio; sed ad mysteria de Deo metienda, sibi ponunt praecise ingenium proprium. Itaque quod divinum est, ideoque infinitum, atque immensum, includere volunt intra fines sui spithamaei ingenii.

CAPUT XVI.

Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos. Sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, obsequium se praestare Deo. Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis. Haec autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. V. 1—5. Adversitates, odia, et insectationes Christus jam antea *Matth.* 10. *v.* 17. et alias saepius praedixit Apostolis. „Quid sibi ergo vult, (sunt verba S. Augustini *Tract.* 94. *in Joan.*) quod hic ait: *Haec „autem vobis ab initio non dixi, quia vobis-*

„ *cum eram*, nisi quia ea, quae hic dicit de Spi„ritu sancto, quod sit venturus ad eos, et testi„monium perhibiturus, quando mala illa passuri „sunt; haec ab initio eis non dixit, quia cum „ipsis erat."

Et nunc vado ad eum, qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me: quo vadis? Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. V. 5, 6. A Petro, et a Thoma Christus fuit interrogatus, quo vaderet. Supra C. 13. v. 36. C. 14. v. 5. Quin Christus ipse jam saepius declaravit in hocce sermone, se ad Patrem iturum esse, et modo quoque dixit, ad eum se vadere, a quo missus est. Sed omiserunt, audientes illius abitum, illud exquirere, quod eorum levaret tristitiam, in quam inciderunt ex ejus abitu. Hoc ergo erat, quod quonam vaderet, non interrogaverint, non simpliciter, nam ad eum se vadere, qui eum misit, Christus etiam modo clare ipsis dixit; sed vadens, in quo statu ipsos relicturus esset. Quare hoc deinde ipse ultro iis declarat, quin expedire etiam ipsis, ut abeat, docet.

Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. De peccato, quia non crediderunt in me; de justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me; de judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est. V. 7 — 11. *Arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio:* ἐλέγχει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας, καὶ περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ κρισέως. De peccato mundum arguet, quod non crediderit in Christum. Clare apparet causa, cur ar-

gui, reprehendi, culpari meruerit mundus. Cur vero etiam de justitia, et de judicio? Graecum verbum ἐλέγχω, habet arguendi significationem, at non semper, sed etiam argumentis aliquid patefaciendi, demonstrandi, declarandi. Christum Judaei et in suo concilio judicarunt, reum esse mortis, quod se dixerit, Filium Dei esse, seque sessurum ad dexteram Patris, *Matth.* 26. *v.* 64. atque hoc nomine *Joan.* 19. v. 7. illius supplicium etiam instanter, et pertinacissime a Pilato petierunt. Peccarunt Judaei Christum interficiendo: justus fuit Christus, et omnis falsitatis expers in testando, se Filium esse Dei: quod nisi fuisset, sique se hunc tantum mendaciter asseruisset, atque asseverando, se sessurum ad dexteram Patris, aequalitatem gloriae cum Deo Patre sibi tantum usurpasset, ad Deum ire non potuisset: ad quem vero ivit, ut se iturum dixit. Idem Christus morte sua eum, qui mortis habuit imperium, hoc est, diabolum, destruxit. *Hebr.* 2. v. 14. Ideoque Christus etiam supra C. 12. v. 31. loquens de sua morte, quae jam instabat, *Nunc judicium*, inquit, *est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Haec autem omnia tria facta esse, Spiritus S. mundo declaravit prodigiis, quae patravit per Apostolos, testificans, Christum fuisse vere Filium Dei, et Judaeos immani scelere se se obstrinxisse, illum occidendo, et contritum esse imperium diaboli, dum homines ubique in mundo per Evangelium, virtute Spiritus Sancti propagatum, eruti e potestate tenebrarum, translati fuissent in Dei lumen, et regnum.

Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quaecunque audiet, loquetur, et quae ventu-

ra sunt, annunciabit vobis. V. 12, 13. „Ab il-
„lo audiet, a quo procedit: (sunt verba S. Augu-
„stini *Tract.* 99. *in Joan.*) audire illi scire est,
„scire vero esse. Quia ergo non est a semetipso,
„sed ab illo, a quo procedit; a quo illi est essentia,
„ab illo scientia; ab illo igitur audientia: quod
„nihil est aliud, quam scientia." *Ille me cla-
rificabit, quia de meo accipiet, et annuncia-
bit vobis. Omnia, quaecunque habet Pater,
mea sunt. Propterea dixi: quia de meo ac-
cipiet, et annunciabit vobis.* V. 14, 15. Cla-
ritatem Christus per Spiritum sanctum accepit:
quia dum illius virtute Evangelium propagatum
est, Christo honor, et adoratio tributa ab omni-
bus gentibus est. Omnia, quaecunque habet Pa-
ter, Christus sua dixit esse. Pater habet divini-
tatem: ergo haec etiam Christi eadem divinitas
est. Eo autem hoc a se dictum esse demonstrat,
ut Spiritum sanctum, quem jam supra C. 15. v. 26.
diserte dixerat, a Patre procedere, intelligi pos-
set, ab se etiam procedere, perinde ut a Patre.
Hoc enim est, quod de Spiritu sancto dicit:
Quia de meo accipiet. Quod enim una perso-
na Divina ab altera possit accipere, nihil prae-
ter naturam divinam est. Quem ergo Spiritum
Sanctum Christus dixit, de eo accipere, quod
ipsius Christi est; hunc etiam ostendit, naturam
divinam a se Filio habere, atque adeo sicut a Pa-
tre, ita etiam a se procedere.

*Modicum, et jam non videbitis me: et
iterum modicum, et videbitis me: quia vado
ad Patrem.* V. 16. Modicum, post quod eum
visuri non erant, fuit spatium illud temporis, quo
adhuc versatus cum ipsis est usque ad suam in
caelum adscensionem. Modicum, post quod ite-
rum visuri Christum erant, fuit tempus, quod in-
tercessit ad ipsorum mortem: quo tempore in cae-

lum assumpti, iterum Christi frui adspectu coeperunt. *Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, et non videbitis me, et iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, modicum? nescimus, quid loquitur. Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis: De hoc quaeritis inter vos, quia dixi: Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me? Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem peperit puerum, jam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis: et in illo die me non rogabitis quidquam.* V. 17 — 23. „In futuro enim seculo, cum „pervenerimus ad regnum - - - quid petituri sumus, quando satiabitur in bonis desiderium nostrum?" *S. Augustinus Tract.* 102. *in Joan.*

Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo. Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. V. 23, 24. Gaudium in hoc mundo Apostolorum plenum futurum non erat, quos paulo ante ploraturos, et fleturos etiam esse dixit. Illud ergo plenum gaudium intelligitur, quod consecuturi erant post hanc vitam, atque ad hoc obtinendum dixit eis, ut petitionem instituerent.

Haec

Haec in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis. V. 25. Proverbium est hoc loco pro sententia, et sermone obscuriore positum, in qua significatione etiam V. 29. recurret. Aperta, et clara locutio facta deinde die Pentecostes est per Spiritum sanctum, cujus lumine declarata omnia iis sunt, quae prius obscura ipsis erant. *Joan.* 14. *v.* 26, *In illo die in nomine meo petetis, et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum. Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus, quia a Deo existi. Respondit eis Jesus: Modo creditis? Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis. Et non solus: quia Pater mecum est. Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.* V. 26 — 33. Hortatur Christus Apostolos, ut pressi adversitatibus suam in eo fiduciam collocarent, idque ideo, quod ipse vicerit mundum. Quare haec Christi victoria de mundo eo etiam monstrabatur pertinere, ne Apostoli, (quod autem Apostolis Christus promisit, ad omnes etiam alios ejus sectatores pertinuit) impetiti a mundo, et adversa sustinentes succumberent. „Non enim vicisset mun-„dum, si ejus membra vinceret mundus.“ *S. Augustinus Tract.* 103. *in Joan.*

CAPVT XVII.

Haec locutus est Jesus, et sublevatis oculis in caelum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. V. 1., 2. Clarifica filium tuum. Hoc factum est, dum Christus consedit in dextra Dei: tumque Christus Spiritum sanctum misit ad vitam tribuendam iis, quos ei dedit Pater, et quo pacto Christus vicissim clarificavit Patrem, cui cultum, et venerationem comparavit. Nam Spiritus sanctus datus tum est, cum Jesus fuisset glorificatus: *Joan.* 7. *v.* 39. et quibus Christus vitam largitur, hos ei Pater dedit. *Joan.* 10. *v.* 28, 29.

Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. V. 3. Haec est vita aeterna, hoc est, sic vita obtinetur aeterna. Istud vero: *Vt cognoscant te solum verum Deum*, in Graeco ita est: ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν. Ex quo Graeco apparet, adjectivum μόνον, *solum*, unicum, non referri ad subjectum *Te*, sed ad praedicatum *Verum Deum*. Sensus proinde est, Patrem esse eum, qui unus verus Deus est. Atque sic omnino juxta Catholicam fidem quaelibet Persona divina est unicus verus Deus, et etiam tres omnes personae, Pater, Filius, et Spiritus sanctus sunt idem ille unus verus Deus, eo, quod omnium trium Personarum una sit natura, et substantia. Ex quo intelligi potest, et Arianos olim, et nunc Socinianos ex eo, quod Pater praedicetur is Deus,

qui unus verus est, haud rectam conclusionem fecisse de Filio, hunc non esse etiam eundem unum verum Deum.

Ego te clarificavi super terram, opus tuum consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. V. 4. Restabat hujus operis adhuc actus praecipuus, expiatio nostrorum peccatorum, et reconciliatio cum Deo per Christi mortem. Sed cum jam in procinctu esset ad hoc etiam perficiendum, res ponitur quasi jam acta, illa temporis exiguitate, quae restabat ad plenam consummationem non considerata. *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te.* V. 5. Num in eadem claritate, quam habuit ante mundum conditum, non fuit Christus apud Patrem, quando istud precabatur? omnino, sed qua Deus. Quemadmodum vero haec ejus precatio hominis fuit, non Dei, ita etiam claritas, quam petebat, ad ejus humanam spectabat naturam: quae dum evecta ad caelum, et gloriosa effecta est; per consortium gloriae, quam Christus, ut Deus, habuit aeternam, obtinuit claritatem, quae Christo aeterna fuit apud Patrem.

Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt. Nunc cognoverunt, quia omnia, quae dedisti mihi, abs te sunt. V. 6, 7. „Cognoverunt, (ait S. Chrysosto-„mus *homil.* 81. *in Joan.*) ea, quae docui, tuam es-„se doctrinam, et disciplinam." *Quia verba, quae dedisti mihi, dedi eis, et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere, quia a te exivi, et crediderunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt: et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt; et clarificatus sum in eis.*

V. 8 — 10. Antecessit: *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo.* Pro Apostolis itaque Christus oravit, omnibusque iis, qui jam tum in eum crediderunt, fideliterque ei adhaeserunt. Idem deinde V. 20. *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Ex quo perspici potest, quid et precatio haec Christi significaverit, et quam vim habuerit. Nam de mundo, ex quo tamen mundo electi sunt etiam ipsi Apostoli, *Joan.* 15. *v.* 19. est: *Ut non cum hoc mundo damnemur.* 1. Cor. 11. v. 32. *Clarificatus sum in eis.* Clarificarunt postea Christum Apostoli per praedicationem Evangelii, antea clarificarunt ei credendo. Nam etiam de Abrahamo est, Deo gloriam dedisse, dum ei credidit: *Rom.* 4. *v.* 20.

Et jam non sum in mundo, iterum illud breve spatium, quod supererat vitae, reputando, quasi nec esset, *et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.* V. 11. Nec Apostoli fuerunt, neque fideles in Ecclesia unum sunt quoad substantiam, sed per solam animorum, et voluntatum inter se consensionem. Quoniam ergo Christus precatus Patrem est, ut hi ita unum sint, sicut ipse et Pater unum sunt, Arianus, et Socinianus hinc concludit, nec Patrem, et Filium aliter unum esse, quam voluntatum consensione. Et num recte? Ad eosdem Apostolos, et in quibus instruxerat omnes, qui credituri Evangelio erant, dixit Christus: „Estote vos perfecti, sicut et Pater vester „caelestis perfectus est.“ *Matth.* 5. *v.* 48. Ad aequalitatemne perfectionis, quae neque possibilis est, vel ad solam hujus imitationem, quantum homini fas est, hoc spectavit, et Christus Apo-

stolos hortatus est? Hinc ergo, quod Christus Patrem precatus sit, ut Apostoli unum sint, sicut ipse, et Pater unum sunt, nulla recta adversus unitatem, quae Patris, et Filii in substantia est, conclusio fit. Deus, atque ejus perfectiones tantum ad imitandum, non ad assectandam aequalitatem hominibus proponi possunt. „Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi.“ *Eph.* 5. *v.* 1.

Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. V. 12. Iste, qui ex Apostolis periit, fuit Judas Iscariotes. Scriptura, quae in eo impleta est, fuit haec: „Fiat com„moratio eorum deserta, et non sit, qui inha„bitet in ea, et episcopatum ejus accipiat alter“ *Psal.* 68. *v.* 26. *Psal.* 108. *v.* 8. juxta S. Petrum eadem haec allegantem de Juda, dum Matthias in ejus locum eligeretur. *Act.* 1. *v.* 20. Quale commentum Neoterici habeant, ut S. Petro notam falsae etiam citationis impingant, demonstratum est a me in Instit. Herm. V. T. *tom.* 3. *pag.* 175.

Nunc autem ad te venio, et haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. V. 13. Gaudium intelligitur ejus rei, de qua antecessit, quam Christus Apostolis precatus a Patre suo est, ut ab eo serventur, utque unum sint, et ne pereant. *Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit: quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* V. 14. — 17. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est: ergo sanctifica eos per sermo-

nem tuum. Hoc est ergo, dic, ut sancti sint, eruntque sancti.

Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum: et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate. V. 18, 19. Sanctificavit se Christus pro nobis seipsum offerendo, et sacrificando in cruce, atque nos una etiam sanctificavit. „Sanctificati „enim sumus per oblationem corporis Jesu." Hebr. 9. v. 10. *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti.* V. 20, 21. Jam supra V. 11. Christus precando pro illis dixerat: *Vt unum sint, sicut et nos*: nunc autem etiam addidit: *Vt unum in nobis sint*. „Quid sibi vult illud: *In nobis*? in fide in nos." Sunt verba S. Chrysostomi *homil.* 82. *in Joan.* Fides autem intelligi debet ea, quae per charitatem operatur. *Gal.* 5. *v* 6. Siquidem sola charitas nos sic copulet cum Deo, ut cum eo unus spiritus fiamus. 1. *Joan.* 4. *v.* 16. 1. *Cor.* 6. *v.* 17.

Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. V. 22. Claritas Christi, (*δόξα*, *gloria*) quam a Patre accepit, est, ut unum cum eo sit, et idem Deus. Claritas ergo Apostolorum, et omnium, qui Christi sunt, ea etiam intelligitur, quae posita est in conjunctione cum Deo, idque cum mutua etiam inter se charitate, sine qua nec conjuncti cum Deo possent esse. *Ego in eis* (sum) *et tu in me, ut sint consummati in unum* (*τετελειωμένοι εἰς ἕν*, *perfecti in unum*, hoc est, ut perfecta in ipsis sit unitas) *ut cognoscat mundus, quia tu me*

misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti. V. 23. Dixerat supra C. 13. v. 35. ad eosdem Apostolos Christus. „In hoc cognoscent omnes, quia „discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad „invicem." Hoc ergo etiam est, quod modo dicit, futurum, ut cognoscat mundus, se a Deo missum, si sui mutua charitate inter se fuerint devincti. *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater juste, mundus te non cognovit: ego autem te cognovi, et hi cognoverunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.* V. 24—26.

CAPVT XX.

Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. V. 23. Sunt verba Christi ad Apostolos, dum eis post suam a morte resurrectionem apparuisset. Haec Protestantes sic censent sumenda, et intelligenda; ut remittere peccata hic non aliud significet, quam Evangelium annunciare, et ei, qui fiduciam in Christo locavit remissionis suorum peccatorum, declarare, remissa esse peccata. Tenent, vi istius solius fiduciae erga Christum perfici remissionem peccatorum, justumque hominem fieri ex peccatore, et

quae ipsa justitia etiam eidem tantum ob Christum imputetur, non qua is in seipso etiam mutatus, justus fiat. Sicque huic religionis suae placito consentanee hanc peccata remittendi potestatem, quam Christus Apostolis dedit, explicare debuerunt.

At vero hi in suis religionis placitis formandis, et constituendis unam sibi dicunt, esse Scripturam sacram, tanquam normam. In qua cum saepissime sermo fiat de remissione peccatorum, ubi tamen invenient in hac tota quidpiam, quo probare possent remittere peccata esse idem, quod Evangelium annunciare, et declarare, dimissa esse peccata? Nam Deus dum homini remittit peccata, tantumne istius remissionis declarationem facit, vel reipsa dimittit peccata? Concedunt, dum Deus dicitur in Scriptura remittere peccata, hanc non esse tantum remissionis declarationem, sed ipsam etiam remissionem: sed differentiam volunt esse inter hominem, qui dicitur remittere peccata, et inter Deum: siquidem hujus tantum sit, nequaquam hominis, peccata remittere, quibus offensus fuit Deus. At vero Apostoli, ubi hanc a Christo acceperunt potestatem remittendi peccata, suone nomine hanc deinde potestatem exercuerunt? ministrine fuerunt, vel domini istius divinae dispensationis? In Baptismo fit ablutio a peccatis. Sic enim etiam Paulo fuit dictum ab Anania: „ Exurge, et baptizare, et ablue pec- „ cata tua in nomine ipsius (Christi) „ *Act.* 22. *v.* 16. Qui baptizat, is quidem certe etiam abluit hunc, quem baptizat. Ergo etiam per hunc abluuntur peccata. Estne vero aliud abluere a peccatis, quam sit remittere peccata? Etiam nonnisi Deus est, qui facit mirabilia solus. *Psal.* 71. *v.* 18. Et numquid non Petrus, dum claudum ex utero matris sanasset per miraculum, ipse se, qui hoc illi claudo tribuerit, ostendit

esse, dicens: „ Quod habeo, hoc tibi do: in no„ mine Jesu Nazareni surge, et ambula? „ *Act.* 3. *v.* 6.

David Michaelis in suis Annotat. ad h. l. ingentem obmovit arietem adversus hanc remissionem peccatorum per ministros homines. Nam, si hoc esset, dicit, omnibus etiam his, qui exercerent hanc potestatem absolvendi, praesto esse debere divinam inspirationem: siquidem aliter scire non possint, num is, cui absolutionem tribuunt, ita comparatus sit, hanc ut possit recipere. At vero hoc idem dici potest perinde contra eam, quam Protestantes per suos ministros faciunt remissionis declarationem. Vidit Michaelisius, quam forte hoc esset argumentum, quo suam etiam apud Protestantes jugulet declarationem. Quid igitur? invenit horum verborum Christi ad Apostolos: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, novam interpretationem.

Asserit, remittere peccata esse hoc, quod morbos curare virtute divina, et per miraculum, hancque modo Apostolis datam esse a Christo potestatem: siquidem morbi, sint peccatorum poenae, et consectaria, neque Christum alia ratione esse locutum, et infirmitatem corporis etiam intellexisse, dum paralytico dixisset: „ Confide fili, re„ mittuntur tibi peccata tua. „ *Matth.* 9. v. 2. Non aliud vero opus est, quam legere hanc rem apud Matthaeum, et inspicere, quomodo acta sit, et hujus, quod Michaelisius dicit, statim apparebit falsitas. Namque, ubi Christus paralytico dixisset, ei remitti peccata; Pharisaei, qui aderant, statuerunt apud se, hanc esse blasphemiam, quorum malignam cogitationem, quam conceperant de ipso, ut refelleret Christus, quaesivit ex ipsis, faciliusne sit dicere: *Remittuntur tibi peccata tua*, vel *Surge, et ambula:* ac deinde,

Vt autem sciatis, inquit, *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge. tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.* Ad probandam suam potestatem remittendi peccata, repentinam huic paralytico tribuit sanitatem. Qui aliquid sapit ex Logica, rectaque argumentandi ratione, dicetne hoc, quod probandi alterius causa producitur, idem esse cum eo, cujus causa productum est? Idem enim probaretur per idem. Ergone sanatio istius paralytici eadem est, quae peccatorum remissio eidem praestita paralytico?

His verbis, quae modo dicta sunt ad Apostolos, Concilium Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 1. docet, Christum instituisse Sacramentum poenitentiae, et ex quibus *Sess. ejusd. cap.* 5. conclusit, una etiam a Christo esse institutam integram peccatorum confessionem, quaeque proinde confessio necessaria jure divino sit: siquidem sacerdotes judicium hoc, in quo vel remittenda, vel retinenda sint peccata, exercere, incognita causa, non possint; sed neque aequitatem servare in poenis injungendis, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac singillatim sua poenitentes peccata exposuissent.

Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis: deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus, et Deus meus. V. 27, 28. Non placet Socinianis, neque Neotericis interpretibus, quorum alii aperte divinitatem Christi negant; alii quamvis verbis confiteantur, re tamen inficiantur Scripturae loca, in quibus haec praedicatur, in alium sensum trahendo, et pervertendo, non pla-

cet, inquam, istis haec tam clara, atque aperta Thomae confessio divinitatis Christi. Nam ostendit, quem jam tunc Apostoli crediderint Christum esse, et confessi sint.

Dicunt itaque Thomam hoc: *Dominus meus, et Deus meus*, non de Christo dixisse, sed esse tantum illius exclamationem ad Deum, ex ea admiratione, in qua fuerit, cum Christum vidisset, atque de ejus reditu ad vitam convictus fuisset. At vero falsum est, hoc a Thoma non ipsi Christo dictum esse. Diserte enim dictum est ab Evangelista: *Respondit Thomas, et dixit ei*, id est, Christo, ad quem pronomen *Ei* refertur, utpote cui Thomas etiam respondit. Deinde verba: *Dominus meus, et Deus meus*, ὅ κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου, sunt nominativi casus, non vocativi, ut Grammatici loquuntur: in quo vero altero, non in nominativo haec verba Thomae deberent esse, si dicta cum exclamatione essent. Dictum fuit Thomae a Christo, ut ejus manus, atque latus inspiceret, admotoque digito pertentaret, ipsene, cujus formam agnosceret, in suo etiam corpore vivus adesset vere. Ad hoc autem deinde respondit Thomas: *Dominus meus, et Deus meus*: cumque illud confessus sit, quod prius credere noluit; non crediderit vero ceteris Apostolis, a se Christum redivivum visum esse, id, quod verba etiam haec Christi ad Thomam declarant: *Quia vidisti me Thoma, credidisti;* sequitur, nec Thomae ista verba: *Dominus meus, et Deus meus*, de alio sonare, quam de Christo. Dominum vero hunc suum, et Deum suum appellavit, atque hoc de Christo praedicavit, quod credidit. Ergo etiam hunc Dominum, et Deum suum credidit, et confessus est.

CAPVT XXI.

Pasce oves meas V. 17. Dum Petrus, Thomas, Nathanael, Jacobus, et Joannes fratres, et alii adhuc duo ex discipulis Christi piscatum ivissent, totamque noctem piscantes, nihil cepissent, Jesusque mane se stantem in litore illis exhibuisset, quin tamen eum agnovissent, atque eos rete jacere in dexteram navis partem jussisset, ingentemque centum quinquaginta trium, omnium magnorum piscium numerum illico comprehendissent, et Christus pransus cum ipsis fuisset; ex Petro ter deinde quaesivit, an plus eum his, illos designans, qui una aderant discipuli, diligeret: cumque Petrus totidem vicibus suum ei amorem testatus esset; Christus ei contestanti suum amorem ter etiam dixit, Pasce agnos, pasce oves meas.

Dum Christus oves suas Petro generaliter pascendas tradiderit, ovesque Christi omnes sint, qui in Christum credunt, ejusque ovile constituunt, atque Ecclesiam; manifestum est, Petri curae esse a Christo universam commissam Ecclesiam: tantoque clarius, atque luculentius est, seorsim ab Apostolis ceteris hoc actum a Christo erga Petrum esse; quod ex hoc uno Christus quaesiverit, non tantum an ipsum diligeret, sed etiam num plus ceteris, qui praesentes erant Apostoli, diligeret, atque tunc, postquam sic interrogatus testatus amorem suum esset, Christus suas ei oves pascendas dederit, earumque pastorem posuerit. Ex quo enim quaesitum fuit, num plus, quam ceteri, Christum diligeret, cum hoc reliqui non erant comprehensi, et dum Petrus

cum ceteris Apostolis comparabatur; non hi cum illo conjunctim sumebantur. „ Sunt alii, (ait „ S. Bernardus *lib.* 2. *de Considerat. c.* 8. *ad* „ *Eugenium Papam*) caeli janitores, et gregum „ pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto et dif- „ ferentius utrumque prae ceteris nomen haere- „ ditasti. Habent illi sibi assignatos greges, sin- „ guli singulos; tibi universi crediti, uni unus: „ nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omni- „ um pastor. Vnde id probem, quaeres? Ex ver- „ bo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, „ sed etiam Apostolorum sic absolute, et indi- „ stincte commissae sunt oves, Si me amas Pe- „ tre, pasce oves meas? Quas? istius, vel illius „ populos civitatis, aut regionis, aut certe regni? „ Oves meas, inquit. Cui non planum, non desi- „ gnasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil ex- „ cipitur, ubi distingvitur nihil. „

Quamobrem iterum hinc, sicut idem demonstratum est jam etiam ad Matth. 16. v. 16. Primatus probatur, et evincitur Romani Pontificis, Petri successoris, neque is tantum honoris, sed etiam jurisdictionis. Id, quod definitum etiam in concilio generali Florentino est. „ Definimus, „ sunt verba istius Concilii, Sanctam apostolicam „ Sedem, et Romanum Pontificem in universum „ orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem „ Romanum successorem esse beati Petri, Prin- „ cipis Apostolorum, et verum Christi vicarium, „ totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christia- „ norum patrem, et doctorem existere, et ipsi in „ beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi „ universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu „ Christo plenam potestatem traditam esse, quem- „ admodum etiam in gestis Oecumenicorum con- „ ciliorum, et in Sacris canonibus continetur. „

Protestantes pascere, quo verbo Christus usus ad Petrum est, contendunt, non significare aliud, quam munus docendi, et Evangelii praedicandi officium, sine ulla ipsas etiam Religionis controversias dijudicandi auctoritate. Attamen ipsi etiam apud se hanc de controversiis Religionis, et statuendi, quid credendum, ac tenendum esset, auctoritatem persaepe exercuerunt, atque ipsas etiam suae Confessionis formulas aliis praescripserunt; donec illa lumina Neotericae interpretationis Scripturae apud illos etiam exorta fuissent, quae tantum omnia per se, suoque ingenio in Scriturae sacrae sensu putant esse decernenda. Et num pascere non significat etiam potestatem, et regendi auctoritatem? An hanc David non habuit, factus rex, cujus tamen regia potestas hocce verbo pascendi expressa est? de quo sic est: „ Elegit „ (Deus) David servum suum, et sustulit eum de „ gregibus ovium, de post foetantes accepit eum, , pascere (לִרְעוֹת, cujus radix רָעָה pavit) Jacob „ servum suum, et Israel haereditatem suam. „ *Psal.* 77. *v.* 71. Idem etiam manifestissime apparet hinc, quod cum Petrus dixisset. „ Pascite, „ qui in vobis est, gregem Dei „ 1. *Ep.* 5. *v.* 2. dum Episcopos hortaretur ad diligentiam sui officii; idem hoc *Act.* 20. *v.* 28. Paulus dixerit: „ Attendite, vobis, et universo gregi, in quo vos „ Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Eccle- „ siam Dei. „ Itaque pascere de Episcopis, atque eo magis de Petro, non significat tantum munus praedicandi, et annunciandi Evangelii, sed una etiam jus, et auctoritatem regendi.

Grotius totum hocce caput ultimum Joanni Evangelistae abjudicavit, et voluit esse tantum additamentum ad ejus Evangelium Ephesinae Ecclesiae. Nihil vero affert, unde hoc probet. Quod

autem sic tantum e suo placito obtrudit adversus omnium anteriorum temporum de authentia hujus capitis fidem, et consensionem, nec meretur ullam considerationem, minus responsionem. Quare neque mirum est, quod vix aliquem vel e suis repererit, cui vendere potuerit hanc e critica sua novam mercem.

Pag.	*lin.*	*Errata*	*Corrige*
159	19	versimile	verisimile
163	12	non tantam	non tantum
169	37	illa	ille
203	18	malidictum	maledictum
219	1	טולדת	מולדת
246	8	doeet	docet
320	21	snrgat	surgat
347	10	dificeret	deficeret
401	26	postrati	prostrati
415	22	praedicasse	praedicasset







N. ALBER
SACRAE
NOVI
Testamenti



2





